Fuchsio







INSTITVTIONVM MEDICINÆ, SEV MEDENDI METHODI,

AD HIPPOCRAT. GALEN: ALIORVMQVE VETERVM, ET RE-
centiorum Medicorum celeberrimo-
rum ſcripta, adytum, & expe-
ditiſsimum iter pa-
rantes:

An° 1632 Empt. 30

LIBRI QVINQVE,

A

LEONHARTO FVCHSIO,
TVBINGENSIVM


Quondam ſummo medico, primùm conſcripti, & nunc tandem, poſt creberrimè iteratas editiones, in Iatrices ſectatorum gratiam: Operâ, *& ſtudio,*

EMMANVELIS STVPANI,
Philoſ. & Med. Doctoris Baſil.

Rerum, & Verborum annexo INDICE *locupletiſſimo*

ab innumeris penè repurgati erroribus, plurimisq; in locis auctiores redditi.

BASILEAE,
Sumptibus LVDOVICI REGIS.
M. DC. XIIX.



*VIRTVTE, ET LITTERIS EX-
excultißimo,& conſpicuo Viro:*

D. IOHANNI FRIDERICO
FVCHSIO HAGENOENSI, MEDI-
*cæ artis Candidato, amico, &
fautori optimo.*



Rranti, qui comiter monſtrat viam, Vir ſolertiſſime, perinde, quaſi de ſuo lumine lumen accedens, facit, ut cum alteri accenderit, ipſi nihilominùs luceat: prçclarè herclè, & veriſſimè dictum de ijs, qui ex peditiſſimam, ad diſciplinarum faſtigia perveniendi viam, alijs, digito velut monſtraturi, humano generi artes fructuoſiſſimas, & maximè prçſtabiles ſcientias, ordine & ratione exquiſitâ digerere, ſummaq; earundem capita, in compédium redigere ſatagunt. Quùm namq; divino at-

teſtante Platone, principia, & primi aditus difficillimi ſint, diſciplinarũ frõtiſpicia, quùm obſcuriſſima, prædenſis adeò abducta tenebris, ut vix dum ſcientiis leviculè tincti, de internâ, & abditiſſimâ illarum luce deſperântes, ſi non habeant, à principio ſtatim, à quibus tamquam manû, in totius artis ſenſim ducantur penetralia, deterriti, ipſoq; ab inſtituto ſuo reſilientes, vel derelictis planè ſtudiis, abiectum mage ſectantur vitæ genus, vel Andabatarum more, oculis clauſis, motuque vago, optimarum artium in ſtadio deerrantes, illas collaudant equidem, admirantur: earundem interim nunquam commoda, & finem ultimum aſſequuntur: Quippe vaſtiſſimâ illa cognoſcendarum rerum mole, & portentoſâ varietate, optima etiam ingenia, in ipſo ſtatim veſtibulo, mirè confuſa, & perturbata, quò ſe vertãt, ignorant: Summis hiſce malis, remedium præſentiſſimum, ſunt compendio-

pendiosæ institutiones, & artificiosæ, totius artis summam, graphicè nobis delineantes methodi: Quibus profectò, tùm omnibus alijs in disciplinis, tùm inprimis, in sacratissimâ nostrâ Iatrice, opus est, nulla siquidem opinor est ars, quæ pluriũ rerum deposcit cognitionem, quæ circà difficilia mage occupetur, & ardua, quæ molles rudesq; animos, à sui, celeriùs repellat studio, quę deterioribus, ab agyrtis defædata erroribus, nulla deniq; opinor est ars, cujus maior abusus, ignorãtia profundior, & infælicior, apud imperitam plebem, despectus, ac verò sacræ, & auxiliatricis illius Deorum manus, artis medicæ; hæc ipsa proinde, præ alijs omnibus disciplinis, methodos postulat, institutiones, compendia, & introductiones ad internam suam lucem, viam nobis struentes: quibus hercle quicunque destituuntur, longissimum, in medicâ arte perdiscendâ tempus, sine laude, sine fructu te-

rentes, eamdem tamdem turpiter deserant, necessum est: Ex omnibus porrò, quæ circumferuntur passim Medicinæ compendiis, LEONHARTI FVCHSII post institutiones, equidem, vix credo ullum reperiri aliud, quod maiori fide, facultate, diligentiâ, industriâ, & perspicuitate, conscriptũ, quod tùm medicarum, tùm præstabilium rerum noticiam pleniorem subministrans, ad summum Iatrices fastigium, huius asseclas evehat promptius, quod deniq; discussis sciolorum vaniloquiis, ceù nebulis, veterum, Græcorum præsertim, theoremata medica explicet pleniùs, adversum barbaros Arabes, novitios ambitiosulos tueatur firmiùs; Reliquæ, Arabum præcipuè, & Latinorũ methodi medẽdi pleræq;, caliginẽ potiùs, quàm lucẽ arti nostræ adferũt, adeoq; methodi titulo indignissimè sunt. Quarum patroni aut sine delectu, nulloque adhibito judicio, cælũ terræ mixturi res cor-

radũt,in medicã artẽper fas nefasq; pertrahunt quascumq;,aut,sive ambitione, & novitatis studio, sive ingenii errore ducti, à veritate & ratione procul exorbitantibus commentis suis stolidissimis Græcorum principũ,convellunt, rectiùs dicam conspurcant, & obscurant dogmata firmissima aliàs & immota: In unius ferè Leonharti Fuchsii Institutionibus, quod taxes, nihil penè est, nihil quod jure desiderari queat, sive ad Arabum diluendas phantasias accommodatum,sive ad Græcorum intelligenda scripta, & qui, in his, jam probè exercitati sunt,roborandos,idoneum: Unde toties retextę, toties ab ipso auctore recognitę,toties sub incudẽ revocatæ,Fuchsianę hujus Isagoges apparet ratio, apparet,cur hactenùs, libelli hujus vix dum absolutâ editione, ejusdem exemplaria omnia, philiatri, avidissimè numquam non coëmerint ultimæ profectò editionis, quæ an-

no ſeculi hujus quinto luçem vidit, aut nulla, aut quàm paucisſima, nec apud Typographos, nec apud bibliopolas extant exemplaria: Quamobrem Philiatrorum complurium partim, partim honeſtiſſimi noſtri civis Ludovici Regis, poſtulato, & petitioni æquiſſimæ gratificaturus, in poſtremâ hâc editione adornandâ ſtudioſiſſimè occupatus, innumeris, quæ typographorum incuriâ, & ſciolorum quorundam imperitiâ irrepſere extinctis erroribus, omiſſis aliquot parùm fructuoſis in Arabes digreſſionibus heterogeneis, ab epitome hâc reſectis, fuſiùs è contrà, quæ anteà, haùd ſatis explicata erãt, enarratis, annexo deniq́; rerum, & verborum Indice locupletiſſimo, in id unicè incubui, ut eadem hæc editio, præcedentes multis modis evincens, ijſdem melior longè & emendatior, novam inſcriptionem, ac faciem longè venuſtiſſimã aſſumeret.

Tibi verò Vir præſtantiſſimè, huma-

naniſſime, qui Fuchſianæ ſtirpis ne-
pos, eiusdemq; artis, & ſolidiſſimæ
doctrinæ hæres es, & æmulus, hoc
quidquid meũ eſt, has, quales quales
lucubrationes meas inſcribo, ſum-
mi mei erga te amoris animi mei ergà
eximiam tuam in me voluntatẽ gra-
tiſſimi, ſynceri deniq; & illibati, in te,
totamque Fuchſiorum familiam cla-
riſſimam, affectus mei, & perennatu-
ræ obſervantiæ teſtimonium. Ec cui
alij verò iure potiori inſcribi potuiſ-
ſent, quippe qui, tùm præſentis libel-
li, tùm aliorum Fuchſij elaboratatiſ-
ſimorum tractatuum lectione inde-
feſſâ, ſeriaque meditatione, manu ve-
luti, in medicæ artis myſteria abſtru-
ſiſſima traductus, ſummum eiuſdem
culmen & faſtigium iam adeptus, &
de harum Inſtitutionum perfectio-
ne, & nihil me in ijſdem deprædican-
dis ſuperlationibus oratoriis uſum
eſſe, veriſſimè atteſtari potes: Quod
te facturum, & malevolorum adver-
ſum obtrectationes, pro virili me de-

fensurum, persuasissimus, ut præsens factum, imprudens forsan, minusq humanitate, & virtute tuâ dignum dignius donec, & gratum mage attulero munus, æqui boni consulas ac meditatiunculas has nostras, monumentũ esse patiaris, rogo, in quo signa, mei in te studii votivâ, velut pateant depicta, tabella. Vale Vir præstantissime. Raptim dabam Calendis Januarii Anni 1618. quem unâ cum sequentibus aliis plurimis tibi precor & animitùs opto felicissimum.

Tuus ad aras

EMMANUEL STUPANUS
Philosophiæ & Medicinæ Doctor Basileensis.

A

AD LECTOREM.

ABstulerant Arabes ducibus vexilla Pelaſgis
Et veterum è regno Pæona depulerant
FUCHSIUS, aſt Arabum è caſtris vexilla redemit
Et veterem in regnum Pæona reſtituit.

EPIGRAMMA
ad
Clariß. & Excellentiß. Virum,
D. EMMANUELEM STUPANUM,
Philoſoph. & Medic. Doct. acutiſſimum, Inſtitutiones FUCHSII elimatas exhibentem.

FUCHSIUS ex Arabũ caſtris vexilla Pelaſgis
Ablata heic patrio reſtituiſſe ſolo
Et vetus in regnum fertur retuliſſe peritum
Pæona: Nunc paribus paßibus ingrediens
STUPANUS ſemel hæc reparata Trophæa tuetur
Fortiter, illuſtrans amplificansq́; benè.

Iuſtus Jung Göppingenſis VVirttembergicus, Medic. Studioſus.

ALIVD.

QVI per ſe lucet, lucem das Magne STUPANE,
Luceq́; quò rutilet lucidiore facis.
Quî ſic? lucidior Medicorum ſtella refulget
FUCHSIUS, & facie lucidiore micat.
Hic lucet; luces quoq; Tu, Lux major & illo es,
Qui per te lucet lucidiore face.
Fac alia & videant Medicorum ſidera lucem,
Munere fac fiant lucidiora tuo.
Et tua quadrifidum lucebit Fama per orbem,
Et Baſileæ Lux lucida, Lumen eris.

M. Balthaſar Simon Fr. Poet. Laur. Cæſ.
Φιλίατρος.

ALIUD.

Postquam donârat mundum Pandora dolosâ
Pyxide; mox letho tunc via strata fuit.
Ast id Hygeia dolens, leges sancivit, & Artem
Edocuit, quâ sit restituenda salus.
Hoc qui fungantur praeclaro munere, Mystas
Constituit celebres optima Diva viros:
Quos inter quondam splendescens gloria Athenis
Ille Tubingiacis FVCHSIVS *emicuit.*
AEmulus hunc rursum redivivum reddit & offert
STVPANVS, *Medici gloria rara Chori;*
Illius hos libros dum praelo tradit, adauget,
Expolit, emendat, sicq; nitere facit,
Vt nihil illorum praetermisisse putetur,
Cultores Medicos queîs iuvat institui.
Illinc emergent haut FVCHSIVS *unus & alter,*
At plures, Medici divitis ingenii.
Haut igitur vanum sumsisse videre laborem:
Perge, feres meritis praemia digna tuis.
Perge tuis Medicas decorare laboribus artes,
Sic Immortalis, cùm morieris, eris.

Vlricus Varnbulerus junior Stutt-
gardianus VVirttenbergicus
Medicinae Stud.

LEON-

LEONHARTI FUCHSII INSTITUTIONUM MEDICINALIUM LIBRI PRIMI

SECTIO I.

DE MEDICINA GENERATIM.

CAP. I.

DE MEDICINAE ORIGINE, *incremento & perfectione.*



QVOTQVOT unquam à condito mundo vixerunt homines, uno omnes ore ác consensu, medicinæ initia Diis immortalibus asscripserunt. Nam ut à Mose, omnium eorum qui extant Hebræo scriptore antiquissimo, artiumq; omniũ principe, exordiamur, hic certè Genes. cap. 1. Deum optimum maximum unà cum nascente mundo, herbas, stirpes, & arbores fructiferas, itemq; animantia, & alias res universas, quibus in hodiernum usque diem ad tuendam sanitatem, & propulsandos morbos utimur, è nihilo condidisse, disertè scribit. Mosis verissimi vatis sententiam Iesus Syrach, inter Hebræos vir singulari pietate, prudẽtia, varia rerum cognitione, divinoq; præditus spiritu, cap. 38. sui libri confirmat, iis sanè verbis: Τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ, καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισεν κύριος. παρὰ γὰρ ὑψίστου ἐστὶν ἴασις, καὶ παρὰ βασιλέως λήψεται δόμα. κύριος ἔκτισεν ἐκ γῆς φάρμακα, καὶ ἀνὴρ φρόνιμος οὐ προσοχθιεῖ αὐτοῖς. ἰατρῷ δὲ

Medicinæ origo divina.

Moses.

Iesus Syrach.

νέπον, καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισε κύριος. Maluimus autem Septuaginta citare interpretationem, utpote nobis notiorem, cuius is planè sensus est: Affice medicum suis honoribus ac præmiis, ut necessitate urgente uti illo possis: nam eum creavit Dominus. Est enim à à supremo medicina, & à rege stipendium accipiet: Dominus ex terra condidit medicamenta, & prudens homo non contemnit ea. Cede locum medico, Dominus enim illum creavit. Hæc ille. Statuendum itaq; prorsus erit, medicinam Dei munus esse, ideoq; creatam, & in terras missam, ut caducam nostram vitam, & virium nostrarum imbecillitatem, aliquantisper huius ope sustentemus. Eâ igitur, quum res poscit, ita utamur, ut agnoscamus non humano consilio, sed divino beneficio vitæ prorogandæ proposita esse remedia. Non solùm verò sacræ literæ palàm docent, Deum & remedia nobis proposuisse, & medicos condidisse: sed etiam prophanæ hunc honorem arti nostræ tribuunt. Siquidem Græci, apud quos primùm exculta est medicina, Apollinem Deũ, inventorem eius fuisse tradunt. Primus enim Apollo herbarum ac medicinæ usum, antea prorsus neglectum, invexit. Græcorum de medicinæ origine sententiam secuti sunt etiam Latini scriptores, qui itidem Apollinem eius fuisse inventorem, memoriæ prodiderunt. Nam inter Latinos poëtas non contemnendæ authoritatis Ovidius, Apollinem ita loquentem, & inventionem medicinæ sibi arrogantem fingit, inquiens:

Medicina Dei munus.

Gentiles Iatricem divinam censent.

Apollo medicinæ inventor.

Lib. 1. Metamorph.

Inventum medicina meum est, opifexq; per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Post Apollinem medicinam adhuc rudẽ & inertem, ab Apolline patre institutus, paulò subtilius Aesculapius excoluit. Qui quum & ipse multa subinde invenerit, factum est ut à nonnullis inter primos etiam medicinæ inventores numeratus sit. Relatus verò & ipse, propter insignem hoc tempore medicinæ peritiam, in deorum numerum. In ea enim sic excelluisse fertur,

Aesculapius.

fertur, ut ab equis dilaniatum Hippolytum, & Androgeum Minois filium, ab Atheniensibus, quòd palæstra cæteros superaret, per invidiam, vel ut alii memoriæ prodiderunt, à Marathonio tauro interfectũ, ad vitam revocaverit. Quod Propertius iis carminibus significare voluit, inquiens:

Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis.

Necnon Q. Serenus Samonicus, qui de Aesculapio inter cætera sic scribit:

Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas
Nosti, atq; in cœlum manes revocare sepultos:
Qui colis Aegæas, qui Pergama, quiq; Epidaurum.

Iisdem quidem temporibus, ob quarundam herbarũ peritiam claruit Chiron Centaurus Thessalus. In Pelio enim Thessaliæ civitate habitavit. Saturni & Phyllirae filius, Achillis præceptor ac pædagogus. Hunc autem multarum stirpiũ habuisse noticiam, Centaurium herba abundè testatur, ut quę ab ipso in hodiernum usq; diem nomẽ retinet. Proinde quum constet illum aliquot herbarum ac medicamentorũ habuisse peritiam, factum est, ut à Plinio, aliisq; multis, medicinam invenisse creditus sit. Sunt verò qui non solùm Aesculapio coætaneum, sed & eius fuisse pręceptorem tradant. Porrò Aesculapio duo fuisse filii perhibentur, ambo medici, Podalirius & Machaon, qui in bello Troiano ducem Agamemnonem secuti, non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt, & ob id Homerico carmine laudati sunt. Ita enim de iis scriptum reliquit Homerus:

Chiron Centaurus. *Centaurium herba unde dicta.* *Lib. 7. c. 56.* *Podalirius & Machaon.* *Iliad. B.*

Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε,
Ἰητῆρ' ἀγαθώ, Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.

Quos versus Eobanus Hessus, clarissimus & optimus Germaniæ nostræ vates, ita reddidit:

Quos duo ducebant fratres, Phœbiq; nepotes,
Matre Coronide, præstantes arte medendi,
Belligeriq; ambo, Podalirius atq; Machaon.

Hos tamen Homerus, antiquissimus poeta, non in

pestilentia, neque in aliis morborum generibus aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodò, ferro & medicamentis mederi solitos asserit. Ex quo apparet, has solas medicinæ partes ab iis esse tentatas, easque esse vetustissimas. Illorum itaque temporum observatio, Chirurgiæ magis initium dedisse videtur, ut quæ sensui sit propinquior, & proinde cognitu facilior, ac inventu prior. Quemadmodum igitur Empiria plerisque aliis initium fecit, ita medicinam ab ea cœpisse par est: illamque variam primùm extitisse, dum alia è similitudine animalium sumpta (veluti quum hippopotamum assidua satietate obesum, viderunt in arundinosa littora currere, & acutissimo cauli tantisper incumbere, donec venam in crure vulnerasset, & hoc sanguinis profluvio sanatus esset, plagamque limo obduxisset, ipsi similem venæ sectionem in plethoricis corporibus tentarunt) alia, casu ac fortuitò deprehensa, deinde frequentata & aucta subinde, initium huic parti artis fecerunt. Sic & ab oraculis multifariam petita medicamenta, idque ad tempora usque Plinii, ut ipsemet testatur, ab aliis postea usurpata sunt: quibus postremò servatis, ac in monumenta redactis in immensum crevit Empiria. Atque hinc est, quòd medicinam, Aristoteles in lib. Naturalium quæstionum, cujus index est De animalium proprietate, in ipso statim principio ait, sparsim esse inventam à divinandi peritis, in hominum conventibus, & casu, vel somno, vel vaticinio, vel dæmonũ invocatione, vel hujusmodi alio modo: quæ omnino de experimentatrice ejus parte dicta fuisse oportet: unde non injuriâ habita est primùm hæc ars inconstans, ut quæ sæpiùs mutata sit: quòd experimenta nulla dum ratione stabilita, parùm fida, plerunque essent: & idcirco ab uno, ad alium sese modum transferendi, sectatoribus suis occasionem subinde præberent. Hæc fuit antiqua medicina, quæ licèt dives experimẽtis esset, nondum tamẽ omnibus morbis succurrere poterat,

Chirurgiæ inventio.

Experientia invenit medicinam.

Experientiæ parandæ instrumenta.

Plin. lib. 8. cap. 26.

Experimentatrix medicina incerta & inconstãs.

quòd

quòd inquisitionis novorum præsidiorum ratio nulladum haberetur certa, & causæ rerum, initium illi præbentes, adhuc nescirentur. Cæterùm sunt qui apud Aegyptios medicinam inventam esse velint, imò ipsi à se primùm profectam esse affirmant. Quod nõ alia de causa fit, quàm quòd præter herbas, alia quoque medicamenta illîc in usu fuerint. Id quod iis versibus testatus est Homerus:

Cur apud Aegyptios reperta esse medicina credatur.

Odyss.

Αἰγυπτίη, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ
λυγρά.

Quos quidam ita convertit:

Fertilis Aegyptus rerum medicamina mista,
Optima multa, simul deterrima plurima profert.

Hactenus itaque quæ medicinæ fuerit origo, ac quis vetustatis ejusdem splendor, demonstravimus. Nũc quæ illius fuerint incrementa, docebimus. Satis constat, Asclepiadas hanc ipsam non parum auxisse, ac posteris, veluti hæreditariò acceptam, tradidisse. Horum autem studio ea pars medicinæ inventa est, & accessit, quæ morbos intùs latentes curat, quæque inquisitionem majorem difficilioremque, neq; statim ita obviam, habet. Hanc quidem medicinæ partem, aliquousq; in densissimâ nocte latentem, Hippocrates genitus in Co insula, in primis clara & valida, Heraclidæ Phaneretesq; filius, omnium quotquot ante se fuerunt, medicorum facilè princeps, primus apud Græcos in artem redegit, ac ferè cõsummatam in lucem revocavit. Quo nomine divinos meruit honores. Nam constat eum ab Atheniensibus, Eleusiniis sacris, secũdum ab Hercule, monstrorum domitore, initiatum fuisse. Maximam autem Hippocratis apud Græcos admirationem & existimationem fuisse, illud Nicomedis satis testatur, qui de eo ita cecinit.

Incrementa medicinæ.

Hippocrates.

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων καὶ σώζετο λαῶν
Ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπάνις ἐν ἀΐδῃ.

Hoc distichon Vincentius Obsopœus, cujus vete-

ris amicitiæ ego lubens memini, olim ita convertit:

Lux hominum Hippocrates, dum gentibus ille medetur,
Copia per Stygias rarò petivit aquas.

Cæterùm quæ hactenus copiosè à nobis dicta sunt, Socrates Ephesius in præfatione suæ Isagoges, breviter ac dilucidè iis verbis expressit: Medicinam, inquit, Apollo quidem invenit, Aesculapius amplificavit, Hippocrates perfecit. *Diocles.* Hippocratem secutus est *Praxagoras.* Diocles Caristius, Praxagoras, Chrysippus, & huius *Chrysippus.* discipulus Erasistratus, ex Aristotelis filiâ genitus, & *Erasistratus.* alii, quorum infrà in cap. de Medicorum sectis mentionem faciemus. *Galenus.* Post hos omnes ab Hippocrate quidem elapsis annis, ni fallor, sexcentis, tandem Galenus, vir nedum in medicina, verumetiam in omnibus aliis disciplinis excellentissimus, optimusq; Hippocratis interpres, secutus est. Nam ut eius monumenta, quæ multa & varia posteritati reliquit, palàm testantur, nullum penitùs doctrinæ genus fuit, quod ille non exquisitè tenuit. Præter cæteras tamen artes, quas omnes cognovit, medicinam unicè excoluit: eamq; nondum plenè à Coo illo Hippocrate elaboratã, perfectissimè absolvit. *Simile.* Nam ut Apelles, insignis pictor, Veneris caput, & summa thoracis, politissima arte perfecit, reliquam verò corporis partem inchoatam reliquit: ita Hippocrates in medicinæ principiis ac elementis, ceu capite, diligenter elaboravit: reliquum autẽ eius, tanquã corpus imperfectũ ac rude, posteris expoliendum & perficiẽdum reliquit. *Galeni laudes.* Constat quippe unum Galenum tot editis omniũ iudicio doctissimis in arte medicâ libris id ipsum præstitisse, & medicinam ita illustrasse ac perpoliisse, ut nullam eius partem prætererit, quam non excoluerit, atque absolutam etiam ferè, nobis reliquerit. Quare illam absolutæ medicinæ speciem, quam vix inveniri posse Hippocrates affirmavit, in epistolâ ad Democritum & in nullo se unquam vidisse testatus est, multoties *Galenus à* medicorum omnium unus expressit Galenus. Vt

dubium

dubium non ſit, quin à Deo excitatus, diſſipatam iis temporibus medicinam reparare debuerit. Siquidem Plinio atteſtante, exorti erant impoſtores plurimi, qui artem depravabant, non modò in facienda medicina, quod omnibus ætatibus accidit, ſed multò magis in docendo novas præſtigias oſtentabant. Quas enim ineptias non protulerunt Eraſiſtratus, Aſclepiades, Themiſon, Theſſalus ille ineptiſſimus ac impudentiſſimus homo, & id genus alii Sophiſtę; Quibus niſi ſe ſtrenuè, totiſque viribus oppoſuiſſet Galenus, multis, & iis quidem prodigioſis erroribus & mendaciis inſignibus contaminatam, & omnino deformatam hodie haberemus medicinam. Deus itaq; quum hanc artem retinere, & ad poſteros conſervare vellet, daturus orbi terrarum excellentem artificem, Galeni ad hæc ſtudia excitavit ingenium, ut eſſet qui præſtigiatorum illorum, qui artis præcepta ſophiſticis nugis ac diſputationibus labefactare contendebant, nugas refutaret, & funditùs extirparet. Hic igitur primus, ea quæ apud Hippocratem erant obſcura, dilucidè explicare, quæ parùm diſcreta ac limitata diſtinguere, quæ verò defecerunt ſupplere ſtuduit. Proinde uni Galeno acceptum referre oportet, quòd hodie poſt tot perverſorum ac planè monſtroſorum dogmatū authores, legitima ac vera artis præcepta, ex quorum præſcripto medicinam facere liceat, habeamus. Quum itaq; tantum in illuſtranda medicina elaboraverit, factum eſt, ut quum adhuc in terris ageret, primas in hac arte obtinere creditus ſit. Poſtquam verò è vita hac mortali exceſſit, nullus unquā livor, nulla calumnia, nulla deniq; oblivio nomē eius obſcurare potuit, adeò ut in hodiernū diē apud omnes gentes ſplendor & gloria illius vigeat, nec ulla eius laudibus æternitas finem eſt allatura: vivit enim omnium in animis: ſempiternamq; ſibi tot extra omnē aleam poſitis ſcriptis, ac poſt ſe relictis monumentis, memoriam paravit. Quæ cùm ita ſint, in hanc curam & cognitionē medicinæ initiatos incumbere

Deo excitatus.

Studioſi medicinæ Hip-

pocratem & Galenum sibi duces proponant.

oportet, ut in universo studiorum suorum cursu hos duos, Hippocratē inquā & Galenū (longè valere jussis Arabibus, & id genus aliis ineptis scriptorib⁹, qui medicinā multis modis fœdarunt, ac infinitis propemodū erroribus, ut alibi monstravimus referserūt,) duces & principes, quos sequantur, sibi proponāt, & certo judicio, quibus se formandos dent, deligant, ac in assidua eorundem lectione, optimæ frugis plenissima, omnes ingenii vires ac nervos intendant: seq; plurimum in re medica profecisse sibi planè persuadeant, si Hippocrates & Galenus illis valde placeant. Cęterum ex hoc fonte manasse Paulum Aeginetam, Aëtiū, & Oribasium constat, ut qui sua monumenta, ad verbum è Galeni lucubrationib. transscripserunt.

DE MEDICINAE PRAEstantia. Cap. II.

NON temerè Hippocratem dixisse medicinam omnium artium præclarissimam esse, tum planè cognoscemus, ubi, quàm plurimarū rerum naturas hæc ipsa intueatur, & exquisitè rimetur, animo nostro expenderimus. Principiò namq; admirabilem hominis fabricam, naturamq; explicat: ossa nimirum omnia, cartilagines, musculos, ligamēta, partes item nutritioni famulātes, & propagandæ speciei inservientes: cordis prætereà structurā, & ipsius functioni ministrātia organa: cerebrum deniq;, & huius actioni destinatas partes: in summa, corporis minutissima queq;, horumq; omniū usus prosequitur. Nec ista tradidisse cōtēta est, sed & quomodo hęc omnia ex elementis nata sint, qualemq; ex horū cōmistione consecuta sint temperaturā, ostendit. Posteà causas, quæ fabricam hanc & naturam conservant, quæque eandē destruunt ac demoliuntur, ob oculos ponit. Tandem præsidia, quibus ea quę elementorū cōcordiam turbant, & omnis generis morbos accersunt, propellūtur, edocet. Quapropter singularū stirpium,

Medicina quadoceat.

anima-

animaliũ, & quæ patefactis ex terræ faucibus eruuntur metallorum, lapidum, gemmarum, eorum etiam quæ ex mari & aquis extrahuntur, vires exponit. Et quis omnia, quæ medico sunt cognoscenda, hoc saltem loco, & brevi adeò in capite, percenseret: Quum itaque tot & tantarum rerum peritiâ ornatum esse oporteat medicum, quid mirum, omnis eruditionis Oceanum, rerumque humanarum peritissimnm vatem Homerum, in hæc prorupisse verba:

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Quod carmen Eobanus Hessus, optimus Germaniæ vates, ita convertit: *Iliad. Λ.*

Vir medicus siquidem multis virtutibus unus
Prævalet, ante alios multos.

Et rursus alio in loco:

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων. *Odyss. Δ.*

Atque hinc est, quòd veteres, Medicis, propter artis quam profitebantur præstãtiam, amplissimos decreverint honores. *Honores medicis olim decreti.* Quippe Hippocrati, Abderas, sanandi Democriti causa proficiscenti, universa civitas, non viri tantùm, sed & mulieres insuperque senes & pueri, obviam ante portas processerũt: illumq; summis & honoratissimis titulis prosequentes, servatorem patriæ, patremque appellaverunt. Huic quoque à Senatu & populo Atheniensium is honor est habitus, eaque relata est gratia, ut propter servatam à truculentissima peste Græciam, ei ludi decreti sint: magnisque mysteriis ab iis initiatus, aureaque corona mille aureorum, regio planè insigni, donatus sit. Erasistrato, ex Aristotelis filia genito, ob Antiochum regem sanatum, à rege Ptolemæo, filio ejus, centum aurea talenta, hoc est, nostræ pecuniæ nummûm aureorũ sexaginta millia, numerata sunt. Q. Stertinius, summus in re medica olim Romæ habitus, duodena millia & quingentos aureos nummos, à Cæsaribus accepit: quum privato quæstu, dena quina millia in

singulos annos, numeratis domibus, cogere soleret. Romani prætereà Cæsares medicis in singulos annos amplissimum stipendium, ducenta & quinquaginta sestertia, ut Plinius autor est, pendebant: quum tamen reliquarum disciplinarum professoribus centena tantùm in annum numerarent. Sed desino plura medicorum præmia referre, quòd sciam discendarum artium finem non esse quæstum, aut mercedem, sed veritatis potius fruendæ ac inquirendæ studium, & ut quàm plurimis prosimus. Tantos verò honores, ac tot præmia nullo alio nomine in medicos contulerunt veteres, quàm quòd immensam esse illorum cognitionem, & eruditionẽ, & ad multorum vitam & valetudinem tuendam summè necessariam, perspectum habuerunt. Vt cæcos planè & iniquos fuisse judices palàm sit, qui inter professores Medicis postremũ locum assignarunt. Sed hæc est perpetuò bonorum fortuna, ut ipsis pessimi quiq; preferantur.

Discendarũ artium finis non quæstus, sed veritatis studium.

MEDICINA QVID. Cap. III.

Hippocratis definitio.

MEdicina à variis variè est definita. Ab autore quidem libelli de Flatibus, qui Hippocrati adscribitur, sic definitur: Medicina, „ inquit, est adjectio & subtractio. Adjectio quidem „ deficientium, subtractio verò, eorum quæ in corpo- „ ribus hominum redundant. Hanc definitionem Galen. lib. 11. Therap. meth. cap. 12. & aliis plerisque locis citat, & comprobat, nec certè temerè: nulla enim est medicinæ pars, quam ista definitione nõ sit complexus Hippocrates. Quum enim primæ ac maximæ ejus partes sint duæ, quarum altera sanitatem tuetur, altera morbos profligat: præsentem certè sanitatem non nisi adjectione optimorum ciborum & potuum, & supervacuorum excrementorúmve subtractione servabimus: amissam verò iisdem quoque, nempe subtractione ciborum, ubi ex redundantia morbus natus est. adjectione verò eorundem, ubi ex defectu morbum contraximus, recuperabimus. Subtractio-

tractione itidem eorum medicamentorum, quæ redundantiam vacuant: & adjectione eorũ, quæ corpori robur adjiciunt. Quid multa? adjectio & detractio, omnes res, quæ homini tàm ad tuendam sanitatem, quàm ad præcavendũ futurum morbum & prçsentem profligandum administrantur, continent, ac complectuntur. Idem in libello de Arte, medicinam ,, ait esse artem, quæ à morbis ægrotantes prorsus vin- ,, dicat, & morborum vehementiam retundit, atque iis ,, qui à morbis victi sunt manum non admovet. Non ,, abs re autem postremam partem adjecit. Hac enim ipsa cavere voluit, ne iis qui à morbis jam prorsus superati sunt, medici temerè remedia adhiberẽt: quod scilicet illa, virtute jam à morbo devicta ac prostrata, nulla commoditate admoveantur. Proinde mox ejus rei causam subjecit inquiens: In confesso enim est, quod medicina tales sanare non possit. Quapropter prudenter admodum lib. 11. Ther. meth. cap. 9. Galenus dixit, In quibus desperata omnino salus est, imprudentis consilii fuerit, apud vulgum infamare præsidia, quæ multis fuêre saluti. Hinc est quòd in Commentariis suis super Hippoc. Aphorismos rectissimè, *2. Apho. 29.* & de sententia Senis consulat idem Galenus, deploratos non oportere attingere, sed magis recedere, eventu morbi prænunciato. Herophilus in hunc modum medicinam definire voluit: Medicina, inquit, est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum. *Herophili definitio.* Nomen autem scientiæ communiter, & non propriè accipiendum. Communiter namq; sumpta scientia, est quędam noticia, sive theorematũ præceptionumque ordine sese consequentium, & ad vitæ utilitatem conspirantium, ut infrà fusius dicemus, collectio: adeoque idem cum arte significat, nempe quandam noticiam. *Scientia communiter sumpta.* Propriè verò accepta scientia, est certa, firma, & à ratione non declinans noticia, quæ firmis certisque principiis constat. *Propriè.* Galenus quidem initio Artis parvæ, medicinam scientiam esse dixit, vim & multitudinem demonstrationum, quibus illa utitur,

considerans. In libro autem de Constitutione artis, finis utique consideratione, artem nominavit. Salubre autem, sive, ut Græcis vocatur, ὑγιεινὸν dicitur, quod & sanum est, & quod sanitatem tùm præbet, tùm indicat. Insalubre sive morbosum, seu ut Galenus sua lingua vocat νοσερὸν, itidē tria denotat: quod morbo affectum & obnoxium est, quod morbū affert, quodque morbum indicat. Quod cōtraria hæc intercedit, quum proprium nomen non habeat, per negationem Grecè οὐδέτερον, Latinè verò neutrum dicitur: & triplex existit. Primum quidem est, quod neutrius extremorum affectuum: secundum, quod utriusque: tertium, quod nunc hujus, nunc illius est particeps: unumquodq; autem horum trifariam dicitur. Aliquando quidem ut corpus, aliquando autem ut causa, nonnunquam verò ut signum. Corpus enim quod continet sanitatem, & causa quæ hanc tùm efficit, tùm conservat, & signum quod eandem indicat, omnia inquam hæc salubria dicuntur. Eadē ratione corpora quæ morbos continent, & causæ quæ hos tùm efficiunt, tùm fovēt, & notæ quæ ipsos indicāt insalubria vocantur. Nec aliter corpora, causæ, & signa, neutra appellantur. Cæterùm corpus salubre trifariam nominatur: simpliciter scilicet, in præsentiâ, & magna ex parte. Salubre simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu simplicibus ac primis partibus probè temperatum est: & instrumentis quæ ex illis constant, aptè compositum. Talentiq; corpus semper salubre est, quòd scilicet temperatissimum sit, optimeq; compositum. Salubre verò præsentia, quod in præsenti tempore sanum est, ipsumque quo tempore valet, probè temperatum est, apteque compositum non quidem summa illa constitutione, sed sibi peculiari & propria. Quod autē magna ex parte salubre est, haud longè abest ab optima constitutione. Insalubre autem corpus pari modo trifariam dicitur. Insalubre simpliciter & ferè semper corpus est

Salubre. *Insalubre.* *Neutrum.* *Salubria.* *Insalubria.* *Neutra.* *Corpus salubre, tale est semper & Simpliciter.* *In præsentia.* *Magna ex parte.* *Insalubre corpus.* *Simpliciter.*

est, quod ab ipso ortu primis & simplicibus partibus sive omnibus, sive quibusdam, principibus maximè intemperatissimum est, vel instrumentis malè compactum, vel utrunque, adeoque deterrimam, & semper pessimè durantem nactũ est constitutionem: Insalubre verò in præsentia est, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat. Non obscurum autem est, id quod tempore insalubre dicitur, aut partibus simplicibus intemperatum, aut instrumentis malè compositum, aut utrunque esse. Insalubre magna ex parte corpus est, quod quidem à cõstitutione illa aliquantũ recedit, nondum tamen in medio constitutum est. Neutrum corpus trifariam appellatur. Iuxta primum significatum neutrum corpus est, quod neutrius extremorum particeps, & exquisitè medium est saluberrimi & insaluberrimi corporis, adeoq; inter utraque ambigit, æqualiter ab iisdem distans. Hoc propriè neutrum appellatur: ut est corpus senum, & imbecillium. Iuxta alterum, quod ex ipso ortu contrariorũ simul affectuum est particeps, sive in una parte, sive in differentibus: ut est corpus, quod aliquam, vel aliquas partes probè temperatas & compositas, exempli causa jecur & pedes: alias verò malè temperatas & cõstitutas, ventriculũ nimirum & cerebrum, obtinet. Iuxta tertium, quod aliquando salubre, aliquando insalubre vicissim existit: ut est quod æstate salubriter, hyeme verò insalubriter degit. Atque hæc quidem est λεπτολογία, qua Galenus in explicatione definitionis Herophili, subtilioris sectæ (ut Plinius lib. 26. c. 2. ait) conditoris, & ad verba garrulitatemq; descendentis, uti coactus est. Qua tamen nihil opus esse intelligunt omnes quibus perspecta sunt ea, quæ cap 4. libri de Morborũ differentiis tradit idem Galenus: ut in nostris Commentariis in eum librũ exaratis, & lib. 1. de Simpl. medic. facul. cap. 19. abundè monstravimus. Cæterùm causæ sunt itidẽ triplices: Salubres, quæ sanitatem efficiunt: Insalubres, quæ morbum: Neutræ, quæ neutrum affectũ procreant.

In præsentia.

Semper.

Magna ex parte.

Neutrum corpus.

Prima significatione.

Altera.

Tertia.

Herophilus subtilitatis ac garrulitatis studiosus.

Causæ salubri insalubri.

Signa. Signa sunt itidem triplicia: Salubria, quæ præsentem *Salubria.* indicant sanitatem, futuram prænunciant, & præteritam ad memoriam referunt: Insalubria verò, quæ *Insalubria.* morbum præsentem significant, futurum prædicũt, & præteritum in memoriam revocant. Ad eundem *Neutra.* modum Neutra sunt, quæ neutrum affectum ostendunt, prænunciant, & memoriæ tradunt, & quæ nihil omnino de affectibus indicant: aut non magis salubrem, quàm insalubrem: aut partim salubrem, partim insalubrem: aut aliquando salubrem, aliquãdo verò insalubrem: de quib. copiosius l. 4. cap. 2. di-*Medicina est scientia.* cemus. Medicina itaq; scientia est, non propriè pressèq; (quasi verò ex rebus penitus perspectis, planeq; cognitis, atque ab opinionis arbitrio sejunctis, scientiaq; sive demonstratione comprehensis constaret) sed communiter ac latè sumpto vocabulo, salubrium insalubrium, & neutrorum. Porrò quum propriè loquendo, ut sequenti Cap. fusius docebimus, medicina scientia non sit, alii hanc sic definire maluerunt: *Medicinæ definitio alia.* Medicina est ars ad humani corporis sanitatẽ tuendam, profligandosque morbos comparata. vel ita: *Definitio alia.* Medicina est ars, usu atque ratione constituta, corporis humani bonam valetudinem custodiendi, perditamque recuperandi. Quæ itidem bonæ sunt definitiones, quòd totius medicinæ capita contineant. Sed de medicinæ definitione satis.

QVOD MEDICINA SIT ARS, non scientia. Cap. IIII.

QVùm in definitione medicinæ, quam præcedenti Capite adduximus, diserte dictum sit, medicinam artem esse, & nequaquam scientiam: necessarium erit, ut hoc in Capite, eius rei causam paulò copiosius explicemus. Quod ut ordine præstemus, primò quid sit ars, & scientia per-*Scietia quid?* spicuè exponemus. Scientia propriè est, quæ ex certis, indubitatis, firmisq; principiis comparatur, adeoque demõstratio est, opinioni, & dubitationi contra-

tia. Vel, eſt noticia vera, cui propter demonſtrationem, firmiter adſentimur. vel, ut ſuprà eſt definita, certa, firma, & à ratione non declinans, ſive à nulla ratione evertibilis noticia. vel breviſſimè: eſt certa comprehenſio ſive demonſtratio. Ars autem eſt ex multis noticiis, ac præceptionibus, uſu & exercitatione conquiſitis, atque in unum vitę utilē finem ſpectantibus, coacervatio. Alii ita finiunt: Ars eſt præceptio animi, quæ dat certam viam rationemq; faciendi aliquid, quod utilitatem, aut honeſtatem continet. Proinde quum medicina, quæcunque ratione perluſtrat, ad hominum utilitatem referat, & accommodet, nec ſit eorum, quę neceſſariò fiunt, ſed finem ſuū contingenter nanciſcuntur, artis nomine contineatur par eſt. Neque enim medicina eſt niſi habitus, qui cum ratione vera in faciendo poſitus eſt. quod planè arti convenit; ut teſtis eſt Ariſt. qui lib. 6. Ethic. cap. 3. & 4. arti, adverſus ſcientiam, ſingula hæc diſertè adſcribit, quum inquit: Πάντες γὰρ ὑπολαμβάνομεν ὃ ἐπιστάμεθα, μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως ἔχειν. ἡ μὲν ἄρα ἐπιστήμη ἐστὶν ἕξις ἀποδεικτική: τέχνη δ' ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική. Hoc eſt, omnes exiſtimamus, quæ ſcimus ſecùs evenire non poſſe. Eſt igitur ſcientia habitus, in quo vis quædam ad demonſtrandum eſt poſita: ars verò habitus, qui cum ratione vera aliquid facit. Ars itaq; certam rationem atque viam præbet operis faciendi, totaq; in effectione unius cujuſpiam rei verſatur, idque unum agit & ſpectat, ut rectè efficiatur quodq; eorum quæ ſub artem cadunt, ut meritò ars dicatur habitus quidam cum recta ratione quippiam efficiens. Quæcunque enim efficiuntur, ab una quapiā arte effici eſt omnino neceſſe: quum ſit artium proprium efficere, ut ſcientiæ contemplari. Non eſt igitur medicina, ut quiſpiam exiſtimaret, partim ſcientia, partim ars dicēda: etſi enim multis cōſtat theorematis, (quæ ipſa quidem per ſe continet ſcientia) tamen quoniā omnium inter ſe quàm

Quid Ars?

Alia artis definitio.

Medicina cur ars.

Artis & Scientiæ Diſcrimina, Definitio.

Artis proprietates, & requiſita.

Medicina, nō eſt partim ars, partim ſcientia.

aptissimè cohærentium & concordantium ea est in medicina conspiratio, isque consensus, ut homo incolumis & salvus per eam servari, æger autem in integrum restitui possit, ex ipso fine, universa Medicina artis nomen accipit. Quę dicimus, confirmat author Introductorii seu Medici: qui, Gal. lib. 6. Epid. sect. 2. comm. 31. teste, Herodotus fuit, ubi in eum scribit modum: Rationales aliqui, ut Erasistratus, medicinam partim scientiam, (ut est ea pars quæ causarum & naturæ cognitionem docet) partim conjecturam, (ut curationem, & signa tradentes partes existunt) censuerunt, methodici verò in universum ipsam esse scientiam prædicant. Vtrique autem, potissimùm verò Methodici, à veritate aberrarunt. Scientia enim est conveniens, firma, & nunquam à ratione declinans noticia. Ea verò neque apud Philosophos est, præsertim dum rerum naturas perscrutantur: multò sanè minus in re medica, imò ne omnino ad homines venit. Quamobrem medicina meritò ars dicitur. Si quidem ars est præceptionum & noticiarum usu & exercitatione conquisitarum, ad finem quendam vitæ utilem spectantium coacervatio, cōgestio & dispositio methodica. Præceptiones igitur ipsa Iatrice humanas, & eas multitudine sufficientes; accuratè elaboratas, & sibi concordes, cōsonantes, connexas, & justo ordine cohærentes quia habet: hinc fit ut propriissimè ars nominetur, quòd nimirum artis definitio ei conveniat; & quòd animi præceptiones, in ea, ad aliquam vitæ commoditatem spectent. Quippe homines sanitati restituere, & in sanitate perdurare, ad vitam pertinet. Hæc ille. Quid multis opus est verbis? Ars est præceptio, quæ certam viam rationemque faciendi aliquid docet, quod utilitatem aut honestatem contineat. Non autem est tumultuaria farrago propositionum incertarum, & inutilium, sed accuratè elaboratarum, & à mente examinatarum, ut altera alteram genuisse videatur, & inter se consentiant: multumq; in communi vita, ad

Introductorii seu Medici author quis.

Scietia quid?

In hominem non cadit.

Ars quid?

Ars quid?

certos usus usurpari, & accommodari possint. Ars itaque est medicina, & nequaquam scientia. Quum enim à fine fiat artium denominatio, ac medicinæ finis sit effectio, non meditatio ipsa, (efficit enim sanitatem) ars, non scientia sit oportet. Etsi enim pleraq; nobis in medicina sint per causas demonstrata: tamen hæc ipsa eò sunt ordinata, ut iis cognitis, propositum finem, qui sanitas est, consequamur. Neque enim medica theoremata tantùm ut sciamus mente contemplamur: sed in id, ut illa ad sanitatis tutelam, vel consecutionem, accommodemus. Quæcunque igitur de hominis natura, elementis, temperamentis, humoribus, facultatibus, partium actionibus, item earundem usu, & id genus alia medicus meditando disquirit, nulla alia de causa cognoscere studet, quàm ut per hæc præsentem sanitatem tueri, vel omissam restituere possit. Verùm mox aliquis ita secum cogitabit: Si medicina, ut iam ostensum est, ars existit, igitur coniectatrix erit. Si coniectatrix, igitur nulla theoremata firma, stabilia, & perpetua habebit. Pro hoc nodo dissolvendo animadvertendum, omne theorema præceptúmve, Galeno in libro de Optima secta teste, esse generale & firmum. Erunt itaque etiam singula præcepta medica vera, utilia, & iactis principiis consentientia. Quatenus enim sub animi perceptionem quodlibet præceptum cadit, eatenus verum esse oportet. falsi namque nulla perceptio est. Quatenus autem ad finem aliquem vitæ utilem pertinet, eatenus unumquodque theorema sive præceptum utile & necessarium esse opus est. Coacervationem verò perceptionum ad præceptorū inter se, & ad præmissa principia, consensum habere, necesse est. Quemadmodum enim sub vno principe subditorum multitudo concipitur: sic etiam præceptum ad antè iactum principium refertur. Ob id omne theorema præceptúmve medicinæ, ut etiam aliarum artium, in primis verum esse debet, ut scilicet oratio cum re ipsa congruat: secundò utile, ut videlicet ad

Obiectio diluitur.

Theoremata & præcepta medicinæ firma.

Tria ad præceptū medicinæ requisita.

scopum artis conducat: tertiò iactis principiis consentiens, ut nimirum sese invicem velut gignere videantur. Quæ verò talia non sunt, & quibus unum ex tribus iam dictis deest, theoremata & præcepta medica dici non merentur. Quamobrem hallucinātur illi, qui medicinam artem coniecturalem esse existimant, propterea quòd theoremata coniectatricia habeat. Non enim à theorematis (hæc enim, ut dictum antè, vera atque adeò perpetua, firma, stabilia, & principiis consentientia sunt) sed ab actione & medentium opera, quæ incertum habent eventum, ea coniecturalis dicitur. Proinde ut omnium artium præcepta firma & perpetua sunt, ita etiam medicinæ. Verùm ut non omnium artium finis semper attingi potest, adeoque fit ut illæ coniectrices sint & appellentur, quòd scilicet incertum ancipitémve eventum habeant: sic quoque medicina Coniectrix nominatur, quòd finem suum non semper attingat, & sæpenumerò eo frustretur. Quum enim ventum est ad deducendum finem illum in actum, sæpenumerò medicus caligat, impeditur, fallitur: & longè aliter res contingunt, quàm ars pollicebatur. Medicina igitur à fine, non à præceptis coniecturalis vocatur. Quòd autē medicus, finē artis perpetuò nō assequatur, nō utiq; artis imperfectione accidit: est enim ars undique perfecta, exacta & absoluta, iis omnibus prospiciens, quæ sub ipsam cadunt: sed aut artificum imperitia, aut infelici hominum qui arte egent statu, aut rerum necessariarum inopia & defectu. Vnde illud vulgatum: Non est in medico, semper relevetur ut æger. Nihil autem æquè medicinam, Galeno c. 12. libri de Curādi ratione per sanguinis missionē teste, in suis actionibus coniecturalem efficit, atq; cuiusq; remedii quantitas. Nam etsi frequenter compertum habemus, tempus exhibēdi cibi aut potus, eiusq; aut calidi aut frigidi convenientē formam: tamen quantum dandum sit, certò haud scimus. Idem in purgantibus etiam medicamentis usu venit. Siquidem quod

Medicina cur coniecturalis ars dicitur.

ægrotanti præbendum sit medicamentum, quod aut bilem flavam, aut atram, aut pituitam, aut serosa excrementa vacuet, exquisitè novimus quidem: sed quãtum dari oporteat, ignoramus. Quantitas enim, ut lib. 3. Ther. meth. c. 3. Galenus ait, nec dici, nec scribi, nec omninò percipi potest: ut igitur coniecturis quibusdã colligatur, necesse est. Quare ea medicinæ pars quæ σημειωτικὴ dicitur, ferè tota in coniiciendo consistit: ut rectè Galenus illam mediam inter exactam noticiam, & absolutam ignorantiam, adeoq; artificiosam dixerit. Proinde medicinam ipsam coniectricem facit tum Semeiotice, tum in primis remediorum qnantitas, quæ non nisi coniecturis quibusdam artificiosis deprehendi potest: & dein medentiũ actiones, & opera, quæ incertũ eventum habẽt. Cardanus tractatu 3. suarum Contradictionum, cap. 20. more suo, mirificè in hac quæstione dissolvenda se torquet: sed ita, ut rem magis involvat & obscuret, quàm explicet. Quapropter omnes medicinę studiosos hortor & moneo, ut tanquam pestilentissimũ venenum libros Contradictionũ Cardani fugiant: modò nolint se in eas coniici ambiguitates ac difficultates, unde se perpetuò extricare nequeant.

Semeiotice tota coniecturalis est.

Cardani Cõtradictionũ libri studiosis medicinæ haud legendi.

MEDICINA EX QVO ARTIVM genere Cap. V.

HActenus qd medicina & ꝙ ars, & nequaquã scientia sit, demonstravimus. Reliquum nunc est, ut ex quo artium sit genere, inquiramus. Quod ut rectiùs fiat, initiò animadvertendum erit, artes nõ ex materiis ipsis (quandoquidem materiam unam, constat pluribus artibus subiici, ut lignum, exempli gratia, navium artifici carpentario, machinarumq; structori: sicuti & unã eandemq; artẽ permultis uti materiis, verbi gratia medicæ arti, cùm una sit, infinitæ materiæ subsunt, corpus nẽpe sanitatẽ suscipiens, cibi ac potus, medicamẽta omnia, & quę ad victus rationem pertinent) sed ex fine iudicandas esse.

Artes nõ ex materiis, sed ex fine iudicandas esse.

Propter hunc enim & communibus actionibus, & propriis præceptis atq; principiis differunt. Quapropter si à fine, ut decet, artes iudicemus, earundem quatuor erunt genera. Vna quæ Græcis θεωρητική, Latinis Contemplatoria vocatur. Hæc est, Galeno in libro de Constitutione artis, & in lib. de Optima secta ad Thrasybulum, teste, quæ in sola rerum quas inquirit contemplatione; id est, cognitione & æstimatione, sine ullâ corporis actione, finem habet: ut Arithmetica, Astronomia, & Physica. Siquidem nulla harum, aliquam exigit actionem: sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu, quævis contenta est. Altera Græcis πρακτική, Latinis Activa dicitur: & est quæ actiones aliquas efficit: ubi verò ab actione cessavit, nullum ex se se opus ostendere potest: sed quàm primùm ab agendo cessaverit, finis quoque unà desinit: ut saltatoria, citharistica, & quævis alia ars musica. Nam nihil in saltatoria & citharistica præter ipsam actionem ostendere possumus. Tertia Græcis ποιητική, Latinis Factiva, seu efficiens appellatur, quæ nimirum opificia posteà indicat: vel quæ operis, quod in oculos incurrit, consummatione, finē accipit. Est itaque id, artis huius finis, quod quiescente artifice demonstrare valemus: ut in fabrili grabatum, in pictoriâ imaginem, in statuaria statuā, in ædificatoria domum, in medicina sanitatem. Cæterùm factivæ artes, in tres digeruntur species. Quædam res ipsas creant, componunt, aut novum opus, & ea, quæ non sunt, efficiunt: ut textoria, coriaria, & navium structoria. Nonnullæ quæ facta sunt conservant, corrigunt ac reparant: ut navium gubernatoria, & quæ laceras vestes, & disruptos calceos suunt. Aliquæ utrumque præstant, ut ædificatoria. Huius enim duplicia sunt opera, domus nimirum nondum existentis constitutio, & iam factæ reparatio, & correctio. Quarta Græcis κτητική, Latinis Comparans nominatur, quæ scilicet nihil efficit, ve-

Artiū quatuor genera.

Contemplatoria.

Activa.

Factiva seu efficiens.

Factivæ artes triplices.

Ædificatoriæ opera.

Comparans.

rum res quasdam studio & labore venatur, ac conquirit: ut piscatoria, & ars feras canibus insectãdi, & quævis venatoria. His itaque præmissis, facillimum est scire, è quo artium genere medicina sit. Siquidem, Galeno etiam in libro de Optima secta, & in eo quē de Artis constitutione inscripsit, teste, ex earum est genere, quæ faciunt, & quod iam factum est conservant, instaurant, ac corrigunt, quin imò etiam honores divitias &c. comparant. Factivam verò esse hinc constat. habet enim aliquod opificium, nempe sanitatem, quod finita actione ostendere possit. Neque temerè adiectum est, Finitâ actione. In medendo nanq; nondum medicinæ finis innotescit, utpote quæ adversus morbos semper pugnet: at ubi curationem absolvit, tunc hominem sanitati restituit. Nō solùm autem medicina sanitatem efficit, sed & eam, quæ adest, conservat. Quid multa? Medicina vitiatam corporis humani constitutionem emendat, corrigit, instaurat, atq; adeò sanitatem facit, eamq; iam præsentem conservat. Eiusdem itaque artis est opus efficere, & vitiatum corrigere ac conservare. Non est igitur cur idcirco quispiam geminum esse medicinæ finem existimet. Quod tamen pleriq; faciunt, qui unum esse eius finem putant, id quod non est efficere, utpote sanitatem: & alterum, eam, quæ est conservare. Quum enim, inquiunt illi, per eadem præcepta efficiat sanitatem, & eandem etiam conservet, duplicem utiq; finem habebit. Nisi igitur evidenter eadem essent præcepta ad utrumq; finē ducētia: differentium etiam finium diversæ utiq; essent & artes, & duæ medicinæ. At quoniam eadem sunt theoremata, scopi verò variant, una ars utiq; differentes habebit scopos. Hæc illi. Sed mehercle qui ita colligunt, ii ignorant artis medicę unicum esse scopum propositumve, sanitatem scilicet: finemq; unicum, nempe sanitatis consecutionē: quamvis modi consecutionis ipsius sunt multiplices. Nō mutatur autē neq; scopus, neq; finis, secundum varium consequendæ sanitatis

Medicina ex quo genere artium.

Medicina est ars factiva.

Medicinæ nō geminus, sed unicus est finis.

Iatrices finis unus sed hunc consequendi modi varij.

modum. Quippe nos quæ nocere solent cognoscentes, dum submovemus adversa & noxia, sanitatem consequimur: ubi verò vitamus illa, præsentem sanitatem tuemur. Ex iis igitur quæ hactenus diximus, omnibus fit evidentissimum, medicinam neq; theoriticen, vel ut vulgus conciso vocabulo nominat, theoricam, neque practicam, sive neque contemplatoriam, neque activam propriè loquendo esse. Neq; enim in sola rerum (quas sibi proposuit considerandas) naturæ contemplatione finem suum obtinet, ut Arithmetica: neque etiam ubi ab actione cessavit, nullum ex se opus ostendere potest, vt Musica: sed contrà potiùs, postquàm agere destitit, suum opus evidenter monstrare valet, adeoque, ut diximus, factiva est. Nemo enim unquam tàm absurdè locutus est, qui medicinam in contemplatione finem habere dixerit. Non rectè igitur, & planè contrà Galeni (cuius tamen se, si diis placet, interpretem esse gloriatur) sententiam initio sui vasti Canonis, medicinam partim esse theoriticen, partim practicen, Avicenna docet: quum neutra harum sit, ut iam ostendimus, sed potius factiva. Non esse autem medicinam theoriticen, disertè lib. 8. de Placitis Hippocratis & Platonis, iis testatur verbis Galenus: Hippocrates quidẽ theoriticen contemplatoriámve artem minimè tractavit, Plato verò contemplatoriam philosophiam nobiliorem esse putavit. Quin etiam Averrhoes lib. 6. Collectaneorum, cap. 1. perspicuè Avicennę explodit opinionem, medicinam factivam esse artem, ratione & experimento inventam, quæ tùm sanitatem tueatur, tùm morbum propellat, scribens. Proinde Medicinam, Arithmeticã, Musicam, Astronomiam, Iurisprudentiam secare in Theoricam & Practicam, id est contemplativam & activam recentiorum est inventum. Id quod non alia de causa fecerunt, quàm quòd illi, θεωρήματα, quæ Cicero præcepta interpretatur, huic verò, usum & accommodationem præceptorum ad exempla tribuerunt.

Medicinam neq; theoricam, neque practicam esse.

Avicennæ erratum.

Medicina nõ est theorica.

Quo

Quo ſanè modo, artes omnes in contemplativam & activam dividi poſſunt. Non itaq; ad finem, ex quo artes omnes judicandæ ſunt, reſpexerunt, adeoque ambas voces impropriè uſurparunt. Quapropter ut medicinæ ſtudioſi, errorem hunc perſpicuè cognoſcerent, artium diviſionē paulò exquiſitiorem è Galeno proponere voluimus.

QVA VIA RATIONEVE ARTES tradendæ docendæve ſint. Cap. VI.

MAgni authores, maximè verò Galenus, tria præcipua eſſe artes docēdi genera, memoriæ prodiderunt. Siquidem initio libri qui Ars medica inſcribitur, diſertis verbis ait: triplicem eſſe doctrinam quæ ordini innititur. Vnam quidem quæ ex finis notione, per reſolutionem fit. Alteram autem, ab eorū quæ reſolvendo inventa fuêre compoſitione exorditur. Tertiam ex definitionis reſolutione. Vnde ſatis liquet, eum διδασκαλίαν, id eſt, doctrinam non vocare, niſi id, quod alii Græci μέθοδον, hoc eſt, certam & compendiariam viam ac rationem, alicujus artis tradendæ atq; docendæ, quæ ordini innititur, nominant. Doctrinas itaque appellat, quòd quivis aliquid docens aut ſcribens, earū aliqua utatur. Proinde nihil refert, ſive doctrinas, ſive docendi genera voces. Quia verò quælibet earūdem, certum in docendo ordinem ſervat, ideo rectè à Galeno ordini inniti dicuntur. Atque ea quidem de cauſa nihil etiam refert ſive ab ordine quē in docendo ſervant, ſive à docendi modo doctrinas nuncupes. Qui enim docendi modo aliquo (verbi gratia reſolutorio) utitur, is eum quoque in docendo ordinem ſervat qui à finis notione incipit, & ſerie quadā ſingula reſolvendo, ad principia progreditur. Quum itaque in omnibus artibus tradendis & docendis ordo neceſſarius ſit, ut qui intelligentiam adjuvet, & memoriæ maximè lumen afferat, quandoquidem ſingula aptis & commodis locis collocet: mirum eſt Leonicenum,

Tres doctrinæ ordini innitentes.

Doctrina quid. *μέθοδος.*

Ordo reſolutorius.

Ordinis utilitas.

Leoniceni

Opinio improbata. virum excellenti doctrina præditum, olim contendere voluisse, doctrinam ab ordine potius quem in docendo servat, quàm à modo docendi denominatam esse: quum tamen constet, docendi modum, & docendi ordinem in idem recidere: quandoquidem quælibet doctrina suum habeat & requirat docendi tùm modum, tùm ordinem: nec docendi modus sit, nisi ordo qui in docendo servatur. Cæterùm prima docendi ratio sive methodus Græcis ἀνάλυσις, Latinis verò resolutio dicitur, quòd per hāc, finis in ea resolvatur, quæ ad ipsum referuntur. *ἀνάλυσις Resolutio.* Resolutoria igitur doctrina est, quæ proposito artis fine, beneque cognito, serie quadam, & ordine certo quæque resolvendo progreditur, donec ad principia ventum sit. *Finis.* Nec temere dictum est nobis, Proposito artis fine: quòd scilicet per finem Galenus & alii non quēlibet finem notum, quem sibi quisque animo proponit, & consequi studet: sed proprium potius artis eius, quam quis constituere ac docere nititur, intelligit. *Ordo resolutorius non à quolibet fine progreditur.* Quapropter resolutio ad artis inventionem ac constitutionem conducit, quòd non sit nisi progressus certaque via, (prælucente notitia finis) per ea omnia quæ ad finem spectant, donec ad prima ultimaque ventum sit principia. Resolutio igitur dicitur non quòd resolvere doceat, sed quòd docendo modum, sive ordinem resolutorium servet. Resolvunt itaque Grammatici, quum orationem in dictiones, has rursus in syllabas, easq; demùm in elementa reducunt. Dialectici, quando à particularibus incipientes, ad vniversalia progrediuntur. Philosophi, dum res compositas, in causas & principia referunt, adeoq; totum in partes. Pari modo, ut mechanicæ artis exemplo utamur: qui artem construendæ domus, docere vult, is initiò qua forma quaq; materia tectum sit construendū monstrat. Secundo loco, quomodo parietes sint erigendi: tertio, vt iacienda sint fundamēta: postremo, qua ratione terra fodienda sit, indicat. Idq; dum facit, ordinem resolutorium,

qui

qui à finis notione incipit, servat. Siquidem tectum & defensio à frigoribus & imbribus est finis, quem sibi proponit qui domum vult construere. Resolutoriam doctrinam, Galenus in libro de Constitutione artis medicæ observavit. Primùm enim à finis, nempe sanitatis, notione incipiens, mox ordine resolutorio, quæ sint causæ hanc constituentes & conservantes, inquirit, dein per certa indicia, sanorum & ægrorum corporum naturas vestigat. Quum verò corpora sana egeant conservatione, ægra autem curatione, majorque necessitas medicum impellat, ad corpus ægrum pristinæ sanitati restituendum, quàm ad id quod sanum est conservandum: ideo curandi methodus, in docendo præponitur sanitatis custodiæ. Quia verò curandi methodus commodè exerceri, nisi per quædam indicia interni potissimùm & latentes morbi agnoscantur, nequit: ideo post medendi methodũ, ea medicinæ pars quæ signa tradit, & διαγνωστική Græcis dicitur, subjicitur. Quum verò ad probè curandos morbos non mediocrem utilitatem afferat ea medicinæ pars, quæ futura prædicit, ideo hæc ipsa proximum post Diagnosticen locum sortitur. Ea verò pars quæ ad conservandam sanitatem attinet, cum aliis sibi conjunctis, ultimo loco, ne ordo earum rerũ, quæ ad curandi rationem spectant, interrumpatur, à Galeno docetur. Nullus autem ante Galenum, ut ipsemet in Arte medica testatur, fuit, qui medicam artem, doctrina resolutoria tradiderit. Quum enim ille ad suam usq; ætatem, medicam artem incertam, maleque sibi constantem conspicaretur, facturũ se operæprecium judicavit, si à notione finis, singula quæque usque ad elementa & principia resolvendo, artis inventionem certissimè demõstraret. Atque ita totam quidem artem in libro de Constitutione medicinæ, brevissimè inventam tradidit. Brevissimè inquam, quòd ejus partes, tùm quæ ad servandam sanitatem, tùm quę ad morbos tollendos attinent, in libris de Sanitate tuenda, & in Medendi

methodo explicavit fusissimè. Altera docendi ratio seu methodus, quæ Græcis σύνθεσις, Latinis compositio dicitur, superiori omnino contraria est. Siquidem hæc, ex compositione eorũ, quæ per resolutionem inventa sunt, constat. Compositionis enim doctrina, sive ordo, non est nisi quidam à minutissimis partibus ad majores, ab iis ad maximas, donec ad finem artis perveniatur, progressus. Atque hic utique ordo, non solùm naturæ consentaneus est, & ob id Aristoteli valde probatus: sed etiam, quia excellentiam docentis ingenii ostendit: quòd necesse sit, eum qui componit, omnia habere in numerato, atq; ordine disposita, antè, quàm animum ad docendum appellat. Ordinem hunc prosequuntur Grammatici, quando literas & elementa in syllabas, & has ipsas in dictiones, easq; tandem in orationes reducunt. Dialectici, ubi primùm simplices voces, postea propositiones, dein syllogismum, & tandem demonstrationem docent. Philosophi, dum à principiis exordiendo, ad ultima quæ primò conceperant, progrediendo, doctrinæ terminum statuunt: aut quum à simplicioribus incipientes, ad composita progrediũtur. Medici, ubi primùm elementa, dein ex horum mistura conflata temperamenta, postea humores & spiritus, tandem facultates, & ab iis prodeuntes functiones, ad quas quidem edendas opus est partibus, & instrumentis, quæ corpus humanum constituunt, edocent. Quum verò corpus humanum variis mutationibus sit obnoxium, ideo mox, quomodo ratione aëris, motus ac quietis, cibi & potus, somni & vigiliæ, excrementorum item vacuatione, ac retentione, animiq; perturbationum, illud mutetur & alteretur, tradunt. Postremo loco morborum & symptomatum, quæ illos cõsequuntur, tùm differentias, tùm causas, prætereà notas quibus morbi dignoscũtur, & medicamenta quibus illi curantur, universamque eorundem curandi rationem explicant. Architectus domum fabricare volens, compositorio utitur

σύνθεσις. Compositio.

Qui præcipuè utantur σύνθεσει?

ordine,

ordine, si primùm terram effodit, deinde jacit fundamenta, tertio loco parietes construit, & tabulata, quarto loco trabes ponit, ultimo tectum fabricat. Quòd si verò jam quæratur, utra illarum duarũ doctrinarum altera melior & præstantior sit, respondendum erit, resolutoriam quatenus artem primùm invenit, eatenùs esse dignitate præstantiorem. Quatenùs autem compositoria, ea, quæ per resolutoriam inventa sunt disponit, digerit in ordinem & componit, ac copiosiùs docet, eatenùs resolutoriam dignitate superat, quòd nimirum finis præstantior sit iis, quæ propter finem sunt. Nemo est autem qui ignoret, resolutoriam doctrinam in hunc finem invenire, ut ea, compositoria rectè digerat & componat. Tertia methodus sive doctrina Græcis ὁριστική, Latinis definitoria nominatur, est quæ ex definitionis divisione, seu dissolutione fit. Neq; enim dissolutio est, nisi totius, in partes divisio. At totum est res ipsa quæ definitur; definitio autem partibus constat, quæ rei naturam indicant. Hac usus est Galenus, in libro qui Ars medica inscribitur, ubi definitionis medicinæ declaratione, totam complexus est artẽ, eam in partes dividens: deinde partes illas in alias, explicando singulas, nec à consideratione illarum desistens, donec singulas divisionis partes, usq; ad ultimas declaret. Atq; hanc quidem dignitate atq; ordine, qui memoriã valdè juvat, reliquis præstare affirmat. Hactenùs igitur ex Galeno docuimus, tres esse vias modósve, quibus certo ordine, ars aliqua scribi aut doceri potest. Quo ad singularũ usus, Resolutoria ad artis inventionem aptissima est, quemadmodum Galenus in eo libro cui titulum fecit, De artis constitutione, ut dictũ est, luculenter ostendit. Compositoria ad docendũ accommodatissima existit: ideoq; ut dictũ est, docẽdi copiâ & facultate reliquis præstat. Definitiva, iis quæ discuntur, tenaci memoria firmandis, omniũ utilissima est: siquidẽ, ut diximus, memoriam mirificè juvat. Etsi autẽ Galenus totam artem in libro de Artis

Utrùm resolutoria, an compositoria doctrina melior & præstantior sit.

ὁριστική. Definitoria.

Usus trium doctrinarũ.

Galenus cur compositoria doctrina non sit usus.

constitutione, resolutorio, & in arte medicâ definitivo ordine tradidit: nusquam tamen, uno in libro integram artem membratimque distinctam ac demonstratam reliquit, adeoq; compositorio docendi genere usus est. De quo non est cur aliquis miretur: quandoquidem cuivis promptum & facile sit, ea omnia quæ hâc resolutoriâ doctrinâ ac methodo inventa, & sparsim in variis suis monumentis disseminata sunt, in unum veluti corpus, ex iis locis & libris, quos ille de Ordine legẽdi suos libros memorię posteritatis reliquit, redigere. Atque ejus conatus pulchrè adjuvabunt complures nostra ætate doctissimi viri, qui de ordine legendi Galeni libros scripserunt, ut supervacaneũ esse putarim, ea de re hîc copiosiùs verba facere. Porrò quia Galenus uno in libro, compositorio usus ordine, artem totam non conscripsit, ideo Avicenna, inter Arabes facilè recentiorum medicorũ calculo princeps, opus illud suum Canonum appellatum, quinque magnis libris distinctum, compositorio ordine compilare, adeoque quod à Galeno neglectum studio & certo consilio erat, si diis placet, sarcire voluit. Atque hoc sui ordinis fuco non tantùm barbaris medicis, sed plerisq; etiam aliis doctis viris imposuit, qui omnia illum accuratè digessisse, & ordinis concinnitate omnes alios superasse crediderunt. Verùm illi parùm animadvertunt, Avicennam ordinem hunc, quem sequi constituit, aliquando interrupisse. Nam universalia totius artis, & curationis morborum, in Canonis sui librum primum congessit, & in secundo de simplicium medicamentorum facultatibus egit: quum tamen liber ille qui medicamentorum simplicium facultates docet, juxtà compositorum ordinem, curandi rationem, Galeno in fine libri de Arte medica authore, antecedat, & recto ordine tertium de Temperamentis sequatur. Gentilis quoque Avicennæ expositor præcipuus: multis locis, eum, à legitimo compositorio ordine aberrasse animadvertit, nec illum

Avicennæ ordo qualis.

Gentilis Avicennæ interpres.

aliâ

alia ratione excusat, quàm quòd ita placuerit Principi: sic enim Avicennam, medicorum eius temporis more, appellat. Hûc accedit, quòd fieri non possit, ut Avicennæ absolutum concedamus ordinē, quandoquidem, rerū quas tractat repetita subinde mentio recurrat. Denique, dum ille, multa hinc inde apud Galenū & alios Græcos dispersa, in certas propriasque sedes colligit, & serie quadam disponere studet, ordini tantùm intentus, diligentiori rerum consideratione neglectâ, aut non satis perspectâ, nō potuit quædam etiam simul parum idonea, non cōgerere, & ordinem in multis confundere. His igitur de causis factum est, ut Avicenna non ordinem & lucem, sed tenebras potiùs & confusum chaos condiderit, & posteritati legendum magno multorum detrimento reliquerit. Sed ad tres vias, doctrinásve seu modos quibus ars aliqua certo ordine scribi aut doceri potest, redeamus, sub quibus reliqui omnes docendi ordines complectuntur. Quippe demonstrandi ratio, quam aliqui inter docendi methodos numerant, sub tripartita docendi viâ continetur: nec opus est novam condere methodum, quandoquidē ea quæ ad demonstrandum requiruntur instrumenta, eá, ut per totam dialecticam fusa sunt, in eaq; continentur, sic viam novam non habent, sed hoc triplici docendi ordine comprehensa sunt. Cognoscitur enim tùm demum perfectè natura, visq; rei proposita, quum dividendo, definiendoq; est explicata: id id quod tertiâ Galeni docendi via facere docet. Deinde sunt duo demonstrationum genera: unum quod τοῦ ὅτι à Græcis vocatur, quo rem simpliciter demonstramus: id quod fit, si ex effectibus demonstrentur causæ: quod quùm facimus, componendi methodum sequimur. Alterum, quod τοῦ διότι nominatur, quùm contrà quàm in superiore, à causa ordimur, & ad ea quæ ex ea manāt descendimus: quod quidem fit resolutione. Cæterùm dividendi met-

Sub tribus doctrinis reliquæ complectuntur methodi.

Demonstrationum genera bina sunt, τοῦ ὅτι, τοῦ διότι.

hodus, quam nonnulli, iam dictis, & à Galeno commemoratis doctrinis adjiciunt, sub definitivâ comprehendi potest. Nam utraq; dissolutione totius in partes constat. Quippe si quis rem aliquam definit, is deinde definitionem in certa paucaq; genera digerit, adeoq; divisione utitur. Sic divisio, totum quoq; in partes dissolvit, adeoque à definitivâ non differt, quòd eodem, in utroq; docendi genere, ordine progrediatur. Tamen quatenùs definitiva, sola divisione contenta non est, sed singula definitione declarat, eatenus à divisione differt.

QVOT IN VNIVERSVM MEDIcinæ partes. Cap. VII.

QVùm abundè iam ostenderimus, quid medicina, quodque ars, & quidem factitia sit, restat, ut quot sint huius partes, explicemus. Súnt autem maximè propriæ, utpote per quas finem artis consequimur, numero quinque, & universæ Græcis appellationibus donatæ. Prima Φυσιολογικὴ dicitur, & est, quæ universam hominis, (qui medicæ artis subiectum & materia est) naturam, & constitutionem, indagat, ac perquirit: hoc est, quæ de hominis elementis, humoribus, spiritibus, temperamentis, partibus, earumque facultatibus, & actionibus tractat. Ad eam igitur medicinæ partem spectant Galeni libri de Elementis, de temperamentis, de facultatibus naturalibus, de fœtus formatione, de semine, de placitis Hippocratis & Platonis, de administratione anatomicâ, de usu partium humani corporis, & id genus alii. Hos idcircò Naturales vocat, quòd scilicet de humani corporis natura tractent, & in iis causæ constitutionis partium totius animalis, & humani corporis assignentur. Atque iam dicti libri Galeni à medicinæ initiatis diligenter cognoscendi sunt, quòd fieri nequeat, ut ea quæ à naturali constitutione recesserunt probè teneamus, nisi prius ea

Φυσιολογική.

Naturales libri.

quæ secundùm naturam se habẽt, & naturalia nominantur, cognoscamus. Altera est ὑγιεινή, quæ sanitatẽ tuetur præsentem, & quò minus in morbos incidat corpus, præcavet. Cæterùm sanitatis custodia, è quatuor rebus pendet, admovendis, educendis, faciendis, & extrinsecùs incidentibus. Admovendorũ autem nomine, cibus, potus, & si quid medicamentorũ intrò sumitur, etiam aër attractus, intelligitur. Faciendorum verò, frictio, ambulatio, vectio, equitatio, & omnis alia corporis exercitatio, præterea in hoc genere continentur somnus, vigilia, venus, animi affectus. Foris incidunt, aër nobis circũdatus, unguenta, lavacra. Educenda, quæ in aluo, iecore, liene, venis & arteriis, reliquisque corporis partibus excrementa, colliguntur. Hanc partem in libris, verè aureis, quibus de tuenda sanitate titulum indidit, & in iis quos de alimentorum facultatibus, ac in eo, quem de boni & mali succi cibis inscripsit Galenus, absolutissimè tradidit.

ὑγιεινή. *Custodia sanitatis quatuor rebus constat.* *Admovenda.* *Facienda.* *Foris incidentia.* *Educenda.*

Tertia αἰτιολογική, & alio nomine παθολογική, dicta est, quæ causas, affectus præter naturam, & symptomata inquirit. Ad hanc medicinæ partem pertinent Galeni libri de morborum & symptomatum differentiis, ac causis inscripti. Quarta σημειωτική, indicia tradit; quæ & integram & adversam valetudinem luculenter demonstrant, atq; adeò præteritorum memoriam, præsentium cognitionem, & futurorum prædictionem continent, rem certè omniũ maximè, & ad affectuum dignotionem necessariam, & ad curandi rationem valdè utilem. Ad eam medicinæ partem spectant Hippocratis libri omnes, quibus titulum fecit de præsagiis. Item Galeni libri de laborantibus locis, de iudiciis, de diebus decretoriis, de differentiis febrium, de prænotione, de differentiis pulsuum, & de prædictione ex pulsibus.

αἰτιολογική. *παθολογική.* *σημειωτική.*

Quinta θεραπευτική, est quæ legitimorũ præsidiorum admotione, morbum propulsat, sanitatemq; re-

θεραπευτική.

ſtituit, & in ſumma, medendi rationem docet. Hanc partem omnium calculo, doctiſſimè & pleniſſimè Galenus 14. libris de medendi methodo, & duobus ad Glaucon. item in quinto maximè de ſimpl. facult. tractavit. Ad has itaque quinque partes, ex quibus medicina conſtituitur, & nequaquam ad finem medicinæ, reſpicientes nonnulli, medicinã partim theoricen, partim practicen faciunt. Nam eam partem, quæ univerſam corporis humani naturam & conſtitutionem naturalem inquirit: itemq; eam, quæ affectus prӕter naturam indagat, & eam etiam, quæ ſigna tradit, cùm omnes in contemplatione, & ſimplici rerum cognitione verſentur, theoricen appellant. Eam verò, quæ ſanitatem tuetur, & eam quæ morbos propulſat, quòd in actione conſiſtant, practicen. Verùm quum artes ipſæ ex fine, ut dictum eſt, iudicandæ & diſtinguendæ ſint, hæc ſectio ab eruditis omnino, tanquam inutilis, & à veterum ſententia evarians, contemnenda & repudianda erit.

Cur nonnulli medicinam in theoricam & practicã ſecant.

QVOT MEDICATRICIS MEDIcinæ partes. Cap. IIX.

HActenus quot ſint in univerſum medicinæ partes, quàm potuimus breviſſimè monſtravimus: nunc quòd poſtrema pars, nempe θεραπευτική, in alias tres, easq; præcipuas medicinæ partes, digeratur, ſcilicet διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, καὶ χειρουργικὴν, oſtendemus. Διαιτητική eſt, quæ victus ratione morbis medetur: vel, quæ curandi rationem, per victum tradit. Victus verò nomine non ſolùm cibus & potus, ſed & exercitatio, ſomnus, vigilia: in ſumma, omnes res non naturales medicis vocatæ, de quibus paulò pòſt ordine diſſeremus, intelliguntur. Hæc utique potiſſima medicinæ pars eſt, ſine quâ reliquæ duæ partes, quæ curandis morbis præſunt, conſiſtere, ſuoque munere fungi nequeunt. Hanc in primis Hippocrates multis in locis ſuorum monimentorũ,

Διαιτητική.

Victus nomen.

præter-

præſertim verò in Aphoriſmis, & in tribus de victus ratione morborum acutorum libris, diligenter excoluit. Quæ eò accuratius nobis inquirenda & diſcenda erit, quòd ſæpenumerò leviſſimum etiam in victus ratione erratum, in acutis morbis admiſſum, maximi incommodi & irreparabilis damni, imò nōnunquam interitus ægri, cauſa ſit. Quod multis certè in locis Hippocrates & Galenus luculēter demonſtrarunt, & idipſum quoque quotidiana experientia confirmat. Quapropter mirari ſatis non poſſum quorundam noſtri ſeculi medicorum oſcitantiam dicam, an temeritatem potius, ignoro, qui eius partis in profligandis morbis nullam prorſus, aut perexiguam ſaltem, rationem habent, præclarè actum eſſe cum ægroto exiſtimantes, ſi unam aut alteram formulam, quam illi receptam nominant, ex qualibuscunq; medicamentis, ſibi maximâ ex parte ignotis, concinnatam corraſerint, & ad ſeplaſiarios ſuos, æquè imperitos, imò multò illis indoctiores, transmiſerint: nihil curantes, quâ æger victus ratione interim utatur. Quàm enim hoc damnoſum ſit ægrotantibus, & ab Hippocratis, Galeni, aliorumque veterum medicorum inſtituto alienum, nemo ſanè qui monumenta illorum, quæ poſteritati reliquerunt, introſpexit, ignorare poteſt.

Notatur noſtri ſeculi medicorum oſcitantia & temeritas.

φαρμακευτική eſt, quæ medicamentis intrà & extrà corpus admotis medetur. Sunt verò hæc ipſa duplicia, nempe ſimplicia & compoſita. Ad exquiſitam igitur curandi rationem, inprimis ſimplicium medicamentorum cognitio neceſſaria eſt. Nam ut ridiculum, imò turpe prorſus eſt, fabrum lignariū ſerram, aut aſciam, ſutorem ſubulam, ſartorē forficem ignorare: ſic etiam meritò ab omnibus ridebitur ac contemnetur medicus, qui eius quā profitetur artis materiam, quæ illi in propulſando morbo inſtrumenti vice eſt, non ſatis perſpectam habet. Quocircà meritò reprehendendi veniunt noſtræ ætatis medici, qui omnes propemodum, curam cognoſcendarum ſtir-

φαρμακευτική.

Simplicium medicamentorum cognitio medico neceſſaria eſt

pium in seplasiarios, homines magnâ ex parte indoctissimos, aut stolidas certè mulierculas rejiciunt: cùm tamen, si modò rectè mederi velint, harum non solùm facultates, sed & faciem ac formam, ne scilicet adulterinas, pro legitimis usurpent, cognoscere illos oporteat. Ad quam sanè cognitionem consequendam proderit, ut ex Græcis authoribus legant Theophrastum, Dioscoridem, Galenum, Paulum, Aëtium, Oribasium, Actuariũ, & Symeonem Sethi. Neq; enim veteres duntaxat Græci ad rectè cognoscenda simplicia medicamenta sunt adhibendi, sed etiam posteriores, recentioresque, quòd scilicet illi multa protulerint, literisque mandarint, quæ prioribus incognita, & indicta prorsus fuerunt, & quorum hodie frequens est in officinis medicorum usus. Inter Latinos, quem in hoc negocio consulant, præter Plinium, ex veteribus neminem habent. Is enim (id quod plerosq; decet) iis, qui studio cognoscendarũ stirpium tenentur, minimè contemnendus erit, quòd in eo, multarum rerum, herbarumq; historię reperiatur, quæ à nullo alio vel Græcorum, vel Latinorum, qui saltem hodie extent, traditæ sunt. Habet tamen is in percensenda simplicium historia suos errores, quo nomine ut cũ iudicio & delectu pleraq; illius legas, oportet. Neque etiam propter vetustatem omninò contemnendus erit Apuleius Platonicus philosophus, cuius de aliquot, nec iis sanè paucis, stirpibus extat scriptum. Arabum de stirpibus Commentarii ideò legendi sunt, quòd plerasq; Græcis incognitas scripserint. In iis tamen legendis acri iudicio opus erit, quòd non raro unam pro altera pingant, nec satis disertè quas tractandas susceperũt, explicare possint, & quòd multis erroribus eorundem scripta referta sint. Inter hos verò unus Serapion omnibus ceteris præferendus erit, ut qui in hoc genere reliquos omnes superarit. Is enim non sólùm ea, quæ à Dioscoride & Galeno sunt de stirpibus prodita, verùm etiam ab aliis Arabibus se vetustioribus annotata, literis

Qui scriptores ad simplicium noticiam consequendam necessarii.

Plinius in cognitione simpliciũ nõ contemnendus, cum iudicio tamen legendus.

Apuleius.

Arabes.

Serapio.

teris

teris mandavit, & uno in volumine complexus est. Est verò & hoc etiam nomine, præ aliis legendus Serapio, quòd ex huius cũ Dioscoride collatione, multa, iniuriâ temporis, & librariorum culpâ depravata loca, pristino nitori restitui ac emendari possint. Adhibendum verò in eo quoque legendo iudicium, ne falsa pro veris temerè arripiantur. Nam in eo, ubi Arabum de stirpibus, aliaq; materia medica refert opiniones, mira rerum confusio est, ut certè iudicio exquisito iis, qui illas excutere volunt, opus sit. Porrò ad rectè cognoscendas stirpium tùm effigies, tùm facultates, non parùm, ut speramus, adiuvabunt studiosos commentariorum nostrorum de stirpium historiâ tomi tres: in quibus non solùm singularum, quãta potuimus perspicuitate ac brevitate, historias exposuimus, verùm etiam vivas, & exquisitâ ratione expressas earundem imagines, intuẽtium oculis subiecimus. Qui sanè eo nomine gratiores esse debent, quòd ad vivas herbas studiosos quasi manu ducant, & in inquirendis stirpibus eos plurimùm dirigant, & quasi in rem præsentem perducant. Quod ut planè præstare possent, universas stirpium effigies maiori formâ pingi curavimus. Nam quę in angustum redactæ sunt, quod plagiarii pleriq; nostras deformantes ac depravantes faciunt, singulas herbarum partes exprimere nõ possunt. Debent itaq; multis nominibus maiores, esse minutioribus cariores. Cæterùm quum nõ omnes corporis præter naturã affectus simplices, sed ex iis non pauci compositi sint, atq; adeò ad hos propulsandos, nõ simplicibus, sed cõpositis medicamentis opus sit, cõponendorũ quoq; medicamentorum rationem teneamus, necesse est. Quam certè optimè Galenus in libris de Compositione medicamentorum generalium & localium tradidit.

Autoris de stirpium historia commentariorũ tomi tres.

Magnarum picturarum quis usus.

Compositorũ medicamentorum usus necessarius.

Atque optandum sanè esset, ut illum hodie, in componendis medicamẽtis potiùs quàm Arabes sequeremur. Et è re quoque tùm medicorum, tùm ægrorum esset, ut illius compositiones in usum quo-

Galenus in componendis medicamẽtis imitandus.

tidianum revocarentur. Nam etsi quædam in eius compositionibus reperiantur medicamenta simplicia, parùm hodie cognita, aut prorsus ignorata: tamē cogitandum, idem etiam in Arabum compositionibus nobis usuvenire, ut quàm plurima scilicet in iis simplicia ignoremus. Adde quòd nobis succedaneorum libellum reliquerit Galenus, ex quo facilè quid in eorundem, quæ nobis incognita sunt, nec haberi hodie possunt, vicem sit restituendū, cognoscemus. Verùm quum constet Galeni compositiones multas iniuriâ temporum interiisse, prestat illi adiungere recentiores Græcos, Paulum, Aëtium, Actuarium, & præsertim Nicolaum Alexandrinum unguentarium, quem hodie non sine multorum risu, Præpositum nominant, μύρεψον vocem, in hanc, (ob linguæ Græcæ ignorantiam) immutantes. Atq; hunc certè præ aliis confert legere, quòd ex huius præscripto omnes hoc tempore Seplasiæ sua componant medicamenta. Quùm verò de hoc Authore hactenus vix sextam partem, eamq; multis in locis depravatam, extare intelligerem, ut hunc integrum haberent deinceps tùm medici, tùm Seplasiarii, non piguit nos eius laboris, ut illum è Græco sermone, in Latinum converteremus. Et debet sanè utrisq;, nostra opera, esse hoc saltem nomine, grata, quòd suas, quibus hactenus usi sunt; compositiones ex nostrâ conversione emendare, & si qua in illis defuerunt, hinc restituere possint: Siquidem perspicuè ex ea deprehendent, nullam ferè esse in officinis, medicorum Nicolai compositionem, quæ omni ex parte legitima sit, & in quâ non aliquid vel desideretur, vel perperam adiectum sit. Quod verò ad novas attinet cōpositiones, qui illas rectè componere studet, is principiò curet, ut exquisitam simpliciū habeat noticiam. Dein, ut nostratia & cognita potiùs quàm peregrina & ignota ad cōpositiones adhibeat. Quòd si peregrina etiam ad medicamentorum compositionem accersere voluerint medici, ut legitima & nequaquam spuria sint, dent operam.

Galeno in cōpositionib. medicamētorum qui adiungendi.

Præpositus p μύρεψος, dixerunt Græcæ linguæ imperiti.

Nicol. Myrepsus à Fuchsio conversus.

Quæ ad rectè cōponenda medicamenta requirantur.

operam. Longiſſimè verò ab hoc inſtituto abſunt noſtri temporis medici, qui ſuis compoſitionibus ea potiſſimùm adhibent medicamenta, quę nec ipſi, nec Seplaſiarii, illorum miniſtri, agnoſcunt. Hi ſanè ſunt, quiſe nihil effeciſſe arbitrantur, niſi Indiam, Aethiopiam, Arabiam, & illos extrema orbis parte ſitos Garamantas coniungant, & à tribus mundi partibus cõquiſita remedia corradant. Quorum profectò medicorum inſignem ſtulticiam, & inanem oſtentationẽ, Plinius lib. 24. cap. 1. eleganter admodum iis depingit verbis: Poſtea, inquit, fraudes hominum & ingeniorum capturæ, officinas invenêre iſtas, in quibus, ſua, cuique homini, venalis promittitur vita. Statim compoſitiones & miſturæ inexplicabiles decantantur. Arabiâ atq; Indiâ in medio æſtimantur, ulceriq; parvo, medicina à rubro mari imputatur, cùm remedia vera quotidie pauperrimus quiſq; cœnet. Hæc ille. Modò dictis ſimiles ſunt, qui ſuis compoſitionibus falſa & adulterina pro veris ac legitimis miſcent. Quales certè ſunt, qui pro vero acoro, vulgari illo & paluſtri utuntur. Item, qui adulterinis eupatorio, ſerpentariâ, ſcordio, endiviâ, & id genus multis aliis, admoniti etiã ſæpenumero, & erroris manifeſtè cõvicti, uti non ceſſant. In quos certè præfractos aſinos magiſtratum animadvertere deceret, ne ſubinde illis impunè in vitam hominũ graſſari, pro arbitratu ſuo liceret. Redarguendi quoq; ſunt huius ætatis medici quidam, qui in corradendis medicamentis ſimplicibus, nullum planè modum faciunt. Nam dum componunt ſua medicamẽta, laudem aliquam ſibi comparare ſtudent ex eo, quòd infinita ferè medicamenta miſcent. Atq; in hoc quidem ſtudio alter alterum ſuperare conatur, dum quiſq; ſe quidem eò doctiorem aliis eſſe putat, quò plura miſcuerit medicamenta. Sed ſtulti mehercle homines, ut qui nõ quàm benè ac rectè, ſed quàm copioſè componant medicamenta, unicè ſtudent. Quapropter evenit, ut dum ſuis cupiditatibus temerè indulgent, eruditionemq;

Medicorum noſtri temporis in componendis medicamẽtis ſtultitia & laſcivia.

Plinius taxat peregrinorum medicaminum inventores.

Magiſtratus hic requiritur autoritas.

Reprehenduntur qui nimis multa permiſcent ſimplicia.

oſtentare ſtudent, imperitiam ſuam potius prodant, ac doctis omnibus ſe ridendos exhibeant, proq; ſperatâ gloriâ, ignominiam non levem ex monſtroſis iſtis, nulloq; artificio cōcinnatis, & à ratione abhorrentibus compoſitionibus cōſequantur. Præſtat itaq; pauca, & ea quidem cognita, legitima, & optima ratione inter ſe miſta, quàm infinita, nec omnia ſatis perſpecta, & maxima ex parte adulterina, nullaq; arte ac ratione inter ſe confuſa, compoſitionibus, medicamenta ſimplicia inſerere. Quæ verò ſit legitima componendorum medicamentorum ac formularũ ratio, hiſce noſtris temporibus uſitata, in quatuor libris ea de re exaratis tradidimus ita perſpicuè, ut ab omnibus intelligi ac cognoſci poſſint. Tertia medicatricis medicinæ pars χειρουργική dicta eſt, quæ manibus medetur. Hanc Galenus multis in libris magnâ cum laude docuit, nempe libris Therap. methodi, Tertio, Quarto, Quinto, & Sexto: item in Commentariis quatuor in librum Hippocratis de articulis, & in tribus aliis in librum eiuſdem de fracturis, in Cōmentariis quoq; in librum Hippocratis de vulnerarii medici munere conſcriptis. Deniq; in Commentariis in librum Hippocratis de ulceribus & vulneribus capitis, & multis aliis libris, qui non extant, ſed vel temporis iniuriâ interierunt, vel apud invidos quoſdam βιβλιοτάφους latent, & cum blattis & tineis egregiè rixantur. Ad chirurgiam exercendam conducit etiam ſextus Pauli Æginetæ liber, quem tamen ex Galeni libris, ut alios omnes, expilavit. Hæc medicinæ pars omnibus medicis, ſi non hoc nomine, ut illam exerceant, at ideò ſaltem, ut medici, adſtantes chirurgis, quid faciendum ſit præſcribere, & eorundem errata, quæ ferè quotidie multa admittunt, reprehendere, corrigere, & prohibere poſſint, diſcenda erit.

Præſtat pauca quàm varia miſcere ſimplicia.

Χειρουργική.

QVOT

QVOT MEDICORVM SECTAE. Cap. IX.

CVm abundè jam de medicinæ partibus dictum sit, reliquum est, ut unde hæc ars comparari queat, monstremus. Varia verò, ea de re, opinati sunt medici, ideoque in varias etiam sunt scissi sectas. Secta autem, ut hinc ordiamur, est dogmatum coacervatio, quæ se mutuò consequuntur, aut cõsequi apparent, & putantur. vel: Secta est multitudinis dogmatum artificiosè constructorum, atq; ad unum finem relatorum consensus. Celebres verò in medicina sectæ tres fuerunt: nempe Empirica, Methodica, & Rationalis. Primæ sectæ authores solam experientiam, arti satis esse affirmabant: hâcque de causâ non ut cæteri ab inventoribus, sed ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας, hoc est, ab experientia, se Empiricos nominaverunt. Neque enim veluti Rationales, seu dogmatici, artem indicatione simul & experimento cõstare putabant, sed experientiæ totam inniti, quam & eorum observatione, quæ sæpe simili modo contigerunt, conflari affirmabant. Neq; enim observatio est, nisi experientia. Proinde τηρητικοί alio nomine, quasi dicas observatores appellati sunt. Eadem itaque est, Galeno etiam in lib. De optima secta, teste, observatio, quæ experientia. Quapropter experiẽtia est ejus, quod sæpius, & eodem modo visum est, comprehensio seu observatio, & memoria. Siquidem omnis generis experientias, communi nomine memoriam appellaverunt. Hinc etiam μνημονευτικοί, id est, memorantes sunt dicti. Memoriam autem eorum, quæ utplurimùm in iisdem malis, idem facere deprehenderunt, θεώρημα vocaverunt. Summa itaque illius cautio fuit, ne quis ullo pacto ab indicatione quippiam inveniri opinaretur. Est autem indicatio, ut Galenus in libr. De optima secta scribit, cognitio

Secta quid.

Tres medicorum celebres sectæ.

Empirici.

Observatio τηρητικοί.

Experientia quid.

Memoria.

μνημονευτικοί.

θεώρημα.

Indicatio.

ſive comprehenſio juvantis, unà cum nocentis comprehenſione, cum re indicante ſimul adveniens, ſine obſervatione, aut ratiocinatione. Vel brevius & apertius, Indicatio eſt, cognitio juvantis & nocentis, quæ cum re, quæ juvamento eget, cognitâ, ſimul advenit, absque obſervatione & ratiocinatione. Quod enim juvat, primò cognoſcendum eſt; & eadem ratione poſtea quod nocet, deprehenditur. Quæ itaq; per indicationem comprehenduntur, & inveniuntur, in natura rei ſunt deſignata: perceptâ enim natura ejus, quod nos ad agendum movet, & moliendum aliquid impellit, protinus etiam unà cum eo quid agendum ſit, & quid fugiendũ ſit, quaſi digito oſtendit. Vnde ἐνδείξεως, indicationisque nomen ductum eſſe intelligitur. Exemplo res planior fiet. Qui quid morbus ſit, qualisq; ejus natura, cognoſcit, is ſtatim etiam novit, quid faciendum ſit. Quûm enim morbi natura, corporis noſtri naturæ inimica & infeſta ſit, ſui ablationem monſtrat, nulla interim adhibita nec obſervatione, nec ratiocinatione. Proinde quòd febricitantibus frigida conveniant, ita indicante febris naturâ, cognoſcimus. Contrà, calida illis obeſſe ſcimus, quòd hæc contraria ſint iis, quæ prodeſſe morbus indicavit. Id nec obſervatio, nec ratiocinatio dictitat. Nam obſervatio ſeu experientia rerum naturam non expendit, ſed longo rerum uſu ſe tuetur. Quapropter eâ in omnibus utuntur Empirici. Ratiocinatione quoque ſive demonſtratione non eſt opus: quòd rei naturâ propoſitâ, ſtatim quid conferat, aut quid obſit, cognoſcimus, nec ut ratione aliqua abditas cauſas inquiramus, oportet: ut lib. 5. c. 1. fuſius dicemus. Cæterùm cognitio, quæ ex propria inſpectione, quam αὐτοψίαν Græci dicunt, habetur, iisdem triplex erat: nempe fortuita, conſulta, ſive ex inſtituto noſtro apparens, & imitatrix. Fortuita, quæ Græcè τυχική nominatur, eſt quæ ſine humano conſilio, vel caſu, vel natura evenit. Caſu, ut ſi quis, (cui

Exempla Indicationum.

αὐτοψία Empiricorum eſt triplex.

Fortuita 1.

occipi-

occipitium dolore afficiatur) ex alto deciderit, atque inde venâ frontis rectâ disruptâ & incisâ, sanguineque effuso, juvetur. Natura, ut si febricitanti sanguis sponte per nares effluxerit, statimque desinat febris. Hujus generis juvantia, & lædentia φυσικά, hoc est, naturalia, vocabant. Eam quidem inspectionem quę fortuitò & inconsultò, neque ex instituto nostro accidit, περίπτωσιν, quasi incidentiam dicas, aut fortuitam occasionē appellarunt. Consulta autē vel ex nostro instituto apparens cognitio est, quæ ex proposito nostro accidit: ut si quis in febre perditè sitiens, ad bibendam aquam, vel mala granata edenda coactus, febrem evaserit: vel in monte aliquis à serpente ictus, herbam, quæcunque sibi oblata fuerit, vulneri adhibens, sanitatem inde recuperaverit: vel si quis somniis admonitus venam in morbo tundens, sanitatem consecutus fuerit. Hæc quia præpropera est, ac subita quasi, ideò αὐτοσχεδιαστικήν, vel αὐτοσχέδιον, id est, subitò factam, vel ex tempore paratam nuncupaverunt. Tertia cognitio illis μιμητική, id est, imitatrix, eò quòd imitatione comparatur, dicebatur. Fit ubi quispiam imitatur, quod semel aut bis, aut etiam frequenter effectum conspexit. Quæ quidem ultima cognitio, ipsorum artem maximè constituisse videtur. Quoniam verò Empiricis interdum morbi quidam incogniti occurrebant, vel quorum non habebant satis explorata remedia, instrumentum quoddam ad invenienda remedia commenti sunt, nempe τὴν τοῦ ὁμοίου μετάβασιν, id est, transitum, transgressionémve ad simile: quo utentes, idem sæpè auxilium à malo ad simile malum transferunt. Item à loco ad locum, à remedio prius cognito, ad simile veniunt. A malo ad malum: ut si ab erysipelate ad herpetem transferunt remedia. A loco ad locum: ut si à brachio ad femur. A remedio ad remedium: ut si in diarrhœa à cotoneo malo ad mespilorum usum transeant. Deniq; experientia fit ex historia: ubi ni-

Iuvantia. φυσικά. περίπτωσις.

Consulta 2.

αὐτοσχέδιον, quare dicatur?

Εμπειρία μιμητική.

Transitus ad similia.

mirum discunt, quod ab aliis est observatum. Quapropter ab αὐτοψία differt. Sic enim appellant, quod ipsi viderunt: historiam autem, quod ab aliis acceperunt. Historiam namque vocant, rerum sæpiùs circà eadem, probatarum, narrationem. Quum enim frequenter oriantur morbi quidam, ad quos nullũ auxilium ab ipsis est observatum, ut in hac difficultate aliquibus etiam remediis abundarent, neque fortuitum expectarent eventum, historia usi sunt. Neque hac solùm de causa, verùm etiam ut brevior esset traditio. Quùm enim Empirici, ad symptomatum συνδρομὴν respiciant, & cõvenientem ex ea curationem accipiant & observent, idque nec malo cognito, nec causa inquisita: fieri autem non possit, ut unus in omnib. morbis, symptomatis observationem faciat, ne quis omne vitæ curriculo discendo tantùm cõsumat, sed & aliquando arte utatur: proinde ad medicandũ utilem esse historiam asseruerũt. Cæterùm συνδρομὴ empirica, ut lib. 2. Therap. methodi, multisque aliis locis testatur Galenus, non est nisi symptomatũ, quæ in laborante sunt loco, concursus, coacervatio, & cõgeries. Hactenùs quæ fuerit olim prima medicorũ, nempe empirica secta, quàm potuimus brevissimè adumbravimus: reliquum est igitur, ut alterius sectæ, methodicæ nimirum, placita succinctè quoque perstringamus. Hujus itaq; sectæ medici sese Methodicos nominabant, nullâ aliâ de causa quàm quod methodum, seu rationem artis compendiariam sequerentur. Siquidem illi, neque longam, neq; difficilem esse medicinam dicebant, secùs atq; Hippocrates, sed brevem, facilem, perspicuam, & quæ tota sex mensibus promptissimè perdisci posset. Quare non verbotenùs tantùm cum reliquis sectis disceptabant, sed etiam multa artis opera novabant. Nam neq; laborantem locum ad curationis indicationẽ, quicquam prodesse affirmabant, neque causam, neque ætatem, neque tempus, neq; regionem, neq; virium ægrotantis in-

Historia quid?

συνδρομὴ empirica.

Methodici.

tis inspectionem, vel naturæ, vel ipsius habitus cognitionem, neq; consuetudinem, neq; dissectionem. Neglectis enim iis omnibus, à solis pathematis, remedii indicatione petita, eandem sufficere asserebant. Nihil autem ab iis speciatim, sed communiter generatimq; statuebant, atq; jam κοινότητας, hoc est, communitates nominabant, quę ubique, & in singulis pathematis sunt: ut communitas de Methodicorum sententia non sit, nisi res in pluribus eadem. Atque horum sanè quidam, (Thessalii nimirum asini) morborum omnium, qui ex victus ratione proveniunt, alii simpliciter omnium, duas communitates, & tertiam quandam ex illis mistam ostendere nitebantur. Nominabant verò has ipsas, στέγνωσιν καὶ ῥύσιν, vel στεγνὸν καὶ ῥοῶδες, id est, adstrictionem, & fluorem, vel adstrictum & fluens. Adstrictionem autem dixerunt esse meatuum densitatem, & necessariorum excrementorum suppressionem. Fluorem verò immodicam meatuum rarefactionem, & eorũ quæ retineri debuerant excretionem. Quum autem simul supprimerentur & efferrentur, complexum mistionémve constitui affirmabant: quemadmodum in oculo, qui phlegmone simul & defluxione laborat. Siquidem phlegmonem, (quæ illis astrictum malum erat) quùm non sola nunc, sed cum defluxione, in uno eodemque loco orta est, malum pathósve compositum, mistumque esse dicebant. Cæterùm indicationem ejus, quod confert, in adstrictis quidem laxitatem esse, in fluentibus verò suppressionem asserebant. Verbi gratia, si genu tumore laborabat, relaxandum esse aiebant: sin alvus aut oculos fluxione vexabatur, cohibendam atque comprimendam præcipiebant. In mistis autem, ei quod urgeret, utpote magis infestanti, periculumque minitanti, resistendum: Hoc idem est, quòd illi vehementiori occurrendum esse potius, quàm alteri, dicebant. Tertia secta est eorum, qui se à ratione,

κοινότητες.
στέγνωσις.
ῥύσις.
στεγνόν.
ῥοῶδες.
Adstrictio.
Fluor.
Complexus mistióve.
Rationales seu dogmatici

cui innituntur, rationales & dogmaticos nominant. Hi sanè naturam corporis, cui mederi conantur, diligenter perdiscunt, omnium signorum exquisita habita ratione, causarum omnium, in quas quotidie corpus incidens vel salubrius, vel insalubrius seipso efficitur, vires inquirunt. Præter hæc aëris etiam, aquarum, locorum, regionumque naturæ, vitæ, studiorum, ciborum, potuum, & consuetudinum, medicum virum peritum esse oportere aiunt, ut morborum omnium causas, & remediorum facultates inveniat. Insuper eum esse, qui coniicere, & ratiocinari possit, medicamentum huiusmodi facultate præditum, si huic generi causæ, adhibeatur, certum aliquid effecturum esse. Negant enim illum invenire remedia posse, priusquam in iis omnibus multifariam sit exercitatus. Curationis deniq; indicationes, non solùm ab ipso affectu, verùm etiam ab ægrotantis viribus, necnon ab ætate, anni tempore, ægri natura, regione, partibus corporis, & aliis omnibus, quæ paulò antè commemoravimus, elicere, congruentiaque morbis semper accommodare præsidia: in summa, semper contraria affectibus præter naturam ministrare, medicum debere affirmant. Cæterùm non eunt inficias, experientiam quoque esse necessariam: negant tamen, per eam omnia posse inveniri. Siquidem duo sunt instrumenta apud omnes homines ad res inveniendas necessaria, & quę fidem faciunt iis, quæ rectè sunt inventa: nempe ratio, & experientia. Quapropter ad experientiam aditum commodè fieri non posse, nisi per aliquam rationem, contendunt, quòd aliâs incerta, parumq; sibi constans, &, ut Hippocrates ait, periculosa fallaxq; fit. Vtra autem illarum nobilior & præstantior sit, in annotationibus nostris in librum primum Ther. method. Galeni diximus. Atq; hæ quidem tres præcipuè medicorum fuerunt sectæ.

Indicantia quæ, & quottuplicia.

Experientia necessaria, atqui non sola.

Duo instrumenta ad res inveniendas necessaria.

QVI

QVI TRIVM SECTARVM PRINcipes extiterunt. Cap. X.

PRioris sectæ, quam Empiricam vocarunt, author & princeps extitit Philinus Cous, qui primus eam à rationali separare ausus est, occasione ab Herophilo, cuius auditor fuit, accepta. Quùm autem empirici suam sectam primam esse vellent, & Rationali vetustiorem, Acronem Agrigentinum ei dedisse initium, finxerunt. Quam sanè famam secutus Plinius, Empiricen in Sicilia à Creonte Agrigentino cœpisse tradit. A Philino Serapio in ea secta floruit. Cornelius Celsus Alexandrinus in præfatione libri septimi Empiricen in Aegypto quoq; increvisse scribit, Philoxeno maximè authore, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentissimè comprehendit. Gorgias etiam & Sostratus, & Hieron, & Hammonius Alexandrinus, multique alii celebres viri, singuli, quædam repererunt empirices dogmata. Ac Romæ quoque non mediocres professores, maximeque Tryphon pater, & Evelpistus, & horum eruditissimus Meges, quibusdam in melius mutatis; aliquantulùm ei disciplinæ adiecerunt. Dein Apollonii duo, pater & filius, Antiochenι. Hos secuti Glaucias, Menodotus, Sextus, Heraclides, Tarentinus, & alii; quorum sæpè apud Galenum fit mentio, in ea secta floruerunt; illamq; quasi corroborarunt. Alteram sectã, Methodicen dictam, Themison Laodiceus Syrius incœpit, qui ab Asclepiade rationali institutus, occasione nacta ad Methodicæ sectæ inventionem se contulit. Hinc est, quòd Galenus illum multis in locis communitatum repertorem nominet. Hanc verò sectam subinde Thessalus Trallianus absolvit, qui, ut Plin. lib. 29. cap. 1. author est, sub Neronis, immanissimi tyranni, & pessimi nebulonis principatu vixit, cunctaque maiorum placita delevit, ac rabie quadam in omnes sui

Empiricæ autores & principes. Philinus. Acro Agrigentinus. Lib. 19. c. 1. Serapio. Apollonij. Glaucias. Menodotus. Sextus. Heraclides. Themison. Methodicæ. Communitatum repertor. Thessalus.

ævi medicos peroravit. Tanta enim huius belluę fuit arrogantia, ut monumento suo in via Appia, sese *ἰατρονίκην*, hoc est, medicorum victorem, inscripserit. Nec minor illius asini fuit impudētia, ut qui sex mensium spacio sese universam velle tradere medicinam, suis discipulis, nullo suffusus pudore, sit pollicitus. Post hunc Mnaseus, Dionysius, Proclus, & Antipater secuti sunt. In ea verò secta, de quibusdam dissenserunt Olympiacus Milesius, Menemachus Aphrodisæus, & Soranus Ephesius, ut liquidò ex iis quæ lib. 1. Thera. Methodi scribit Galenus, omnibus constat. Tertiæ verò sectæ autor & princeps fuit Hippocrates Cous, medicorum omnium, citrà controversiam, summus. Post hunc Diocles Carystius, Praxagoras Cous, Herophilus Chalcedonius, Erasistratus Chius, Mnesitheus Atheniensis, Asclepiades Bithynus, Cienus, qui & Prusias dictus est, aliique multi, quorum passim in Galeni monumentis mentio fit, floruerunt. Cæterùm priorum duarum sectarum principum placita, utpote manifestè falsa, & à veritate abhorrentia, Galenus in lib. de optima secta ad Thrasybulum, luculentissimis argumentis refellit, & explodit, quemadmodum etiam in eo, quem de sectis ad eos, qui introducuntur, inscripsit.

Rationalis. Hippocrat. Diocles. Herophilus. Praxagoras. Mnesitheus. Erasistratus. Asclepiades Cienus.

VNIVERSAE MEDICINAE in tres ordines distributio.

Cap. XI.

Tres universæ medicinæ ordines.

MAiores nostri prudenter ac scitè admodum, universam Medicinā in tres ordines digesserunt: idque non alio sanè consilio, quàm ut ad eos artis medicæ studiosi diligenter respicerēt, inq; illos, quicquid usquàm apud probatos medicinæ scriptores invenissent, referrent, adeò ut si quid illis explicandum declarandúmve occurreret, ex istis statim, ceu communibus locis ac formulis, peterent.

rent. Non parum itaque hac ratione memoriæ studiosorum consulere voluerunt, quòd ex iis ordinibus facilè quid illis vel dicendum esset, vel faciendũ, statim suppeteret. Primus ordo earum est rerum, quę corpus humanum compingunt, & constituunt. Et placuit illis viris, eas res, ex quibus corpus nostrum compactum & constitutum est, appellare NATVRALES, quòd scilicet ad humani corporis naturam, ac substantiam perficiendam concurrant, & quæ in nobis à prima ortus nostri generatione insunt. Siquidem natura, ut lib. 3. de Temperamentis, cap. 4 attestatur Galenus, aliud non est, quàm universa substantia, & temperies ex primis elementis conflata. Hinc est, quòd Hippocrates librum suum, in quo, è quibus elementis humanum corpus fabricatum sit, inquirit, De natura hominis inscripserit. Secundus ordo earum est rerum, quibus corpus humanum, ut sanum permaneat, fovetur ac conservatur. Has veteres medici NON NATVRALES nominaverunt: non certè ideo, quòd in universum & simpliciter corpori nostro adversentur, aut illius naturæ contrariæ sint: sed quòd sinistrè adhibitæ, corpus humanum alterent, adeoque eius temperamentum, ac constitutionem naturalem, sanitatemq; destruant. Atq; hinc est, quòd rectissimè Galenus cap. 85. artis medicæ & in princip: l. d. tuend. sanit. eas nominet, res nostrũ corpus necessariò alterantes, ut infrà fusiùs dicemus. Tertius ordo earum est rerum, quæ humanum corpus omni ex parte lædunt ac corrumpunt. Has sanè PRAETER NATVRAM nuncupaverunt, quòd nimirum humani corporis naturæ omninò adversentur, & contrariæ sint. Galenus lib. 2. Therap. Meth. & multis aliis locis, affectus præter naturam vocat: quòd scilicet corpus nostrum præter naturam afficiant. Hos itaque iam commemoratos tres rerum, ut ita dicam, medicarum ordines, prout instituti ratio postulat, seorsim nunc prosequemur, à naturalibus nominatis orsi.

Primus ordo.

Res naturales.

Natura quid.

Secundus ordo.

Res non naturales.

Res corpus nostrum necessariò alterantes.

Tertius ordo.

Res præter naturam.

Affectus præter naturam.

DE PRIMI ORDINIS SEV *naturalium rerum numero.*

Cap. XII.

φυσιολογία.

PRimi ordinis res, veteribus naturales appellatas, ea medicinæ pars docet, atq; complectitur, quam suprà à Græcis φυσιολογίαν nominari diximus. Quippe hæc de iis tractat rebus, quæ ad naturam, adeoque humani corporis substantiam ac constitutionem pertinent. Meritò autem harum rerum tractatio primum sibi vendicat locum, quòd nemo rectè de cæteris rebus medicis disserere possit, nisi priùs universam corporis constitutionem ac naturam, exquisitè perspectam habeat. Quapropter qui rectè & ordine medicam artem cognoscere, eamque subinde cum dignitate & laude exercere volunt, ii planè strenuam dabunt operam, ut quæ tùm veteres tùm recentes probati autores, de rebus naturalibus rectè memoriæ prodiderunt, perdiscant. Res autem ad corporis nostri naturam & constitutionem concurrentes, quas naturales paulò antè dici ostendimus, septenario comprehenduntur numero, horumque hæc, quæ sequuntur, sunt nomina.

Cur primo agant medici de rebus naturalibus.

Res naturales numero septem.

1. Elementa quatuor, Aër, Ignis, Aqua, Terra: vel qualitatum summarum nominibus Hippocratis more, utendo, calidum, frigidum, humidum, & siccum.
2. Temperamẽta, temperatum, calidum, frigidum, humidum, siccum.
3. Humores, sanguis, pituita, bilis flava, & atra.
4. Partes, caro, os, membrana, nervus, vena, arteria, cor, iecur, caput, manus.
5. Facultates, animalis, vitalis, naturalis.
6. Actiones, animalis, vitalis & naturalis.
7. Spiritus, seu actionum instrumẽta, animalis, vitalis, naturalis. Meritò autem inter res naturales elementa primas sibi vendicant partes. Ex elementis enim

Ab Elementis inchoari

enim temperamenta fiunt, ipsis invicem miſtis: à temperamentis, humores: ab humoribus, partes: partibus facultates inſunt: à facultatibus actiones prodeunt: facultatum autem, & actionum edendarum inſtrumenta ſunt ſpiritus. Quas utique res naturales ſeptem, pro inſtituti noſtri lege, breviter, & ordine, quoad poſſumus, optimo enarrabimus, ab elementis auſpicati. *debet Phyſiologia.*

DE ELEMENTIS.

SECTIO II.

QVID ELEMENTVM.

Caput I.



CVM elementi vox ambigua ſit, deq; multis rebus efferatur, ſciendum principiò erit nobis hoc loco de cõmunibus omnium rerum, & primariis elementis eſſe ſermonem. Quorum ut exquiſitam habeamus noticiam, quid ſit elementum, initiò nobis definiendum erit. *Elemẽti vox ambigua.* Nam ut prudentiſſimè in Officiis Cicero monuit, Omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit, de quo diſputatur. *Cicero.* Elementum itaque, Galen. lib. 1. de Elementis, autore, eſt minima rei, quam conſtituit, portio. *Elementum quid.* Vel, ut idem lib. 8. de Hippocratis & Platonis placitis ait, eſt minima pars, eius rei, cuius elementum exiſtit. Licebit & hunc in modum finire: Elementum, eſt prima & ſimpliciſſima portio, ex qua quidq; primùm conſtituitur. Elementis enim nihil ſimpliciùs dari uſquam poteſt. Sunt etiam partes primæ omnium, quæ ex ipſis conſtant, quòd elementum, ut Ariſtot. teſtatur, rebus primò inſit. Cæterùm minimum eſt, quod amplius ſuſcipere ſectionem nequit. *Minimum.* Simplex verò, quod immiſtum, intemperatúmve, & qualitate ſummum exiſtit. *Simplex.* Minima autem pars eſt elementum non

Sensus verè elementorum iudex nõ est.

quidem sensu, quòd multæ particulæ ob parvitatem sensum effugiant: sed re verâ primum. Neque enim verè elementorum sensus iudex existit. Non igitur particula quæ minima simplicissima, & primaria videtur, sed quæ natura talis existit, verè elementũ est.

Hippocrates quæ elementa inquirat.

Proinde Hippocrates humanæ naturæ elementa cõsiderans, ea sanè, quæ sensu & simplicissima, & primaria esse videntur, contemnit: quæ autem verè & naturaliter sunt elementa, inquirit. Hippocratem igitur

Exemplum.

imitantes, non eam quæ minima primariaq; pars apparet, elementum esse dicamus: sic enim alia quidem aquilis, & lynceis, & si qui alii homines, vel animantes acerrimi visus sunt, alia nobis singulis elementa apparebunt: sed quæ natura & re verâ prima, simplicissima sunt, & in alia dissolvi amplius nequeunt. Proinde quemadmodum Grammaticorum elementa seu literæ, compositę vocis minimæ sunt partes: sic etiam mundi elementa, humani corporis. Quippe voces compositæ omnes hæ sunt: Iram pande mihi Pelidæ diva superbi. Vnaquæq; autem harum iterũ in syllabas, syllabæ rursus in elementa seu literas secantur. I, nanq; prima syllaba uno constat elemento: ram, tribus composita est, quorum nullum in alia minora partiri potest. Pari ratione humanum corpus quoddam est, cuius partes sunt caput, manus, pedes, & id genus aliæ: quarum unaquæq; iterum ex similaribus dictis partibus, de quibus suo dicemus loco, composita est: atq; hæ quidem rursus ex quatuor humoribus, & semine constant. Quæ tandem ex elemẽtis, multis tamen intervenientibus mutationibus, generantur. Vt hinc constet: elementa esse & dici meritò minimas, primas, & simplicissimas humani corporis, & omnium aliorũ partes. Si minimæ sunt, nõ possunt igitur amplius sectionem suscipere, & in alias dissolvi. Si primæ sunt, iis nullæ aliæ sunt priores, oportet. Si simplicissimæ, immistæ minimeq; temperatæ, & qualitate summa sint præditæ necesse est. Quicquid enim simplicissimum adeoq; impermixtũ

est,

est, simplices mixturaq; carentes qualitates, ac summas obtineat, oportet. Rectissimè igitur Hippocr. in libello de Humoribus ignem terramq; πάντως ξηρὰ, id est, omnino & in summo gradu esse sicca scribit. Et in lib. 1 de Elementis, Galenus tradit in solis elementis qualitates intemperatas, misturæúe expertes inveniri, summam quidem in igne caliditatem & siccitatem, in terra summam frigiditatem & siccitatem, in aëre summam caliditatem & humiditatem, in aqua summam frigiditatem & humiditatem. Contrà falso philosophi, alteram qualitatem in elementis esse remissam retusámve asserunt. Nam si vera illorum esset sententia, sequeretur in igne non solam esse siccitatē, sed etiam aliquas humiditatis portiones, quæ nimirum illius siccitatem retunderēt, adeoq; non simplicissimam, & immistam. Siquidem, ut rectè libro tertio de Simplicium medicamētor. facultat. cap. 14. dixit Galenus, Contrariorū misturæ, qualitatum summitates frangunt. Verùm ea de re plura in commentariis nostris libro. 1. capite 2. de Temperamentis diximus, ad quem locum nunc Lectorem ablegamus.

In elementis utraq; qualitates summa.

Contrariorū mistura, qualitatum summitates frangunt.

QVOT NVMERO ELEMENTA. Cap. II.

HActenus quid sit elementum, monstravimus: nunc inquirendum est nobis, nùm unum tantùm specie sit elementum, an plura potius & diversa, sibique dissimilia. Non esse autem hominis, aliorumque corporum primum elementum unum, hinc maximè liquet. Si enim homo esset unum hoc est, unico ex elemento si esset conflatus, neutiquam doleret. Quippe unum est immutabile, cùm non sit ei, nec à quo, nec in quod permutetur. Quod non immutatur, id pati nō potest. Impatibile rursus doloris expers sit oportet. Verùm homo dolet, quia nimirum temperamenti alterationem, & continuitatis divortiū sustinet: igitur nō est unum. Eadem quoq; ratione licet Epicuri, Democriti, & Leucippi sententias

Hominis elementum non est unum.

Atomos nō esse corporis elementa.

convellere, qui atomos, omnis prorsùs qualitatis atque alterationis expertes, necnon incompactilia corpuscula introduxerunt universæ generationis primordia. Siquidem homo haùd doleret, si ex talibus corpusculis componeretur. Quippe necessum est, ut id quod dolet, tùm sensus, tum etiam alterationis sit capax. Si enim ab omni penitùs alteratione sit alienũ, eundem omnino statum, quem ab initio sortitũ est, perpetuò servabit, nec quicquam immutabitur. Iam verò si transmutetur quidem, sed nulla sit illi innata sentiendi vis, nihil propterea magis affectus ipsos sentiet, quàm lapides dum calefiunt, refrigerantur, & finduntur. Quùm itaque atomi neutrum sortiti sint, adeoq; nec alterari, nec sentire possint, certè si ex eis, aut alia quapiam huiusmodi uniformi natura concreti essemus, non utiq; doleremus: dolemus autem, nequaquã igitur sumus ex simplici aliqua, uniformiq; substantia conditi. Quapropter quum elementum non possit esse impatibile, non erit etiam specie unum. Quippe quod unũ est, semper est impatibile, cum nihil reliquum sit, in quod transmutari, aut à quo pati, (ut diximus) queat. Quicquid enim transmutatur, in alterum transmutatur: & quod patitur, ab altero patitur. Quare plura esse elementa, necesse est. Quùm autem quatuor sectæ omnes sint eorum, qui in universum de elementis differunt; ut copiosè libro primo de Elementis ostendit Galenus, ii certè qui ex igne, aqua, aëre & terra, invicem transmutatis atque alteratis, & ad temperamentum quoddam reductis, corpora nostra gigni volũt, consentanea pronunciant. Quatuor igitur sunt omnium rerum communia & primaria, ex quibus, & in quæ, simplicissima cuncta & constant, & resolvuntur, elementa, ignis, aër, aqua, & terra. Vel certè de Hippocratis sententia, (qui in libro de Humana natura inscripto, & aliàs etiam, qualitatum nominibus appellat elementa) calidum, humidum, frigidum, siccum. Calidum enim is appellat neq; solam qualitatem, neque

Subiectum doloris alterari potest & sentire.

Elementa quot.

Calidũ quid

que quod per excellentiam ipsi simile nomen sortitur, sed corpus summæ compos caliditatis: frigidũ, in quo extrema frigiditas: humidum, in quo suprema humiditas: & siccum, in quo, summa siccitas existit. *Hippocrati significet. Frigidum. Humidum. Siccum.*

Proinde iuxta Hippocratis etiam assertionem, animantia non ex qualitatibus tantùm, ut quibus, sine corporibus, ne esse quidem licet: sed ex ipsis corporibus, quæ summas qualitates receperũt, nasci cõstat. Atq; substantiæ quidem elementorum, animali diẽ obeunte, abeunt, mundiq; & totius universi elementis permiscentur. Qualitates verò, animante vita defuncto, corrumpuntur: ad propriam autẽ naturam non redeunt. Quomodo enim redirent quæ morte animantis iam corruptæ sunt, nec fractæ saltem conservantur. Quod planè Hippocrates in libro de Humana natura iis innuere etiã verbis voluit: Homine, „ inquit, fato fungente, singula in propriam revertentur naturam, siccum in siccum, humidum in humidũ, „ calidum in calidum, frigidum in frigidum. Huiusmodi tùm animantium, tùm aliorum omnium natura „ est. Nam cuncta similiter oriuntur, atq; similiter occidunt. Siquidem natura ipsorum, & ex iis omnibus, „ quæ diximus, constituitur, & singula in idem, ut dictum est, unde constituta sunt, desinunt: igitur eodẽ „ etiam tandem recedunt. Hæc ille. Sed quod Hippocrates dixit, exemplo hominis demõstrabim⁹. Quùm homo solutis corporis vinculis, è vita excedit, quantùm de innato calore dissipatur, id omne in ignis naturam revolat. Spiritus substantia partim in ignem, partim in aëris regionem, nobis offusam refunditur. Profluẽs humor aqua rursus fit, qui tùm aquæ, tùm aëri cõfinis est: solidiores partes, (quibus crassior inest firmitudo) ubi sensim aqueus humor fuerit exhaustus, tandẽ dissolutę in cinerẽ & terram abeunt. Quare non est quòd quispiã putet, illum ex qualitatibus, (quæ ne seorsum quidem à corporibus consistere possunt) animalia gigni arbitrari, sed ex corporibus, quibus summę illę qualitates insunt. Vt hũc omnibus

Animãtiũ corpora non ex qualitatibus dũtaxat elementorum nasci.

Elementorũ substãtiæ, nõ qualitates seu vires in nobis asser-

vantur.

perſpicuum fiat, apud multos iuniores puerilem veréq; inanẽ percrebuiſſe opinionẽ, qua ii vetere ſpreta Philoſophia decreverunt, non elementorum ſubſtantias, ſed qualitates, ſeu, ut ipſi loquuntur, vires duntaxat in nobis aſſervari. Niſi enim priſtinas ſuas naturas elementa retinerent, illorumq; ſubſtantię remanerent, fieri non poſſet, ut demum per interitum animantis ſeiungerẽtur, & eò unde nata ſunt redirẽt.

QVOD ELEMENTA IN ANImalis conſtitutione non maneant pura. Cap. III.

CVm iam oſtenſum ſit nobis, ignem, aërem, aquam, & terram eſſe prima, communiaque & ſimpliciſſima rerum omniũ elementa, adeoque ex iis tùm ſtirpes, tùm animalia omnia gigni: reliquum eſt nunc, ut inveſtigemus, num hæc ipſa in animantis conſtitutione maneant pura, & impermiſta, aut inter ſe temperentur? Quamvis itaq; corpora animantium, non ſolùm ex qualitatibus, ſed & ipſis ex ſubſtantiis elementorum, quibus qualitates illæ inſunt, naſcantur: non manent tamen in animalis conſtitutione pura & impermiſta, ſed inter ſe confunduntur, & temperãtur, ita ſanè ut unum aliquod, ex iis procreetur, quod neq; ignis, neq; aër, neq; aqua, neq; terra dici poſſit: quod deinde à forma, quæ ex miſtura elementorũ proportionata producitur, denominationem ſuam ſortitur. Proinde ſimile quid in elementorum miſtione accidit, quod in emplaſtro, quod τετραφάρμακον appellant, evenire ſolet: huius enim exemplo, Galenum ſequuti, utemur. Quemadmodũ enim hoc neq; ceram, neq; picem, neq; reſinã, neq; adipem (etſi ex iis compoſitũ eſt) rectè dixeris: ita quoq; id, quod ex quatuor elementis cõſtat, neq; ignem, neq; aërem, neq; aquã, neq; terram, ſed animal, verbi gratia, vel ſtirpem, nominabis. Quòd ſi igitur humana induſtria, ita inter ſe quatuor res miſceri

Emplaſtrum tetrapharmacum.

poſſunt,

possunt, ut nullum ex iis amplius esse tale quale anteà fuit, appareat, quantò exquisitiùs id natura ipsa præstare potest? Non est igitur ut cum Empedocle quis affirmet, elementa exiguarũ partium solâ appositione permisceri: cùm illorum substantiæ ita inter se misceantur, confundantur, ac temperentur, ut simplex, non temperatum, & immistum in animalium corporibus elementum, nullum reperiatur. Quapropter maiorem in modum quispiam ineptiret, si propterea quòd nullum ex quatuor elementis solũ syncerumq; in animantis corpore conspiciatur, inficiaretur ea omnia simul in eo reperiri. Esset enim hoc perinde, ac si quis credere nollet tetrapharmacum ex cera, resina, pice, & adipe componi, quoniam eorum nullum integrum syncerumque contineri in eo videat. Igitur tametsi nullum etiam è quatuor elementorum numero, integrum syncerumq; in animantiũ corporibus reperiatur, tamen nõ est propterea dubitandum, quin illa ex iis confusa & temperata sint. Et cur quæso quis sibi in animantium corporibus terram ostendi postulat, quæ syncera sit, atq; impermista: cum eiusmodi ne in universo quidem à se ostendi queat? Quamcunq; enim particulam eius acceperit, ea statim erit alicuius caloris, humorisq; cuiusdã, & aëreæ substantiæ particeps: cùm tamen terra ea, quam elementum esse opinamur, sit quàm maximè densa, gravisq; & sicca, & præterea frigida. Quòd si tu in mundo lapidem mihi ostenderis, terreum veluti corpus, ego tibi, illi simile aliquid, in animantium corporibus, ossium, nempe, cartilaginum, pilorũ, testarumq; genus ostendã. Quare si cupis in animante terram intueri, eandem habes, qualem in universo. Eam verò quæ sola sit, & cuiusq; misturæ expers, neque in illo facilè reperias, quemadmodum neque aquam puram, quæ aliorum nulli commista sit, nec ignem, nec aërem. Sunt etenim hæc omnia quasi adulterata, & aliis, quæ sunt diversi generis, mista.

Empedoclis opinio refutata.

Elementum purum in animalium corporibus nullum reperiri.

Terra elemẽtaris cuiusmodi.

Quod nõ ita intelligas velim, quasi nusquam syn-

Num alicubi sint pura elementa.

ceræ elementorum naturæ habeantur. Nam tametsi quæ apud nos extant, quorumque sensus iudex est, impura sunt omnia: syncera tamen uspiam esse, quæ principia sint, & velut fontes, è quibus ista fluxerunt, necesse est. Horum tamen verè elementorum, sensus, ut diximus, index & iudex esse non potest. Desinas igitur in animalium corporibus immistum quippiam disquirere, sed satis sit, si aliquam videris particulam frigidam, siccam & densam, terræ meminisse: si verò humidam, raram & fluxilem, in aquæ considerationem venisse. Calor autem in corpore animantis exuperans, ignem tibi repræsentet. Vbi naturam spiritus, citrà quem animal constare nequaquam potest, perpenderis, aër animo tuo occurrat. Proinde cum in animantium corporibus nihil sit syncerum, & impermistum, rectissimè Hippocrates non hominis modò, sed aliorum quoq; animantium naturam, ex calido, frigido, humido, & sicco invicem commistis, ac temperatis constare tradit. Nisi enim invicem elementa commiscerentur, homo aut quodvis aliud animal, consistere haud posset. Nam quamcunque corporis particulam, summis suis qualitatibus præditam, singulatim occuparent, eam haud dubiè corrumperent. Nulla siquidem in summo calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, salva tolerare posset. Non igitur solùm ex invicem commistis, & sic qualia sunt remanentibus elementis, & ut Empedocles statuit, sola exiguarum partium trāsmutatione, veluti in tritici, hordei, avenæ, fabarum & ervorū acervo fit, sed alteratis, transmutatisque, & per tota commistis, animantium corpora generari Hippocrates statuit. Quapropter Albertus cognomento Magnus, eleganter & breviter dixit, duplex esse elementorum substantiale (utar enim eius verbis) alterum integrum, perfectum & liberum, quale elementum habet, quando per se & solitariè existit: alterum verò ligatum, & non liberum, secundum quod in misto manet. Manent itaque in misto elementorum sub-

Quare Hippocrates dixerit constare nos ex c.f.h.f.

stan-

ſtantiæ ſeu formæ ſubſtantiales, ſed non integræ, completæ & perfectæ, ut falsò Avicenna cenſuit, ſed immutatæ & retuſæ, ac veluti vinctæ. Sed hîc quæri ſolet, nùm elementorum ſubſtantiæ, an qualitates ſolæ, totis, totæ miſceantur. Siquidem veterum ea de re duplicem fuiſſe opinionem conſtat. Ariſtoteles namq;, cæteriq; Peripatetici, ut libro primo Therap. method. cap. 2. atteſtatur Galenus, qualitates tantùm in ſe mutuò tranſire, omninoque miſceri: Stoici non has modò, ſed etiam ſubſtantias ipſas, exiſtimant: Quanquam autem hoc definire medico ſupervacuũ eſt, ut loco iam citato, & in fine libri primi de elementis Galenus docet: hincque adeò factum eſt, ut nec Hippocrates de ijs quippiam pronunciarit: tamẽ præſtat Stoicorum repudiatâ opinione, Ariſtotelis & Peripateticorum amplecti ſententiam, & qualitates virtutesque in miſtis, totas, eſſe totis permiſtas, affirmare. Id quod etiam Galenus loco paulo antè demonſtrato facit, ubi elementa ſuis qualitatibus duntaxat tota totis miſceri ſcribit. Fieri enim non poteſt ſed ne intelligi quidem, ut corporum ſubſtantiæ integræ, & non prius alteratę, totæ totis miſceantur, ſeque mutuò penetrent, & eodem prorſùs ſitu conſtitutæ ſint, & collocatæ. Quamvis autem totæ totis non miſceantur, mutantur tamen & alterantur elementorum in miſto ſubſtantiæ. Si enim integræ & illæſæ manerent, nihil diſſimile ſibi compoſitum redderent. Sed quod componitur, diſſimile eſt: igitur ſubſtantiæ illorum immutatæ, & integræ haud manent. Non igitur ex elementorum qualitatibus ſeu virtutibus tantùm animantium corpora conſtãt, ut nonnulli putant, ſed potius ex ipſorummet elementorum ſubſtantiis, refractis tamen alteratis, & per tota confuſis probè contemperatis, ſuasq; qualitates habentibus, ut quæ ſine ſubſtantiis nullatenus conſiſtere valeant. Negandum autem minimè erit, ſubſtantiam per ſe quidem totam alterari: hâc namque ratione dolorem, voluptatem, ſenſum, memo-

Vtrũ elementorum ſubſtantiæ, an qualitates ſolæ totis totæ miſceantur.

Stoicorum de elementorum ſubſtantiæ permixtione dogma confutatur.

Subſtantia per ſe tota alteratur.

Qualitates trāsmutationis elementorum causa.

Qualitatum primarū vis & agendi efficacia summa.

riam, ratiocinationem, ipsamq; adeò animam, in qua hæ alterationes fiunt, è medio tolleremus. Cæterùm mutuæ inter se transmutationis elementorum causæ non sunt nisi summæ, quas illa obtinent, qualitates, subiectam substantiam alterantes. Siquidem hæ universam substantiam transmutant, atque alterant, & natura sua primæ sunt, rerumque omnium communes & elementorum constitutrices, ac opifices. Proinde rectè Hippocrates non hominis modò, sed aliorum etiam omnium naturam, ex calido, frigido, humido, & sicco, esse constitutam, pronunciavit. Nam hæc, ut in confesso est apud omnes, mutuò in se agunt: & quòd agunt, id neq; concretione secretioneque habent, sed quòd ipsa substantia per se ipsam tota patitur, & alteratur. Iam igitur abundè constare arbitramur, in mistis manere elementorum substantias, sed mutatas, alteratas, atque per tota cōfusas, ita sanè ut liberæ, aut sui iuris non sint, vinctæ scilicet. ac quasi interceptæ mutua qualitatum pugnantia, ut pristinas vires expromere haud valeant, neque ignis urere, neque aqua impensè refrigerare possit. Neque enim æquè valentes vires retinent in mistis, ut antea, ubi syncera erant, utpote suis actionibus à contrarii elementi actione oppugnatis, & fractis. Hoc est quod significare voluit Aristot. lib. 2. de partibus animaliū, cap. 1. & lib. 3. de cœlo & mundo, ubi elementorum virtutes ad corporum constitutionem concurrere, & in mistis elementa non ἐνεργείᾳ, id est, actu & efficacia, sed δυνάμει, id est, facultate potentiáve, manere scribit.

ELEMEN-

ELEMENTI ET PRINCIPII discrimen. Cap. IV.

NON prætereundum nobis hoc loco erit, quod elementum à principio differat. Elementa enim sunt corpora, ut comprehensum est, simplicia, ex aliis se tùm prioribus, tùm simplicioribus facta, quæ in partes diversarum specierum dividi nequeunt: ac planè eiusdem sunt generis cum iis, quorum sunt elementa, hoc est, eorum, quæ ex ipsis constituuntur. Principia verò sunt, quę non fiunt ex se vicissim, neque ex aliis, (quùm sint rerum omnium prima principia) sed ex se omnia, quę naturaliter fiunt, producunt, nec cum rebus, quarùm sunt principia, eiusdem esse generis possunt. Ex quibus sanè differentiis liquet, quòd elementa nō sint qualitates, (ut nonnulli putarūt) sed potius substantiæ, quibus quatuor qualitates insunt.

Elementum à principio, ut differat.

Principium quid & quas habet proprietates.

Elementa non sunt qualitates.

Corpora namque cùm sint, (ut eorundem notio attestatur) substantiæ quoque sint, & nequaquam qualitates, est necesse. Porrò cùm elementa sint corpora, mistionis tamen & temperaturæ expertia, constat etiam ea, quorum sunt elementa, esse corpora, non tamen simplicia, sed mista. Siquidem elementa cum iis quorum sunt elementa eiusdem generis esse oportet: ut igitur mista, quæ ex elementis constant, sunt corpora, ita etiam elementa. Porrò principia non sunt nisi quatuor qualitates nempe summa caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, una cùm materia prima, quę omnibus elementis subiecta est, quæq; omni caret qualitate: atque à Philosophis prima dicitur, non certè quòd ortus expers, & æterna, ut Aristoteles, & eum secuti philosophi nugātur: sed quòd prima à Deo creata sit, & rude principium, & vilis massa fuerit, ex qua elementa, & omnia alia facta sunt. Hæc Græcis ὕλη καὶ χάος dicitur. De ea elegantissimè ita cecinit Ovidius:

Elementa cū iis quorum sunt elementa, eiusdem sunt generis.

Materia prima quæ?

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cœlum,
Vnus erat, toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos, rudis indigestaq; moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.

Scholasticorum vitilitigationes damnantur.

Quum itaque jam è Mose, aliisque veteribus orthodoxis scriptoribus, satis constet, materiam quam primam philosophi appellant, nec ortus, nec interitus esse expertē, inutiles has nugas adhuc hodie, in scholis, Christianis pueris inculcari, profectò pudendum est & horrendum. Quasi verò mendacia naturæ nostræ anteà abundè satis corruptæ, instillanda sint, & non potiùs puerorum teneres animi ad veritatis doctrinam assuefaciendi, atq; à nugis, ad vera dogmata traducendi sint. Præstaret igitur, ejusmodi nugis Aristotelicis de rerū principiis repudiatis, & penitùs explosis, vera dogmata pueris Christianis proponere.

Materia prima.

Cæterùm Galenus quidem ex principiis jam dictis elementa, & omnia alia procreari scribit. Nam quùm summa caliditas ad materiam accedit, ignis, inquit, procreatur: quùm summa frigiditas, aqua. Simili modo aër fit, ubi materia in se receperit summam humiditatē: terra verò, quùm siccitatem. Necesse est igitur hunc in modum subjici quiddam, in quo servato, ac superstite, usque ad mundi interitum, fiat rerum conversio. Ex quo intelligitur: materiam non ortus expertem, nec indissolubilem ac immortalem, seculis omnibus, ut philosophi falsò docent, esse.

Materia prima perpetua.

Præthereà non sunt cum rebus, quarum sunt principia, ejusdem generis. Quippe hæc, elementorum (quæ, ut ostendimus corpora esse constat) sunt principia, adeoque diversi generis, nempe qualitates. Quòd verò ex iis principiis, omnia alia naturaliter fiant, exemplo constitutionis hominis demonstrasse satis sit. Ex primis simplicissimisque elementis sensilibus (quæ similares dicuntur partes) fibra, membranâ, carne, adipe, osse, cartilagine, ligamento, nervo, medulla, & omnibus aliis, quorum universæ particulæ, ejusdem invicem

Elemēta prima perpetua.

Partes reverà similares.

sunt

ſunt ſpeciei, eandemque omnino formam retinent, homo conſtat. Hæ rurſus, ex aliis quibusdam ipſis proximis gignuntur elementis, ſanguine nimirum, pituita, & utraq; bile, flava ſcilicet, & atra. Quæ iterum ex illis ortum habent, quibus veſcimur, quæque bibimus. At hæc ex aëre, igne, aqua & terra gignuntur. Ipſa verò hæc ex nullo ampliùs corpore alio, cōſtituta ſunt, ſed ex materia prima, & qualitatibus. Hinc eſt quòd Hippocrates in lib. de humoribus, elementa à qualitatib. illis, eſſentiam ſuam habere ſcribat: Quapropter hæ ipſæ qualitates primæ, ignis, aquæ, aëris, & terræ principia erunt: Igitur expedit, hanc principii, & elemēti, probè tenere differentiam, ut hinc intelligamus, cur Philoſophi ſecùs ac medici à principiis potiùs quàm elementis, ordiendum eſſe judicaverint. Quippe cauſas illi quęrunt, cur inter ſe elementa miſceri ac transmutari poſſint, quæ non ſunt, ut dictum eſt, niſi qualitates, utpote quæ ſubjectam alterant ſubſtantiam, ác ſtirpes & animantia efficiunt. Medici autem id, quod à philoſophis eſt demonſtratum, áſſumunt pro confeſſo; atque ab elementis ipſis auſpicantur. Quæ illis ideò ſunt conſideranda, ut cognoſcant, ex horum legitima & cōvenienti temperatura ſanitatem conſtitui: ex eorundem autem parum recta ac vitioſa miſtione, morbos accidere. Atque hæc pro inſtituti noſtri ratione de elementis dixiſſe ſufficiat. Quòd ſi alicui de iis plura cognoſcere libet, Hippocratem in libro De natura humana inſcripto, & Galen. in ſuis Commentariis, quos in hunc Hippocratis librum exaravit, & librum ejusdem primum de elementis legat.

Quapropter & elementi differentia tenenda.

Philoſophi cur à principiis exorſi.

Medico elemēta cur cōſideranda.

DE

DE TEMPERAMENTIS.

SECTIO III.

QVID TEMPERAMENTVM.

Caput. I.



Temperamẽtum quid.

OST elementa, ut de temperamentis differamus, quandoquidem inter res naturales vocatas secundũ obtinent locũ, ordinis ratio exigit. Temperamentum autem non est, nisi ex quatuor elementis, seu calido, frigido, humido & sicco constans, ad obeundas actiones conveniens mistio, seu potius ipsius mistionis, ratio & proportio, vel concordia: vel, est concentus quidam quatuor qualitatum principũ, ex omnium elementorum permistione obortus. Nec temerè adjectum est, Ex quatuor elementis: neque enim sine elementorum omnium mistione, temperamentum induci potest. Non enim si quis aquam & ignem paribus quodam modo portionibus coire & coalescere statuat, hincque mutua repugnantium qualitatum vi temperationem quandam inferri, ea protinus temperamenti rationem subit, ita ut neque ex duobus illis facta perfusio, exacta mistio censeatur. Perfectum enim non est, sed inchoatum, atq; mancum, quod ex duorum triúmve duntaxat elementorum connexione fit: cujusmodi est utplurimum genus eorum, quæ ex sublimi deturbantur, μετέωρα Græci nominant. Quapropter temperamentum est, quatuor elementorum permistio. Per elementa verò nõ solùm qualitates ipsas, sed & substantias, quibus qualitates insunt, esse exaudiendas, ex præcedentibus notum est; quippe clarissimorum Philosophorum ad imitationem, ut qualitates elementorum, sic omnino etiam substantias in misto compositoque retineri, harumque

Concretis mistisq; corporibus gignendis, unius elementi materia satis esse non potest.

μετέωρα.

Non solùm qualitates, sed etiam substantiæ elementorum

que

que confusione & mistura, temperamentum constare fatendum. Ridenda igitur est Avicennæ Fen: prima canonis primi, doct. 3. cap 1. inepta opinio, qui primarum qualitatum actione mutua, quintam qualitatem, eamque simplicem, & primarum vires complectentem, emergere putavit, quæ una, reliquis omnibus, in congressu pereuntibus, superstes maneat. Id enim quam absurdũ sit, hinc in primis patet, quòd fieri nequeat, ut omnes per actionem illam, & passionem mutuam qualitates dissolutæ evanescant, neque non ea tandem superet, quæ validior quùm esset (neque enim elementorum omnium, par in temperatura portio) conflictus principia dedit. Præterea, si plura, eaq; contraria elementa, ipsi mixto non insunt, qui fiet temperamenti per singulas ætates immutatio? Quæ denique insita erit illi caussa morbi, senii, & interitus? Adde, quòd neque dum animal fato fungitur, poterunt substantiæ elementorum suis qualitatibus instructæ, recedere, mundique elementis immisceri, quandoquidem jam qualitates earundem dissipatæ sint, nec in composito manserint. Dictum enim suprà est, elementorum substantias, animante diem obeunte quidem recedere mundique elementis immisceri: qualitates tamen post animalis vitam verè corrumpi, nec ad propriam naturam redire. Vt igitur elementa dum recedunt animali fato functo, & mundi elementis immiscentur, suas resumere qualitates non possunt: unde enim resumerent eas quæ jam dissipatæ sunt; ita profectò novã illam qualitatem, quam Avicenna commentus est, reliquis omnibus per actionem dissolutis, elementa producere aut recipere non possunt. Quomodo enim reciperent eã quam nunquam habuerunt, quùm eas, quibus anteà præditæ fuerũt, recipere nequeãnt? Quocirca novam illam qualitatem pro tẽperamento invehere, vanitas quędam opinionis est, ex omnium animis explodenda: Quare ita potius statuendũ erit, & quemadmodũ elementorũ substantias, sic omninò & qualitates

in mistis manent.

Opinio Avicennæ, qui quintam, ad eoq; novam pro temperamento invexit qualitatem exploditur.

in composito servari, ex harumque mistione & concentu temperamentum consistere fateamur. Non est igitur temperamentum quinta qualitas, sed quatuor primarum qualitatum congeries. Quùm autem hæ sine elementorum substantiis consistere nequeant, sequitur hinc commistorum elementorum substantias, particularũ corporis singularum temperamentum constituere. Quapropter accidens esse, (ut Avicenna censet) nequit: sed qualitates, mixtis, ut Galenus lib. 1 de Usu part. cap. 9. inquit, secundum substantiæ rationem insunt. Præstat autem integra ipsius verba referre: Temperamenta, ait, propriam particularum substantiam, complent. Corpus enim tale natura est propterea, quòd caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, sic est commistum. Nam carni, esse carnem, & nervo, nervum, & aliorum unicuique id esse, quod est, ob qualitatũ quatuor prædictarum certam quandam temperaturam, contingit. Hæc igitur eis, secundum substantiæ rationem insunt. Hactenus Galenus: unde liquidò apparet, Galenum, quemadmodum etiam Hippocratem, temperamentum appellare substantiam; neq; id sanè temerè. Nisi enim medicus sciat temperamentũ esse substantiam, & ab eo omnes prodire actiones, imò vitam ipsam pendere nunquam ejus conservandi curam habebit, adeoq; nec præsentem sanitatem tuebitur, nec amissam recuperabit. Valdè igitur morosos esse oportet eos, qui medicos, ad philosophorum præscriptum loqui cogere annituntur. Sed bene habet: quum enim hoc faciunt, se non esse medicos produnt.

Temperamẽtum non est quinta qualitas.

TEMPERAMENTORUM DIFFERENTIÆ, QUOT, QUALESQ; SINT. Cap. II.

Novem temperamentorum differẽtiæ.

Ex elementorum temperatura misturáve novem in universum temperamentorũ differentiæ, quorum unum, temperatum, alia autem octo, intemperata sunt, emergunt, de quibus ordine differe-

differemus; à temperato exorsi. Temperatũ autem, quod Græcis σύκρατον, id est, bene temperatum, & σύμμετρον, hoc est, moderatum, nostræ ætatis medicis, æquale dicitur, duplex existit: unum temperatum simpliciter & absolutè, alterum verò temperatum in singulis generibus. Temperatum absolutè simpliciterve (hoc est, elementorum contrariorũ inter se collatione) est, in quo elementorũ contrariorũ omnium æqua prorsus portio existit. Hoc sanè temperamentum optimum, exquisitum, absolutum, summum, & ad unguem mediocre, sive omnis excessus expers, ac medium quoque appellatur. Siquidem ipsum, in universa substantia verè, adeoque pondere, ut dicere solent, medium existit. Hinc est, quòd à nostri seculi medicis, æquale ad pondus nominetur, quòd nimirum in eo par & æqualis cõmistorum elementorum spectetur moles, nec plus in eo calidi, quàm frigidi, nec humidi quàm sicci. Hoc Galen. lib. 1. de Tuenda sanitate, cogitatione sive intellectu potius usurpari, quàm solidè ac reipsa subsistere scribit. Proinde si alicui unquam contingit, aut in animalis corpore visum est, ne momento quidem, ut idem ait, duravit. Rectè autem dicit, Duravit: siquidem nõ negat pondere temperatum haberi, ut nõnulli faciunt, sed tantùm illud non diu durare posse, contendit. Nam etsi par contrariorum elementorum, portio sit in aliquo homine, tamen nõ diu durare potest, propterea quòd corpus sit in assiduo fluore, & quotidie siccius evadat. Quòd autem temperatum ad pondus esse possit, hinc patet. Si enim elementorum summæ qualitates, simul & substantiæ, in permistione nõ pereunt, sed asservatæ temperamentũ constituunt: nihil prohibet, æquis, illas, portionibus mistas, exquisitè temperatum cõstituere. Licet enim in illa æquabilitate non tanta sit mutua qualitatum actio, quæ vel abolitionem vel repressionem contrariorũ moliatur: tanta est tamen, ut paria cõtraria possit verè permiscere, in unum temperamentum. Temperatum verò in sin-

Temperatum duplex.
σύκρατον.
σύμμετρον.

Temperatum duplex.

Aequale ad pondus.

Ad pondus temperatum imaginariũ ferè.

Temperatum in singulis generibus.

gulis generibus est, quod à prioris temperamēti perfectione, absolutaque illa, & exquisitâ mistione paululùm abest. & in quo, ea contrariorum elementorum mediocritas consistit; quæ tùm animantis, tùm stirpis naturæ maximè convenit. Hoc itaque σύγκρατον καὶ σύμμετρον, id est temperatum, & moderatum dicitur: non quidem simpliciter, ut præcedens, sed in suo genere vel in suâ specie. Hoc igitur modo temperatum est, quod generis sui decoram illam & consentaneam æquabilitatem est adeptum, quâ tanquam numeris omnibus absolutum salubriter, integrè, & naturæ suæ congruenter se se habet; omnibusq; muniis, ad quæ natura sua ducitur, ritè fungitur.

Quādo optimè se animal aut stirps habeat.

Quapropter tùm animal, ac stirpem, optimè se habere dicimus, quum suam functionē optimè & citra reprehensionem obit. Equum, verbi gratia, quum velocissimè currit. Canem, ubi ad venationes & tutelas quàm animosissimus, ad domesticos quàm mitissimus est. Ficum, quùm plurimos optimosque ficus profert: vitem autem, ubi optimas plurimasque producit uvas. Proinde omnia hæc, animalia dico & stirpes, optimam mediámve in suo genere temperaturam habere dicimus, non autem absoluto sermone; quum paritas exacta contrariorum elementorum, in iis non sit, sed ea potius mediocritas, quæ ad potestatem maximè refertur, id est. quæ maximè poterit, iis adsit.

Temperatura æqualis ad justiciam.

Hinc est, quòd juniores medici hanc temperaturam æqualem, ad justiciam nominent, quòd nimirum in illa commistorū elementorum ea sit mediocritas, quæ animantis ac stirpis naturæ conservandæ conveniat, ac quasi justiciæ ritu temperata sit.

Iusticia quid?

Siquidem justicia, ut eam Iureconsultus in l.x.ff.de just. & jure, definit, est constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi. Singulis itaque pro dignitate quod suum est tribuit; veluti diis, parentibus, cognatis, amicis, domesticis, & civibus. Proinde ut justiciam esse dicimus, nō eam quidem, quæ pondere, & mensurâ; sed quæ eo, quod pro dignitate convenit,

nit, æqualitatem explorat: sic etiam temperamētum ad justiciam vocant, quæ singulis animantium & stirpium naturis convenit, non quæ ex pari elementorū spectatur mole. Quòd si verò alicui absurdum esse videtur, temperati seu medii temperamenti nomine temperiem hanc donare, quòd ad unguem temperata non sit, is quæso, reliquorum in vitâ nominum usum ad memoriam revocet. Siquidē & potionem, & balneum, temperata dicimus, non solùm quando alterum huic, alterum illi tale est: sed etiam quùm ad eundem hominem in latitudine tale est. Nam si adverso paululùm eo, qui biberit, injecerit quis, in calicem calidæ frigidæve exiguum, nullam mediocris temperamenti mutationem deprehendet. Ad eundem modum, neq; si quis in solium temperatum frigidæ pusillum injecerit, temperaturam mediam protinùs corruperit. Quin ambientem quoque nos aërem temperatum dicimus, etiamsi in alterutram partem paululùm est propensus. Et quid miri est, si εὐκρασία mediocritásve in satis amplam latitudinem extendatur? quando etiam in lyris, consonantiam ipsam, quæ summa rectissimaque est, unicam atque insectilem esse, probabile sit, quæ in usus hominum venit, certè latitudinem habet. Sæpe namque, quam percommodè lyram licet temperare videaris, alter superveniens musicus tamen, magis exquisitè temperabit. Hactenùs monstravimus εὔκρατον sive temperatum simpliciter dici, quod medium planè est in utroq; contrariorum genere, ita ut non magis sit calidum quàm frigidum, aut humidum quàm siccum. Temperatum verò in animantiū & stirpium genere, in quo, ea est mediocritas quæ tùm animantis, tùm stirpis naturæ convenit. Proinde in eo, quod primo loco posuimus, contraria quę in illo sunt inter se cōparare & æstimare oportet, adeoq; ad elementorum portiones tēperiē referre: in altero verò ad actiones. Cæterùm ubi quid à prædicta mediocritate recedit,

Objectio diluitur.

Eucrasia.

Epilogus.

Intemperatum. intemperatum dicitur, & ab eo contrariorum, quod vincit, ac superat, nomen accipit. Calidum enim vocatur, in quo calidum elementum frigido prævalet: frigidum autem, in quo frigidum calido præstat: idem statuendum de humido & sicco. Atque, quod ita in una tantùm oppositione intemperatum est,

Simplex temperamentum quid? simplex temperamentum dicitur. Cujus quidem quatuor sunt differentiæ, nempe calidum tantùm, frigidum tantùm: humidum duntaxat, & siccum duntaxat. Quòd si verò in utraque oppositione alterum superet, sive calidũ unà cum humido, sive calidum simul cum sicco: sive frigidum unà cum humido, sive frigidum unà cum sicco: utique pro vincente sortietur id corpus appellationem. Hæc itaque quatuor temperamenta composita nominant: ut in universum octo sint intemperies: quatuor nimirũ simplices, & totidem compositæ. Ac quatuor quidem

Compositum octo intemperies. cõpositas intemperies omnes tùm medici, tùm philosophi noverunt. Reliquas verò simplices, quæ ex dimidio harum, & altera tantùm oppositione, constitutæ sunt, plerique ignoraverunt: ita ut etiam A-

Averrhoes in omnes ferè contumeliosus. verrhoës, ut fuit in omnes ferè contumeliosus, hoc locò Galeno obgannire, illumque erroris insimulare, quanquam falsò ac temerè, ut aliàs sæpe, voluerit.

Temperamẽtum in una oppositione temperatum, in altera intemperatum. Siquidem esse temperamentum, quod in una oppositione sit temperatum, in altera verò intemperatum, hinc abundè patet. Si enim necessarium omninò nõ est, siccam esse, quæ calida sit: sed licet eam & humidam esse, licebit utiq; & mediam esse: propior namq; siccæ intemperaturæ media est, quàm humida. Ad eundem modum est & frigidũ quoddam temperamentum alterum, in quo nimirum frigidum pollet: hoc tamen nec humidum esse nec siccum, est necesse: sed potest inter hæc & medium esse. Rursus enim hìc quoque eadem affertur ratio, nempe, si necesse non est frigidum temperamẽtum esse humidum, sed licet & siccum id fieri, manifestum est medium quoque esse posse: quippe quod vicinius sit humido,

quàm

quàm siccum. Præterea, sicuti necesse non est, si quæ temperatura sicca est, hanc protinùs calidam quoque esse: sed fieri potest, ut etiam frigida sit: ita fieri potest, ut quæpiam nec calida sit, nec frigida, sed in hac quidem oppositione media seu temperata, in altera sicca. Simili modo nec humidam temperiem necesse est calidam frigidámve esse, sed eam mediam esse, inter hujus oppositionis extrema licet. Si igitur necesse non est, ut vel intemperiem, quæ in calido est & frigido, sequátur ea quæ est in altera oppositione intemperies, vel hanc, quæ in illa: licebit aliquando & naturam, quæ in caliditate & frigiditate temperata est, vel siccam esse, vel humidam. Ac rursus, quæ in siccitate & humiditate tēperata est, vel calidam esse, vel frigidam. Quapropter mirum videri non debet, si aliquid ex dimidio sit temperatum, & ex dimidio intemperatum, adeoq; octo in universum esse temperamentorum genera intemperata hinc apertissimè liquet.

CALIDVM, FRIGIDVM, HVMIDVM & siccum multiplex. Cap. III.

CVm novem esse temperamētorum differentias, jam demonstraverimus, reliquum est, ut ostendamus, quęrenti cujus sit temperamenti homo, equus, bos, canis, aliúdve quodlibet, nō esse absoluto sermone respondendum: non enim fieri potest, ut qui ad ea, quæ multis modis dicūtur, & inter se diversa sunt, uno modo respondet, non coarguatur. Oportet igitur duorum alterum, aut omnes percensere differentias, aut percontari priùs de qua rogaverit, & illam solam dicere. Nam si, ut in animalibus, cujus esse temperamenti rogaverit, ad id, quod medii est, inter omnia animantia, temperamēti, (hominem nimirum) respicientes, respondere oportet. Si verò, absolutè, atq; ut ad totam suam substantiam, & contraria quæ sunt in eo comparare, inter se atque

Quærenti cujus sit temperamēti homo, non est absoluto sermone respondendum.

æstimare necesse est, haudquaquam ad functionem temperiem referentes, sed ad elementorum, ex quibus substantia constat, portiones. Proinde ut hæc rectiùs cognoscantur, & in respondendo minus aberretur, sciendum erit, calidum, frigidum, humidum, & siccum multipliciter accipi. Primùm absolutè, ita nimirum ut syncerum simplexque sit, & mistura careat, ac de nullo alio dicatur. Hoc modo sola elementa, calida, frigida, humida, siccáve dicuntur, quòd nimirum syncera sint, & simplicia, hoc est, à mistione aliena: id quod certè de nullo alio corpore dici potest. Neq; enim, ullum aliorum corporum prorsùs & absolutè calidum, frigidum, humidum siccúmve est, sed sola elementa. Quicquid enim præter hæc exceperis, ex horum misturâ constat. Secundo modo calidum, frigidum, humidum siccúmve non absolutâ ratione, veluti syncerum, & à mistione alienum, sed per excessum exuperantiámve dicitur: id quod ex contrariis inter se mistis constat: cæterùm prævollentis superantísve in misturâ nomine appellatur. Atque eâ sanè ratione, calidum vocatur id, in quo major est caliditatis portio: frigidum, in quo frigiditatis. Ita etiam humidum nominatur, in quo humidum, sicco prævalet. Siccum verò, in quo siccum humido præstat: Hoc modo pituita, adeps, vinum, oleum mel, pilus, os, cartilago, unguis, cornu, lignum, calida, frigida, humida vel sicca nuncupantur. Quod autem ad eum modum calidum, frigidum, humidum, siccúmve appellatur, iterùm bifariam tale dicitur. Primò absolutè, hoc est, nulli alteri temperatę rei collatum, sed ut ad totam suam naturam, universamque substantiam consideratum. Ita sanè canis simpliciter, & absoluto sermone, prout videlicet alteri, verbi gratia, formicæ, non comparatur, siccus dicitur. Altero modo non absolutè, & πρός τι, id est, alicui collatum. Idque rursus trifariam. Vel enim symmetro ac medio ejusdem generis confertur, ut si leo cum homine collatus fuerit: uterque enim animal est. Vel sym-
metro

Calidi, frigidi, humidi & sicci acceptiones.

Absolutè.

Per exuperantiam.

Calidum per exuperantiā bifariam dicitur.

Absolutè.

Non absolutè.

metro eiuſdem ſpeciei, vt ſi homo ætate florens, cum adoleſcente conferatur. Vel unicuivis obvio, id eſt, cuilibet individuo, veluti ſi Dion Theoni, Conradus Petro comparatur. Vt ita in univerſum ſint calidi, frigidi, humidi, & ſicci acceptiones ſeptem, ſequenti complexæ ſchemate.

Calidū, frigidū, humidū, ſiccúmve, duobus dicitur modis:
- Abſolutè: quod ſcilicet ſyncerum eſt, ſimplex & immiſtum: veluti ignis, aër, aqua, terra.
- Per exuperantiam, idque bifariam:
  - Abſolutè, hoc eſt, nulli ſeorſum collatum: ſed ut ad univerſam naturam, ſubſtantiámve ſuam conſideratum.
  - Nō abſolutè, id eſt, alicui collatū, ſcilicet
    - Eiuſdem
      - Generis
      - Speciei

      Symmetro.
    - Vnicuilibet obvio

DE TEMPERAMENTIS QVATVOR temporum anni. Cap. IIII.

Quatuor anni tempora.

Annum universum à veteribus in quatuor esse digestum tempora, Ver scilicet, Aestatē, Autumnum, & Hyemem, omnibus est notissimum. Qualia autem horum sint temperamenta, inter medicos non convenit. Sunt enim qui quatuor temperamentorum coniugationes, quatuor anni temporibus adaptant, & secundum illas, hæc, distinguentes: ver calidum & humidum, æstatem calidam & siccam, autumnum frigidum & siccum, hyemem frigidam & humidam esse, idque non sine magno errore, statuunt. Siquidem inter se conferunt anni tempora, ver nimirum, cum autumno, æstatē, cum hyeme, autumnum, cum vere, & hyemem, cum æstate, horumq; inter sese mutua collatione eorum temperamenta colligunt: cùm tamen horum quodlibet ex suapte natura æstimatum, nō ex alterius collatione, calidum, frigidum, humidū siccúmve propriè nominari debeat. Ad quam sanè formulam si hæc ipsa anni tempora æstimes, apparebit tibi ver esse, omnis excessus planè in medio: cùm neque sicut in hyeme, plus valeat in eo, frigidum quàm calidum: neq; sicut in æstate, minus. Ad eundem modum, siccitatis, humiditatisque æquabilitas, in eo spectatur: neque scilicet in eo, veluti in æstate, prævalente sicco, neque sicut in hyeme. exuperante humido. Hinc rectissimè Hippoc ver esse saluberrimum, minimeq; morbis, qui mortem afferant, obnoxium, dixit. Quod enim saluberrimum esse inquit, hoc ipso, perspicuè docet, ver esse temperatum: nequaquam autem calidum & humidum. Siquidem calidum, humidum, & temperatum, inter se maximè pugnant. Calidum enim humidumq; excessum indicant, temperatū verò omnis excessus planè in medio est: quapropter cum calido & humido statu non coincidit. Accedit, quòd omnium aëris temperamentorū pessimum

Veris temperamentum quale.

3. Aphor. 5.

Ver non calidum & humidum.

Aëris tempe

simũ id est, quod calidum & humidũ existit, tantum abest, ut saluberrimũ dici queat. Nã ubi totus annus calidus & humidus fuerit, magna succedat pestilentia, necesse est: quemadmodum copiosè admodum ex Hippocrate lib. 1. de temp. cap. 4. Galenus ostendit. Quùm itaq; calidum & humidum temperamentum, in vitioso & pestilenti aëris statu plerumq; incidat, temperatum igitur ut sit, fieri nequit. Verùm opponet fortè quispiã iis, quæ iam diximus, Hippocratis in lib. 1. De natura humana, & aliorum quorundã tum philosophorum, tùm medicorum authoritatẽ, qui uno omnes ore, ver calidum & humidũ esse dicunt. Cui quidem, ita cum Galeno respondendum erit: Quòd Hippocrates, & nonnulli alii cùm medici, tùm Philosophi, ver calidum & humidum esse statuerunt, id nulla alia de causa factum est, quàm quòd quatuor anni temporibus, quatuor temperamentorum coniugationes aptare, ac respondere voluerunt. Quod ut commodè facerent, inter se conferre anni tempora coacti sunt, atq; ex mutua inter se collatione, horum temperamẽta, ut paulò antè diximus, collegerunt. Quapropter sic in temporibus anni ver calidum & humidum dixerunt, ut in genere corporeorum, animalia, hæc nimirum cum stirpibus conferẽtes. Hoc namq; cum autumno, quem frigidum & siccum esse affirmabant, contulerunt: quod tamen minimè faciendum erat. Sunt enim per se, & ex sua natura, si rectè de eorundem temperamentis statuere volumus, quemadmodùm paulò antè dictum est, æstimanda anni tempora. Sed rursus alius in hunc modum instabit, verisq; temperamentum non esse temperatum, hac ratione ostendere nitetùr: Si ver esset, inquiet, saluberrimum, adeoq; temperatũ, nulli profectò in eo morbi procrearentur: atqui in eo fiunt morbi & plures quidẽ, quàm in ullis aliis anni temporibus: igitur non est tẽperatum. Generari autem in vere morbos, ipsemet Hippocrates, perspicuè testatur, ut qui sectione Aphorismorum tertia, multos,

ramentum calidum & humidum, pessimum.

Obiectio diluitur.

Obiectio alia.

Aphor. 20.

ac quidē peculiares, verni temporis morbos, nempe furores, morbos comitiales, anginas, lepras, impetigines, alphos, pustulas ulcerosas, tubercula, & id genus alia mala, percenset. Atqui huic obiectioni Hippocrates ipse abundè satisfacit; ut qui in citata paulò ántè sententia nō dixerit ver morbis prorsùs vacare: nā ita sibiipsi contradixisset: sed esse ἥκιστα θανατώδης, id est, minimùm mortiferum: aut rectiùs, morbis, qui mortē afferunt, inter omnia alia tempora, minimùm obnoxiū. Nam morbi, qui in eo fiunt, non alia ratione accidūt, quàm quòd profundū corporis hoc tempore expurgatur, & quòd vitiosi humores, à partibus principatū in corpore obtinentibus, ad cutem detrusi perveniant. Proinde corpori, quod præcedentibus temporibus pravos humores coacervavit, potiùs imputandum erit, si verno tempore quispiam, præsertim lethaliter ægrotet, quàm tempori. Si enim aliquod corpus bonis humoribus refertum, vernum excipiat tempus, hoc saluberrimum conservat, nihil ex propria eius natura novans, aut immutans. Non sic verò æstas, autumnus, vel hyems: hæc enim tempora etsi purum corpus, & omni vacans reprehensione excipiunt: tamen hæc quidem flavam bilem, ille atram, hyems verò pituitam generat, ut fusiùs in libro De humana natura Hippocrates docuit. Verùm alius ea quæ diximus de vere temperato, ita impugnare perget: Initium, & finis veris, in frigus & siccitatem propensa sunt, igitur temperatum esse nequit. Cui ita respondendum erit: Fatendum quidem est, veris initium, quod hyemi proximū est, ad frigus propensum esse: ac eiusdem finem, qui æstati proximus est, ad calorem, & siccitatem inclinare: tamen haud immodicè, perinde atq; hyemem & æstatem, & citrà omnē excessum, qui mediocritatis & συγκρασίας, ut Græci loquuntur, latitudinē transiliat. Quod lavacri similitudine fiet clariùs opinor. Vt enim illud, non obstante quòd in alterutram partē paululùm sit propensius

Responsio. *Morbi cur in vere accidunt.* *Obiectio tertia.* *Responsio.*

pensius, temperatum dicimus: sic etiam nihil prohibet, quin ver, (etiamsi eius initium, & finis, in frigiditatem & siccitatem paululùm declinat) temperatum esse statuamus. Neq; enim hæc declinatio, quùm exigua admodum sit, levisq; momenti, & vix animadverti queat, ex-essus nomine censeri meretur. Et certè medium tempus, inter has declinationes, quòd propriè ver dicitur, verè temperatum existit. Atq; hæc de veris temperamento dixisse satis sit. Cæterùm, æstas ipsa, extra omnem controversiam, calida & sicca existit, quòd in ea humiditas, à siccitate, frigiditas, à caliditate vincatur. De autumni verò temperamēto, medicorum variant sententiæ. Sunt enim, qui absoluto sermone, & citrà omnem limitationem, hunc frigidum & siccum esse, at minus rectè, asserant. Non enim frigidus est si ipse per se spectetur, quòd scilicet in hoc frigiditas non superet caliditatem, sed modò in eo frigus nos afficiat, modò calor vigeat. Quippe meridie est multò calidior, quàm mane, aut vesperi. In calore itaq; & frigore planè inæqualis esse deprehenditur, & ex ambobus mistus, ut hac ratione absolutè, nec calidus, nec frigidus dici possit. Atque ea causa est, quæ maximè morbiferū, (ut ait Hippocrates) autumnum facit, inæqualis nimirùm, in calore & frigore intemperies. In altera itaq; oppositione, autumnus inæqualis est. Porrò quùm in humido & sicco medium omninò statum, quemadmodum ver, non obtineat, sed ad siccius vergat, adeoq; vincat in eo siccitas humiditatem, meritò hoc nomine siccus appellatur. Hyems quidem, omnium consensu, frigida & humida dicitur: non tamen ea de causa, quòd reliquis temporibus frigidior humidiorque sit: sed quòd frigiditas, in eo, superat caliditatem, & humiditas, siccitatem.

Aestatis temperamentum.

Autumni.

Cur autumnus morbifer.

3. Aphor. 4. 9.

Hyemis temperamentū.

DE AETATVM NVMERO ET *temperamentis. Cap. V.*

EXpeditis quatuor anni temporum temperamentis, ordinis ratio exigit, ut de ætatum tùm numero, tùm temperamentis nunc agamus. Vt autem ex anni temporibus calor innatus immutatur, ita quoque ex ætatibus. Eam verò mutationem, quam ætas affert, veteres annorum spaciis, & intervallis, dimensi, discreverunt, atque ætates appellaverunt. Vt certè ætas non sit, nisi id vitę curriculum, quo perspicuè constitutio corporis, per se immutatur. Quùm autem alii, aliter, ætates digesserint, nos de Galeni sententia universę vitę sex omninò ætates, suis temperamentis insignitas, statuemus: nempe, pueritiam, pubertatem, adolescentiam, iuventutem, constantem mediámve ætatem & senectutem. Quæ Gręcis ἡλικία παιδῶν, id est, puerilis ętas, Latinis pueritia dicitur, primum inter ætates ordinem obtinet, & confestim ab eo tempore, quo uterum homo egreditur maternum, & in hunc mundum nascitur, incipit, & ad decimumquartum, vel decimumquintum usque annum, protrahitur. In ea constituti Græcis παῖδες, Latinis pueri appellantur: ac quadruplici differentia, Hippocrate, in tertia aphorismorum sectione, teste, constant. Primo loco parvi sunt, & recens nati pueri, Græcis νεογενᾶ παιδία dicuntur. Secundò, qui addentitionis tempus accedunt, ac dentes iam edunt. Tertiò, medii inter dentientes & pubertati proximos. Quartò, qui iam ad pubertatem accedunt. Hæc certè ætas temperamento calida & humida existit: quod hinc maximè colligitur, quòd nō procul à suis ipsorum generationis principiis, semine & sanguine menstruo, absunt: prima namq; pueri, in utero matris constitutio, ex semine & sanguine, rebus calidis ac humidis, est. Quùm verò paritur, adhuc humidissimus est, non modò in sanguinis vasis,

Aetas quid.

Aetates sex.

Prima, Pueritia.

visce-

visceribus, & carne, quæ planè mucosa est, sed etiam nervis, ligamentis, imò & ossibus: quę tamen omnium, quæ in nobis sunt, siccissima esse constat. Siquidem hæc ipsa tenera, flexibilia, adeoque quasi cerea sunt, ut facilè sequantur, quocunq; ducas. Hincq; adeò fit, ut puerorum nutrices, ea ad arbitrium suum fingant formentque. Hûc accedit, quòd corpora, in alio quàm calido & humido temperamento increscere nequeant: Calidi igitur & humidi pueri sint, necesse est. Eam ætatem nonnulli in binas partiuntur, nempe infantiam, & pueritiam. Infantiam ad tertium quartúmve annum extendunt. In qua quidem ætate constitutus Græcis βρέφος καὶ νεογενὴς dicitur. Ab eo tempore pueritiam incipientes, ad decimum protrahunt. Nos uno pueritiæ nomine utramque complectimur. Altera ætas Græcis ἥβη, Latinis pubertas nominatur, quòd in ea pubescere iam pueri incipiant. Hæc, ut sect. 3. aphorismor. commento 27. & sect. 5. commento 7. author est Galenus, initium capit, anno decimoquinto, & ad decimumoctauum provehitur. Tertia ætas Græcis μειρακιώδης, Latinis adolescentia vocatur, eodemque Galeno sect. 5. aphor. comm. 9. attestante, incipit anno decimooctavo, & ad vigesimumquintum durat. In hac constituti ætate, Græcis etiam ἔφηβοι, id est, puberes, vel adolescentes, nominantur. Hippocrates 6. Epidem. libro, τράγους quoque appellat, quòd tum vocem mutent, & τραγίζειν incipiant, ut fusiùs nostris in commentariis diximus. Cęterùm Hippocrates, & Galenus etiam interdum, ut loco paulò antè indicato, adolescentiam, sub pubertate comprehendunt: neq; id quidem temerè. Vtraque enim earum ætatum, pubertas scilicet & adolescentia, medii, adeoque optimi sunt temperamenti, Galeno sect. 1. aphor. comment. 18. & in commentario super librum Hippocratis, de victu acutorum teste, ut hoc nomine facilè pro una eademq; ætate haberi possint. Quarta ætas est νεανίσκων & ἀκμαζόντων,

Infantia. *βρέφος.* *Secunda, Pubertas.* *Tertia, Adolescentia.* *ἔφηβοι.* *τράγοι.* *Pubertas & adolescentia temperata.* *Quarta, Iuventus.*

id est, iuvenum & vigentium: hinc Latinis iuventus, & iuventa dicitur. In hac sunt νεανίαι, id est, iuvenes, sic, Varrone teste, à iuvanda republ. Latinis dicti; modò ἐξ ἐφήβων, hoc est, annos pubertatis, & adolescentiæ, egressi. Vnde illud Terentianum, Excessit ex ephebis. Hippocrates vocat νέους, & νεωτέρους. Græcis, hæc ætas ἀκμή, id est, vigor, florens sive vigens ætas appellatur. Orditur, Galeno sectione aphoris. 3. comment. 30. & sect. 5. aphor. comm. 9. authore, anno vigesimoquinto, & ad trigesimumquintum extenditur. Hæc utiq; ætas, ut sect. 1. aph. comm. 24. attestatur idem Galenus, calida & sicca existit. Hoc loco quæri solet, nùm pueri, an ætate florentes sint calidiores. Ad quam quidem quæstionem ita de Galeni etiam sententiâ respondendum erit: Caloris æqualitatem in pueris, & florentibus ætate, esse: quantùm enim pueri de innato, id est, humido & vaporoso, adeoq; iucundo & grato, tantùm iuvenes de sicco ac terreo, adeoq; molesto & mordaci calore habent: id quod unusquisq;, qui sensum in multa particulariũ experientiâ exercuerit, manifestè deprehendet: differre tamen, quòd qualitate, puerorum calor magis sit halituosus, & multus, suavisq;: ætate autem florentium exiguus, siccus, nec similiter suavis, sed tristis, adeoq; tangenti quasi molestus & mordicans. Siquidem de puerorum substantiâ, utpote humidâ, multum foras effluit: florentium verò ętate substantia, utpote sicca parum dissipatur. Proinde neuter eorum simpliciter altero videtur calidior: sed alter multitudine eius, quod difflatur, alter acrimoniâ. Dissimilis igitur cum in utrisq; substantia sit, in pueris quidem humida & aërea, in ætate florentibus sicca & terrea: fit ut illorum calor tangenti blandior, horum verò minus suavis, ac veluti tristis occurrat: quemadmodum copiosiùs idipsum libro 2. de temp. cap. 3. & sect. 1. aph. comm. 14. Galenus monstravit.

ἀκμή. *Florens ætas.*

Nùm pueri, an iuvenes calidiores sint.

Quinta ætas. Quinta ætas Gręcis καθεστηκυῖα, Latinis, Ciceroni præ-

præſertim in dialogo de Senectute, conſtans, & media, inter manifeſtè creſcentes & decreſcentes, ſive iuventutem & ſenectam dicitur. Hippocrati in Aphoriſmis, qui in hac ætate ſunt, καθεστηκότες nominantur, id eſt, conſtantes & maturi, ac conſiſtentes, quòd nimirum iam vires conſiſtant, ſubſiſtántve; nec ampliùs creſcant, imò minui potius incipiant. Verum eſſe quod dicimus, confirmat Galenus in Commentariis iam citati Aphoriſmi, ita ſcribens: καθεστηκότας λέγει τοὺς τὴν μέσην ἔχοντας ἡλικίαν, ἀκμῆς τε καὶ γήρως, ὡς παύεσθαι μὲν ἤδη τὰ τῆς ἀκμῆς, μηδέπω δὲ μηδεμίαν ἄισθησιν σαφῆ γήρως ἔχειν. Quibus ſanè verbis Galenus diſertè innuit, conſiſtentes aut ſubſiſtentes eſſe, qui mediam inter vigorem, ſeu iuventutem, & ſenectam ætatẽ obtinent. Hinc eſt, quod ætas hæc μεσῆλιξ, & in eâ conſtituti μεσήλικες Græcis appellentur, ut iidem planè ſint καθεστηκότες & μεσήλικες: quod diligenter obſervandum erit. Habet autem hæc ætas, & alias apud Græcos, Galenum potiſſimùm (quem in digerendis ætatibus ſequor) appellationes. Siquidem illis παρακμαστική, & παρακμή, hoc eſt, declinans, Galeno ſectione tertia Aphoriſmorum, Commento 30. & libro quinto de tuendâ ſanitate, capite ultimo, teſte, vocatur. Hoc autem nominis illi datum eſt, quòd in eâ, ut libro ſecundo de Naturâ humanâ, & ibidem in commentariis Galenus teſtatur, corpus non amplius creſcat, & vires hominis decreſcere incipiant. Appellatur etiam Græcis alio nomine ἀνδρία, & ἀνδρῶν ἡλικία, id eſt, virilis ætas. Incipit anno trigeſimoquinto, & finitur quadrageſimonono, Galeno ſectione tertia Aphoriſmorum, Commento 30. atteſtante. Sed hoc loco Franciſcus Valeriola libro primo locorum ſuorum communium, capite decimo, me notat, & erroris inſimulat, quòd conſtantem ætatem & mediam, eam eſſe, quam medici declinantem nominant, dixerim: Nam, inquit, ſi declinans ætas, ob id dicta revera eſt, quòd

καθεστηκότες.

1. Aph. 13.

μεσήλικες.

παρακμαστική.

παρακμή.

Declinans.

ἀνδρία.

Virilis ætas.

Temperamentum huius ætatis.

Franciſc. Valeriola falsò damnat Fuchſium.

in ea vires minui atque decreſcere incipiunt, quod & ipſum ingenuè pro veritate ipſemet Fuchſius confitetur: quomodo conſtans, &, virilis; quæ iam decreſcere incipiat, dici uſquam poterit? Conſtans enim profectò ob id nunc dicta eſt, quòd conſtent adhuc vires, necdum labaſcere incipiant: contrà verò declinans, quod virium robur in imbecillum inclinet. Hęc ille: Vtinam verò Valeriola hoc in loco paulò diligentius verba mea expendiſſet, quādoquidem ſuos locos communes, ad verbum ferè è noſtris Inſtitutionibus compilarit: ſic enim facilè cognoviſſet, me conſtantem ætatem non eam ob cauſam, quòd adhuc conſtent vires, ſed quòd conſiſtāt, ſubſiſtántve, nec ampliùs, ut in ætate quæ præcedit, in iuventute nimirum augeantur. Hinc Hippocrati καθεστηκυῖα, id eſt, conſiſtens, dicta eſt, à verbo καθιστήκω, quod perſto, & quieſco ſignificat. Siquidem, ſi eam ætatem quis attigerit, neque moles corporis, nec vires eiuſdem amplius augentur, ſed ſenſim & parum minui incipiunt. Quòd autem ætas hæc, à declinante non diſtet, tùm ex ſectio. 3. aphor. 30. Hippocratis, tùm ex Galeni in hunc aphoriſmum commentariis ſit manifeſtiſſimum. Hippocrates enim ætatem, quæ iuventutem ſequitur, uſque ad ſenectutem extendit. Idem in commentariis facit Galenus, inquiens: ἡ ἐχομένη τῶν νεανίσκων ἡλικία, ταῖς ἐφεξῆς ἑβδομάσι δύο παρεκτείνεται. πάντα μὲν ἔτι πράττειν ἐπιχειρούντων αὐτῶν τὰ κατὰ τὸν βίον, παραπλησίως τοῖς ἀκμάζουσιν· οὐ μὴν ὁμοίως γε ἐξαρκούντων τοῖς πόνοις. id eſt: Quæ iuventutem inſequitur ætas, ad duas ſequentes ſeptimanas, extenditur. Omnia enim ipſi munia vitæ, æquè atque illi, qui ætate florent, conantur peragere: non tamen pariter ad labores ſufficiunt. Quem ſanè locum Valeriola etiam adverſus me, in aciem produxit: atque ut ſuo inſtituto ſerviret, hæc verba, νεανίσκων ἡλικίαν, non ſine maximo errore, adoleſcentiam vertit: quùm hæc ipſa, ut paulò ſuprà monſtravim⁹,

μειρα-

μειρακίων ἡλικία Græcis vocetur. Sed vide quàm turpiter lapsus hoc loco Valeriola, non solùm Galeno, sed & sibiipsi contradicat. Nam paulò antè disertè dixit, adolescentiam præcedere iuventutem, eamque incipere à 18 anno, & in 25 durare, quod etiam Galenus 5. aphor. comment. 9. affirmat. Galenus autem loco à nobis producto, non de adolescentia, verùm de iuventute loquitur, quæ 25 anno orditur, Valeriola etiam affirmante, & ad 35 durat: quomodo igitur adolescentia dici potest? Quare de ea ætate, quæ iuventutem, non adolescentiam, ut somniat Valeriola, sequitur, hoc est, consistente vel constante, Galenus in prædicto loco loquitur, & eam cum mox præcedente, id est, iuventute, seu vigente ætate, Valeriolæ etiam testimonio, confert. Quòd autem ætas quæ iuventutem sequitur, declinans vocetur, adeoq; à constanti non differat, Galenus eodem in commentario testatur, ita scribens: ἡ τῶν παρακμαζόντων ἡλικία, τὴν τῶν νεανίσκων. Hoc est: Aetas declinans, iuvenum ætatem, sequitur. Quòd si verò Galenus per νεανίσκων, adolescentes intellexisset, ut fateatur Valeriola, ætatem declinantem; sequi adolescentiam, (quo nihil absurdius dici posset) necesse est. Præterea si ætas quæ iuventutem sequitur, & constans dicitur, ad duas septimanas, ut Galenus affirmat, id est, quadragesimum nonum extenditur, ut non alia sit à declinante, necesse est Nam si ut Valeriola etiam confitetur, senectus à virilis & constantis ætatis fine, id est, à quadragesimo nono anno, orditur, ideo ut declinantem in se comprehendat, oportet. Galenus enim disertis verbis hunc terminum, ei ætati, quæ mox iuventutem sequitur, quam ipse παρακμάζουσαν, id est, declinantem, nominat, adscribit. Denique Cicero ætatem, quę est inter iuventutem, & senectutem media, constantem: Galenus autem consistentem, & declinantem vocat, ut igitur eædem sint, necessarium est. Accedit, quòd idem Cicero huic æta-

ti, gravitatem tribuat, quæ certè in nulla alia est ætate quàm in ea, quæ senectutem, mox antecedit; & Galeno declinans appellatur. Vt iam sole clariùs sit meridiano, ætatem eam, quæ iuventutem seu vigentem ætatem statim sequitur, Hippocrati & Galeno, quos medicos imitari decet, consistentem, virilem, & declinantem: Ciceroni autem constantem, & inter iuventutem & senectutem mediam, dici. Quapropter ut Valeriola declinantem ætatem eandem esse, cum virili fateatur, oportet: aut ut declinantem inter gradus senectutis, contrà Hippocratis & Galeni mentem, numeret, necesse est. Præsens ætas, potissimùm si ad præcedentes ætates conferatur, frigida & sicca existit. Hinc est, quòd Galenus loco iam
„ citato ita scriptum reliquerit: Omnium ferè inquit,
„ ætatum, ea quæ iam declinat, paucis indiget ad cor-
„ poris refectionem. Siquidem quod in ea resolvitur,
„ paucissimum est. Neque enim corpus similiter calidum, sicuti prius, neque in augmentū amplius quicquam in ea absumitur. Frigidos autem esse in hac ætate constitutos, Hippocrates quoq; libro primo de
„ victus ratione perspicuè docet, iis quidē verbis: Vir,
„ ubi iam corpus eius constiterit, frigidus & siccus est,
„ quòd nimirum caloris excessus impetúsve non amplius præpolleat, corpusque quiescens augeri desinat, ac frigidius factum sit. Siccitas etiam prioris ætatis inest. Hæc ille.

Sexta ætas, Senectus.

Sexta, quæ constantem sequitur, ætas, senectus nominatur.

γέροντες unde dicti?

In ea constituti Græcis γέροντες ἀπὸ τοῦ γέρας, quod honorem denotat, deducto nomine: γερόντων enim ætas est honore dignissima:

πρεσβύται. 3. Aphor.

& πρεσβύται (neq; enim inter hæc duo vocabula ullum est, Galeno autore, discrimen) dicuntur, Latinè autem senes.

Senectus viridis. Com. 31.

Tres senectutis partes seu differentiæ. Prima.

Horum Galenus libro quinto de tuenda sanitate, capite ultimo, tres recenset differentias. Primam eorum qui ὠμογέροντες, hoc est, viridi senectâ præditi, quòd nimirum adhuc ad Rempubl. gerendam idonei sint, & civilia obire negocia queāt,

nomi-

nominantur. Hæc incipit anno quinquagesimo, & ad sexagesimum usque durat. Nec est, quòd aliquem hoc loco perturbent Christophori de Vega, libr. 1. Progn. comm. 29. rationes, qui ὠμογέροντες, à constantibus consistentibúsve nihil differre putat. Nam Gal. sect. 2. aph. comment. 30. de constantibus consistentibúsve loquens, eos omnia vitæ munia æquè atque illos qui in vigore ætatis sunt peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficere posse, docet. In fine autem libri quinti de Tuenda sanitate, crudos senes non omnia vitæ munia, sed civilia tantùm obire negocia posse, inquit: ut hoc nomine subsistentes, à crudis senibus differre necesse sit. Siquidem illi, utpote robustiores, omnia vitæ munia, adhuc peragũt: hi verò, quia imbecilliores, civilia tantũ. Præterea nobiscũ non pugnat Galeni locus, quẽ ex li. 2. Progn. Com. 69 producit. Nã in eo γεραιότερυς, id est, seniores, vocat eos qui, metipso Galeno interprete, medii inter senes, & ætate vigentes sunt: hoc est, eos qui consistente ætate, & qui cruda viridíve senecta præditi sunt: senes autem, qui grandes natû, & longè ætate provecti sunt, adeoq; secundam & tertiam senectutis partem attigerũt. Quare seniores, qui inter florentes ætate, & senes medii sunt, duobus illic appellat nominibus: priores quidem eos nimirum, qui ætate iam subsistunt, μεσαιπολίυς, id est, dimidia parte canos: posteriores autẽ ὠμογέροντες. Quòd verò μεσαιπόλιοι propriè iidem sint, qui καθεστηκότες, confirmat abundè Phavorinus qui ita scriptum reliquit: Μεσαιπόλιος, ὁ μεσῆλιξ, καὶ ὁ σφόδρα ὑπεπολιωμένον, ἀλλὰ μέσος οὔπω γέρων. Quibus certè verbis palàm ostendit, μεσαιπολίυς, non esse nisi μεσήλικες, hoc est, in media sive consistente ætate constitutos, & nondũ senes. Vt necesse sit ὠμογέροντες ab iis qui ætate cõsistũt esse diversos, quandoquidẽ omnis generis senes à μεσαιπολίοις separet: ut hinc iterũ manifestũ sit inter vigentes & senes duas intervenire ætates, nempe subsistentem

ὠμογέροντες.
Christophori de Vega calumnia detersa.

μεσαιπόλιοι.

mediámve, & crudam senectam. Quod iterum liquidò Phavorinus demonstrat, quando inquit: Μεσαιπόλιός ἐστιν, ὁ ὑπερβὰς μὲν τὸν ἀκμαῖον, παραγγείλας δὲ καὶ εἰς ὑπέρακμον, ἢ καὶ ὠμογέροντα, καὶ μέσως πῶς ἔχων τῶν πολιῶν. Quibus utiq; verbis rursùs inter vigentem & senectutem duas ætates interponit, ὑπερακμαῖαν, id est, subsistentem, & vigorem excedentem, atque ὠμογέροντα, id est, crudam senectutē, sive primam senectutis partem. Inquit enim: Perveniens autem & ad subsistentem ætatem, vigorémve excedentem, aut etiam crudam senectam, ac medio quodam modo se ad canos habens. Atq; hinc est, quòd etiam Galenus disertis verbis eos qui inter senes & ætate vigentes medii sunt, nō esse nisi qui μεσαιπόλιοί τε καὶ ὠμογέροντες nominantur, loco suprà citato scribat: ut Vegę argumenta nullius esse momenti, hinc intelligant omnes.

Altera seu media. Secundam differentiam senum Galenus, facit eorū, qui civilia munia, propter viriū imbecillitatem, obire non valēt: & quibus hoc nomine iam debetur quies, ac delicatior vita, iuxta Laërtem Homericum, ad quem ita filius ait:

Odyss.ω. Τοιούτῳ δὲ ἔοικας, ἐπεὶ λούσαιτο φάγοι τε
Εὑδέμεναι μαλακῶς· ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων:
Isq; videris, qui lotus, dapibusq; refectus,
Molle cubile premas: namq; hæc est vita senilis.

Eius initium est anno sexagesimo, & protenditur usque in septuagesimum. *Tertia sive postrema.* Tertiam statuit eorū qui appellantur *Πέμπελοι.* πέμπελοι, παρὰ τὸ πέμπεσθαι εἰς τὴν ᾅδου πομπήν: id est, quorum iam quasi pompa funeris ducenda sit, ad infernum orcumque, vel qui ad manes iam mittendi sint. Silicernium Latinis dicitur. Hæc est omnium postrema, vitamque claudens ætas, quæ decrepita nuncupatur. Orditur anno septuagesimo, & durat ad vitę usq; finem: qui magna ex parte, anno, *Psalm.90.* (ut sacrę testantur literæ) octuagesimo instat. Est autem *Senectus frigida & sicca.* senectus in universum frigida & sicca. Siquidem solidæ senū partes, nempe ossa, membranę, ligamenta,

ta, arteriæ, venæ, nervi, tunicæ, carnesq; omnes siccæ sunt: ut meritò Aristoteles senium marcescenti stirpi assimilaverit. Vt enim stirpes, dum novellæ sunt, molles humidæq; cernuntur, senescentes autem assiduè magis siccescũt, postremùm aridæ prorsus redduntur, idq; ipsis mors est: ita quoq; animal, quanquam vitæ ingressû, (ut ostensum est) humidissimũ existit, tamen indies longius procedens, magis magisquè siccatur & arescit, ut quùm iam senectutem, extremam maximè, attigerit, non modò ossa arida sint, & humoris expertia, verùm etiam caro. Eius rei verò causam Galenus luculenter in primo de tuendâ sanitate exponit. Hinc veteribus usitatum fuit, ut senes, bis, térve, quotidie, tẽperamenti corrigendi gratia, lavarentur. Cæterùm non est, quòd quis propterea quòd supervacuis excrementis onerantur senes, hos humido temperamento esse preditos, arbitretur. Non enim ipsæ senũ particulæ, humidiore sunt temperamento: sed potiùs capacitates, quæ inter corpora patent, supervacuâ humiditate implentur. Quippe serosis & pituitosis excrementis, ob virium infirmitatem, senes pleni sunt, in solidis autem partibus planè sicci, ut lib. 2 de temp. cap. 2. & lib. 5. de tuend. sanitat. cap. 6. lib. 6. eiusdem operis, cap. 3. & in Commentariis super Hippocratis libellum de victu acutorum, Galenus fusiùs monstrat. Porrò quod hactenus à nobis de ætatibus dictum est, sic accipiendum erit, ut id, quod magnâ ex parte ita accidit. Neque enim ætates certo & exquisito annorum numero circunscribere licet, nisi fortè in latitudine quâdam: quòd non sit unus omnium certissimus pubertatis terminus, propter temperaturæ diversitatẽ. Siquidem calidi, citiùs, frigidi verò tardius pubescunt. Pubescere namque aliqui incipiunt, ubi 14 annum expleverunt: quidam uno pòst anno, aut etiam amplius. Initium præterea remissionis habent nonnulli post quintum & trigesimum, ut lib 6. de tuend. sanit. cap. 2. & sect. Aphorismor. 3. Commentar. 27. Galenus copiosius

Obiectio diluitur.

docet. Denique hæc ætatum ratio de præscripto medicorum, Hippocratis maximè & Galeni, ut diximus, excogitata est. Alii, qui ex professo medici non fuerunt, aliter ætates digesserunt, & constantem omnes ferè præterierunt. Hinc est, quòd Censorius ex Varrone ita diviserit ætates: Pueros usq; ad 15. quòd sint pueri & impuberes. Adolescentes ad annum 30. ab adolescendo, id est, crescendo. Iuvenes ad annum 45. quòd Rempubl. in re militari iuvare possint. Seniores ad 60. quòd tum primùm senescere corpus incipiat. Senes autem in quinto gradu ætatis, usque ad finem vitæ. Verùm quòd hæc ætatum ratio à veritate abhorreat, abundè patet. Omnibus etenim perspicuum est, corpus ante 60. annum senescere.

Aliorũ qui medici non fuerunt, de ætatibus opinio.

HOMINIS TACTVM SOLVM, *esse iudicem eorum, quæ actû calida & frigida sunt, &c. Cap. VI.*

NE quis exemplo quorundam cùm philosophorum, tùm medicorum, sensibilium rerũ cognitionem, laborioso consequi ratiocinio molitur, animadvertendum erit, id quod ἐνεργείᾳ, id est, re ipsa, aut quod dicere solent, actû, calidum, frigidum, humidum siccúmve est, tactu dijudicandum esse, non quidem leonis, aut equi, aut asini, aut alterius animãtis, sed solius hominis. Qui enim equo aut asino potiùs quã homini, animantiũ prudentissimo ac sapientissimo, horũ discernẽdi scientiã defert, præter quàm quòd ridiculus habetur, rerum cognitionem homini adimit, asinis verò largitur, à quibus nemo potest erudiri. Hominis igitur potiùs prudentiæ, præstantiq; naturæ, tactus iudicium cõcedamus, ut reliquorum omnium sit veluti lex & regula. Nec tamen cuiusvis, sed eius potissimùm hominis, qui optimi sit habitus, quiq; omnium iudicio temperatus, si non omninò, & quod dicitur, ad pondus, saltem

Hominis tactus iudex est temperamentorum.

ad

ad justitiam censeatur. Is itaq; ignem, omnium quæ sub sensum veniunt, calidissimum, nivem aut glaciem frigidissimam: quod verò paribus illorum portionibus confusum est, id ut in medio extremorum est situm, ita in calore & frigore temperatum esse, pronunciabit rectissimè. Pari ratione aquam humidissimam, terram siccissimam: si quid verò pari horũ portione componetur, id in humiditate ac siccitate medium ac temperatum esse statuet. Porrò non quævis temperatissimi hominis particula tactus instrumentum est, sed cutis, ac præcipuè, quæ est in vola manus. Nam etsi tactus per totam cutem æquabiliter fusus est, tamen quùm ea, quæ in manu est ab omnibus extremis, calido, inquam, frigido, humido & sicco, pari absit intervallo, adeoq; omnis excessus expers, ac media sit, huic rectè internoscendorum temperamentorũ æqua æstimatio, regulave cognitionis & judicii defertur, si modò ab iis quæ extrinsecus occurrunt, verbi gratia, à calore, à frigore, nihilo sit immutata, neq; (uti in remigibus & fossorib.) callo obducta. Ergo calidi frigidiq; corporis, solus tactus est judex: humidi autem & sicci, unà cum tactu ipsa ratio. Siquidem quod siccum est, durum prorsùs est, non tamen si quid durum est, idem statim & siccum erit, nisi mediocriter existat calidum. Nam & quod à frigore cōcretum est, durum cernitur, sicuti vitrum, crystallum, glacies. Quo utique minus sicci humidique adeunda statim discretio est, antè scilicet quàm æstimatum sit, quemadmodum res se in calore habeant & frigore. Neque enim si quid cum vehementi calore sit molle, idem statim est humidum: verùm cùm mediocriter calidum est, tùm æstimare, durúmne an molle sit, oportet. Si enim molle sit, humidum est: sin durum, siccum. Quæ quidem si sic se habent, partium, quæ in humano corpore duræ sunt, nulla est humida. Sed de partium corporis humani temperamentis sequenti capite agemus. Non est itaque, (adhibitis jam dictis distinctionibus

Cutis volæ manus tactus instrumentum.

Tactus quorum solus iudex sit.

de primis qualitatibus, quæ sub tactum recidunt) fides tactui abroganda. Quòd si verò spretis sensibus, omnium.quę sensibus objiciuntur, demonstrationes quispiam requirit, quibus olorem albū, corvum nigrum, ignem calidum, glaciem frigidam sibi persuadeat, is profectò desperata cognitione certi, omnia in suspicionem, Pyrrhonisque hæsitationem trahet: ut fusiùs libro secundo De temper. Galenus docet.

DE SINGVLARVM PARTIVM CORporis humani temperamentis. Cap. VII.

In excessibus iudicandis opus aliquo mediocri.

ORdinis ratio, ut nunc de partium corporis humani temperamētis, breviter disseramus postulare videtur. Vt autem primùm tactus æstimatione, sic deinde ex substantia, & compositione partium corporis humani temperamenta discernuntur. Quùm verò in excessibus judicandis opus sit, ut mediocre aliquod habeamus in quod tāquam scopum aliquem, intenti simus, & cum quo omnia temperamenta cōparemus: cutis verò ipsa, ut ostensum est, media [illegible]nè sit, & omnis excessus expers, ut hanc, omnium, animalis cujusvis partium, tanquam normam, ad quam referantur, ac judicem, proponamus, necesse est. Vt enim sensus judicio, sic & essentia compactionéve cutis media temperie est prædita.

Partium calidarū ordo.

Reliquarum itaq. partium corporis temperamenta, cutis comparatione, in hunc quidem modum sunt æstimanda. Spiritus omnium, quæ in corpore sunt, calidissimus, hoc ipso cor minus calidum: deinde sanguis, post hūc caro simplex. Hanc sequitur Iecur, hoc lien, lienem renes, hisce succedit pinguedo, & adeps, cutisque temperata.

Frigidarum ordo.

Ab eâdem cute in frigidum propensum est cerebrū, hoc frigidior, spinæ medulla, qua ipsa frigidiores nervi sunt molles: deinde sequuntur duriores, motibus accommodati: ab iis est vena, deinceps arteria,

teria, post hāc membrana: iis omnibus frigidior tendo, hoc rursus, frigidius ligamentum, proximū, cartilagineum ligamentum, quod Græcis χονδροσυνδεσμός dicitur: subsequitur cartilago, os ei finitimū: assidet huic pilus: ultimo loco est pituita, omnium quæ in corpore sunt frigidissima. Pilus omnium est siccissimus, quem suo quæq; ordine deinceps consequuntur os, cartilago, chondrosyndesmos, ligamentum, tendo, membrana, arteria, vena nervi duri: molles hi quippe in humiditate & siccitate, mediam naturam, ut cutis, obtinent. Proxima itaque cuti, est mollium nervorum natura: Hinc in humidum jam abit cor ipsum: Hoc humidiores sunt renes, jecur, lien, caro simplex. His succedit pulmo, post hunc est spinæ medulla: dein cerebrum, mox ossium medulla: proximè illi est adeps, subsequitur sanguis: postremò pituita, omnium quæ in nobis sunt, ut frigidissima, ita humidissima est. Atque hæc partium temperamentorum series, tactus judicio confirmatur. Cùm enim in nobis quoad vivimus, tanta esse frigiditas nequeat, ut per eam aliquid in duritiem concrescat: quicquid tactu molle deprehenditur, id quoque calidum & humidum: quicquid verò durum, id statim frigidum & siccum, videbitur. Cui rei, & essentiæ cōpositio consentit. Ossium enim essentia, frigidū & siccum ipsorum esse, (ut diximus) temperamentū declarat. Idem facit pilorum, cartilaginum tendonum, nervorum, ligamētorum, venarum, arteriarum, membranarumq; essentia, utpote quæ à calore cocta, & à frigore concreta est. In uno tamen, ut jam dictū est, magis quàm in altero frigidum & siccum præpollent, ut fusiùs l. 1. de Temperamentis. cap. ult. & lib. 2 ejusdem operis, cap. 4 Galenus edisserit. Cæterùm indicia quib. totius corporis, ejusq; partium temperamenta cognoscuntur, in arte medica exquisitè tradit idem Galen. Ea etiam quæ ex pilorum ratione sumuntur, lib. 2. de Temperam. cap 6. Alias verò multas, quib. cùm partium, tùm totius corporis temperamenta deprehen-

Siccarū ordo.

Humidarū.

Iudicia, quibus totius corporis & partium eiusdem temperamēta cognoscuntur.

di possunt, notas, capitib. 7. 8. & 9. usque ad finem secundi libri jam citati docet: quas sanè omnes medicus, ut rectè tēperamenta jam dicta dijudicare queat, ad unguem teneat, necesse est.

DE QVALITATIBVS SECVNDIS. Cap. IIX.

Cum ex secundis, vocatis qualitatibus, temperamenta quoq; cognosci, aliquâ ex parte possint, operæprecium faciemus, si de iis quoq; breviter differemus. Secundæ autem qualitates sunt, quæ primas, nempe caliditatem, frigiditatem, humiditatem & siccitatem sequūtur: vel, ut planiùs dicam, quæ ex commistione, temperaturáve primarum qualitatum procreantur. Sunt autem haud quatuor differentiæ: nempe visiles, ut colores: olfactiles, ut odores: gustatiles, ut sapores: tactiles, ut mollicies, duricies, gravitas, levitas, densitas, raritas, crassitudo, tenuitas, asperitas, lævitas, & id genus aliæ. Colores quidem, cutis præsertim & pilorum, non parùm ad tēperamenti corporis cognitionē conducunt: quemadmodum lib. 2 de Temperamentis, & in Arte medica Galenus docet. De medicamētorum verò temperamentis ex colore certi nihil colligi potest. In singulis enim coloribus calida, frigida, humida, & sicca inveniuntur. Non est igitur necessarium, ut quicquid rubrum existit, idem quoq; calidum sit: hâc enim lege rosas calidas esse cōsequeretur, quod tamen à vero abhorrere in confesso est. Neq; contrà quicquid album est, frigidum existat necesse est aliàs enim omnes flores candidos, frigidos esse fateri cogeremur: quod quàm sit absurdum, omnes intelligunt. nam sunt quàm plurimi ejus coloris flores temperamento calidi. Quod cùm omnibus, præsertim iis quibus stirpium est aliqua cognitio, sit notissimum, nullâ eget longiore demonstratione. Ex odore itidem de medicamentorum temperamentis colligere nihil licet,

Secundæ qualitates quæ.

Secundarum qualitatum differentia.

Colores.

Odores.

cet, quod lib. 2. de Simplic. medic. facult. capit. 3. & libr. 4. ejusdem Operis, capite ultimo, Galenus monstravit. Nos tamen capita ejus rei hic breviter attingemus. Quæ odore carent, hæc crassam quidem essentiam obtinent: cæterùm, quæ sit eorum in calore & frigore natura, non ita constat. At quæ odorata sunt, tenuia quodammodo existunt, & calida: verùm ejus tenuitatis caliditatisque quantitas haudquaquam certò indicatur, quòd scilicet olfactus totam medicamentorum substantiam percipere nequeat. Causa verò præcipua maximaque, quamobrem ex odore nihil certi de temperamentis judicari queat, inæqualitas est essentiæ. Neque enim omnes ejus partes æquè evaporant, nec perinde, ut gustus sensum movent. Quippe in gustu omnes similiter gustabilium corporum particulæ linguæ offeruntur, sensumque movent pro sua natura singulæ, ut copiosiùs locis paulò antè indicatis Galen. docet. Porrò genera, differentiæve saporum numero sunt octo: nempe adstringens, austerus, acerbus, acidus, dulcis, amarus, salsus, & acris: quorum quatuor priores ob frigoris excessum eveniunt: tres posteriores propter caloris redundantiam. Medius inter hos omnes, ob temperatum, quem obtinet, calorem, est dulcis. Adstringens sapor, qui Galeno στύφων dicitur: refrigerat, contrahit, constringit, densat, repellit, incrassat & exiccat, genusque est acerbi & austeri, quòd uterque adstringat, nec nisi majoris minorisque ratione differant. Cæterùm ubi in subjecto corpore, frigiditate superante, siccum terreum dominatur, adeoque actio caliditatis siccum conficere atque extenuare haud poterit, & probè cum humido commiscere, tanquam à frigoris excessu impedita, tunc, ut par est, in eo misto vires terræ exuperant. Quapropter ubi ejusmodi essentia terrea parum à calore devicta, accesserit, sapor in misto creabitur linguam adstringens, cõstipans, desiccans, & in multam

Cur de temperamentis ex odore non sit pronunciandum.

Sapores.

Adstringẽs.

Acerbus.

profunditatem usq; exasperans, qui Græcis τρυφνός, Latinis acerbus, Germanis herb dicitur, qualem pyra & poma sylvestria immatura in se habent. Quare acerbus sapor est, in quo frigus multũ est, cum multa siccitate. Quòd si verò frigiditas haud summè excesserit, sed aliqua etiam facultas caloris, quanquam obscura, in misto apparuerit, quæ secum parùm aliquid humoris attraxerit, & cum sicco terreo quodãmodo attenuato permiscuerit, non tanta vis adstrictionis, & constipationis gustanti apparebit, sed tantò remissior, quantò & plus caloris & humoris concocti invenietur in misto. Saporis, qui tum procreatur Græcis αὐστηρός, Latinis austerus, Germanis rauch appellatur. Hic etiam in profundum subit, & asperum quendam inæqualemq; movet sensum, tanquã reficcans, & humorem omnem corporum sensitivorum depascens. Ab acerbo in eo quòd minus astringat, differt. Si autem subiecta materia plus habuerit humoris, quàm terreæ essentiæ, calorq; iam incœperit in humore concoctionem, quæ ad perfectam mistionem tendebat, sed longè antea defecerit, & exhalarit, quàm finem assequi potuerit, eoq; exhalato, frigiditas tamquam victrix in humore permanserit, tunc gignetur sapor, qui Græcis ὀξύς, Latinis acidus, Germanis saur nominatur. Quum verò ea essentia, in qua is sapor consistit, ob humoris redundantiam, tenuis sit, ideò ad profundum penetrat, nec in superficie hæret exiccans, & exasperans. Quia verò calor qui posteà exhalavit in humorem egit, adeoq; caloris in eo reliquit vestigia, subtiliorumq; partiũ adustionem, ideò quæ acida sunt, non solùm in profundum subeunt, sed etiam incidunt, dividunt, extenuant obstructiones auferunt, expurgãt, abstergũtve, ut hinc omnibus palàm fiat, exquisitè adstringentia, acerba austera, & acida omnia frigida esse. Sic autem vocamus, quæ præter adstrictionem acerbam, austeram & acidam qualitatem, nulla alia sensu notabili quali-

Austerus.

Acidus.

Exquisitè adstringentia, &c.

qualitate prædita sunt. Atq; ii sunt tres sapores, qui à medio temperamento ad frigidum declinant: quorum duo astringentes, nempe acerbus & austerus, in terrea crassaq; substantia consistunt: tertius verò acidus in humida, quæ à calore, (qui posteà exhalavit, mediocriter attenuata fuit.

Dulcis.

Porrò dulcis sapor fit, ubi temperatus calor optimè commiscet humidum, cum sicco: ideò proximè ad temperiem humanam accedit. Proinde dulcia omnia mediocriter sunt calida, humectant, laxant, concoquunt, emolliunt, & rarefaciunt. Quòd si calor hos fines excesserit, & subiecta materia sicca fuerit, quam caloris redundantia adusserit, attenuaveritq;, necessariò fit substantia terrea, in eo misto siccior, & tenuior magisq; in profundum penetrans.

Salsus.

Quocircà primùm hinc sapor nascitur salsus. Siquidem salsedo aliquod adhuc humiditatis vestigiũ retinet, quæ cõcocta est, & humanæ temperaturæ familiaris: unde & salsedo in omnibus ferè animantibus gustum acuit, & delectet. Salsa itaq; calida & sicca, non tamẽ vehementer, existunt & quum linguam contingunt, eam neq; admodum contrahunt, neque constipant: imò contrà planè agunt, nempe detergunt, & abluunt, adeoq; gustum, ut dictum iam est, acuunt. Salsa, ut Galenus author est, leviter contrahunt, constringunt, condiendo servant, & exiccant.

Amarus.

Amara cur non nutriunt.

At ubi tota penè humiditas, nimia vi caloris exhausta fuerit, tunc ingratissimus sapor generatur, qui amarus nominatur. Hinc amara, quatenus amara sunt; nullum nutriunt animal, nulla enim in iis superest humiditas, unde alimentum elici possit. Sunt itaq; amara omnia admodum sicca, omniumq; hoc nomine minus putrescunt.

Acris.

Meatus quoq; corporis expurgant, abstergunt, humoresque crassos extenuant & incidunt. Cæterùm si subiectum in quo validus & igneus calor, ad mistionem agit, humorem satis copiosum habuerit, cum sicco terreo commistum, attenuetur que vi caloris, & effervescat tàm humida pars quàm sicca, tunc ex huiusmodi cõ-

mistio-

mistione & temperatura, oritur sapor, quem Græci δριμὺν, Latini acrem, Germani reſs & ſcharpff dicunt. Huius saporis substantia usq; ad profundum linguæ penetrat, eo quòd tenuis sit: deinde suo fervore dilatat, exiccat, mordicat, & erodit. Atq; hæc de saporibus in præsentia dixisse satis sit. Quòd si verò de illis quispiam plura cognoscere velit, is cap. 37. libri primi de Simplicium medicamētorum facultatibus, & cap 6. lib. 4. cum sequentibus omnibus, usq; ad finem libri, & 26 libri quinti Galeni perlegat. Quod ad tactiles qualitates attinet; hoc initiò monendum erit, id quod siccum est, (quemadmodum suprà quoque diximus) durum prorsus esse. Non tamen si quid durum est, idem statim & siccum erit. Etenim inseparabile à sicco corpore duricies est, non tamen eius unius propria. Nam & quod à frigore cōcretum est, durum cernitur; sicut glacies, vitrum, crystallum &c. siccum tamen non est. Vnde non statim sicci humidiq; adeunda, in rebus maximè externis, discretio est; antè scilicet quàm æstimatum sit, quemadmodum in calore & frigore se habeant. Neq; enim, si quid cū summo frigore coniunctum sit durum, id etiam siccum est. Nec si quid cum vehementi calore est molle, idem statim est humidū. Cera enim vehementer calefacta, mollis ac liquida est, non tamen humida. Verùm quùm mediocriter est calidū, tum æstimare, durúmne an molle sit, oportet. Si enim molle sit, humidum est: sin durum, siccum. Quid autem asperitas, lævitas, tenuitas, crassities, densitas & raritas ad temperamentorum ac medicamentorum facultatum dignotionē conducant, lib. 2. de Temperamentis, & in libris de Simplicium medicament. facultatibus abūdè Galen. docuit. Quare hos libros, unde harum rerum omnium cognitio petenda venit, studiosi adeant. Neq; enim instituti nostri ratio fert, ut singula hæc uberiùs attingamus. Vnicè autem ad temperamentorum totius corporis & principum eiusdē partiū conferunt, quæ Galenus in Arte medica à cap. 13. usq; 67. tradit.

Tactiles qualitates.

DE

DE HVMORIBVS, SECTIO IV.

DE HVMORVM NVMERO. Caput. I.



Hylus, ſuccúſve, qui ex prima eorum quæ eduntur, ac bibuntur commiſtione iam confectus, è ventriculo, per meſenterii venas, (ut ſuo fuſiùs dicemus loco) in iecur traducitur, non prorſus ex una eademq; ſubſtātia conſtat, nec ſimili caloris & frigoris menſura tenetur. Quapropter in iecore, non poteſt in unius ac ſimplicis humoris ſpeciem converti, ſed neceſſariò quatuor inde naſcuntur humorum differentiæ, qui tùm ſubſtantiæ, tùm qualitatis ratione, primorum elementorum naturas, quodammodò imitantur. Hinc eos, Galenus lib 2. de Elementis, animantium ſanguine præditorum elementa, nominat. Sunt autem hi humores numero quatuor: ſanguis nimirum, pituita, bilis flava, & atra: vel rectiùs, melancholicus, vel niger humor, quòd ſcilicet atra bilis nondum ſit, ſed ei vicinus, naturamq; illius ſtatim, (ubi ſcilicet putredinis, caloris fervore, aceti admodum, in acrem qualitatem, ut cap. 5 clariùs dicetur, mutatus fuerit) ſubiturus. Flavam autem bilem allicit, & in ſe recondit propria veſicula: atram, lien, quemadmodum renes humorem eum, qui aquæ ſpeciem gerit: atq; hoc pacto, ab eorū ſordibus, & ſquallore, ſanguis expurgatur, purusq; & integer redditur: pituita autē cū ſanguine manet, eiq; permiſcetur, cōcoctio neq; (ut infrà latiùs dicemus) in ſanguinē mutatur. Cæterùm nō uſq; adeò diligenter poteſt ſanguis, à bile, tùm flava, tùm atra, ſive melāncholico ſucco, expurgari, & quaſi elui, quin preterea utriusq; nōnihil derelictū ſit, quo, ſicuti & pituita, is perfūditur. Itaq; ſāguis, qui è iecore

Humores quatuor.

Chylus nō eſt ſubſtantia ſimplex.

Elementa animantium ſanguine præditorum

Sanguis exquisitè unus & purus esse non potest. ortus est, maioribusque venis concluditur, exquisitè unus, & purus esse non potest. sed ex pituitæ, bilis utriusq;, & puri sanguinis permistione, conflatus Atq; hos etiam succos, ex omnium consensu usuq; dicendi, sanguinis appellatione designamus. *Sanguinis appellatione quid veniat.* Vt bilis in venis non sit, nisi sanguinis tenuissima & calidissima pars. Pituita verò altera sanguinis crudior pars, quæ frigida & humida est. Melancholicus autem succus, crassior eius pars. quæ frigida & sicca est. Sola verò ea, quæ tùm substantiæ; tùm qualitatum mediocritate quadam, continetur, sanguinis puri appellatione notatur. *Sanguis purus & syncerus nusquam in venis reperitur.* Hinc est quòd rectissimè Galenus in libello de plenitudine scriptum reliquerit, immistum, & ab aliis humoribus syncerum sanguinem, nusquam in venis comprehendi. Igitur qui intra venas coërcetur sanguis, quatuor iam dictis humoribus perfunditur, *Quatuor humorum in sanguine proportio.* sed ea proportione, ut in temperata & mediocri constitutione purus sanguis, multùm antecellat, cæterisque præstet: ab hoc dein pituita, quia dulcis est, abūdat. Tertio loco est melancholicus succus: omnium autem paucissima est flava bilis, quòd ad corpus alendum sit supervacanea ferè: Quod autem melancholicus succus bilem exuperet, hinc maximè liquet, quòd illius quàm bilis receptaculum capacius, & plenius in nobis sit. *Sanguinis quatuor partes.* Præterea, quòd ex vena secta, sanguis si asservetur, plus subsideat lutulenti. quàm per summum innatet biliosi. Nec est cur absurdum alicui videatur, sanguinem ex tot conflari partibus; seu in unam substantiā, quatuor convenire partes. Nam idipsum in lacte, musto, & aliis quoq; succis, liquidò conspicitur. Atq; ut de reliquis taceamus, in musto certè est aliud, quod gravissimum existit; aliud quod levissimum, aliud tertium quod toti musto permistū est, in eoque fervet: adhæc quartum, ipsum videlicet vim corpus purissimum, ac syncerissimum; cuius reliqua tria excrementa existunt. *In musto quatuor substantiæ.* Quippe postea quàm mustum recens ab uvis expressum, coniectumque in dolia fuerit, ab innato sibi calore efferveſcit, mutatur,

acco-

ac coquitur, tumque excrementa, quæ prius quidem confuſa inerant, comparere incipiunt: atq; cum primùm concoctionis vi ſecernuntur & ſecedunt, alterum quidem gravius magis terrenum, quod in fundo ſubſidens fæcem appellant: alterum levius, magiſq; aëreum, quod per ſumma innatat, & flos vini dicitur. Porrò ubi muſtum à fæcibus, & ſpuma fuerit expurgatum, tamen crudis adhuc partibus, viſum effugientibus, perfuſum eſt, quas tandē aliquot dierum numero vini calor evincit, & concoquit, tumque ſyncerum & purum quod remanet, vinum nominatur. Simili profectò ratione chylus in iecur transfuſus, cùm humidus quidam liquor ſit, quodammodo fervet, & concoquitur, tandemq; in eo nonnihil craſſum exiſtit, fæci reſpondens, nonnihil etiam tenue & leve flori conſimile: hoc bilem flavam, illud melancholicum humorem appellamus. Hæc itaque quia aliquâ ex parte ſupervacanea, & ad corpus alendum minus ſunt idonea, idcircò ſanguini, puro corporis alimēto, illa, in univerſum permiſceri & contēperari, par non erat. Quamobrem natura illa ſegregans, flavam bilem ſupervacaneam in propriam veſiculam, ad iecoris portam conſtitutam: melancholicum verò ſuccum ſupervacaneum, in lienem reponit. Vtraque autem bile ſecreta, crudus inſuper adhuc quidam humor ſanguini confuſus permiſcetur, qui eſt quaſi dimidio coctum alimentum, quod manens cum ſanguine, unà rapitur in venas, ut per inedias, & cibi penuriam, tempore, mutetur, & integrè coquatur, fiatq; ſanguis cōmodꝰ & ſalutaris. Vt hinc omnibus palàm fiat, ſanguinem purum, in venis eſſe geminum. unum, qui à prædictis excrementis purgatus eſt: alterum, qui ſanguinis hoc modo expurgati purior eſt portio, quæ in mediocri & temperata conſtitutione, reliquos ſibi in venis commixtos humores, ut dictum eſt, exuperat. Atque prior quidem purus eſt, & dicitur, quod ab excrementis purgatus ſit: non eſt tamen ſyncerus, id eſt immiſtus. Alter verò

Fæx. *Flos vini.* *Vinum.*

Quatuor humorum procreatio & ſecretio.

Sanguis in venis purus geminus.

purus & syncerus est, saltem cogitatione, quâ à cæteris humoribus separatur.

DE HVMORVM TEMPERAmentis. Cap. II.

Sanguis temperatus.

EX iam dictis, facilè humorum temperamenta colliguntur. Quippe sanguinem omnem, quũ substantia & qualitatib. mediocris sit, temperatum statuere oportet. Id quod etiam Galen. confirmat, qui in Commento 36. libri primi Hippocr. de Natura humana, ita de sanguine utroq; scriptum reliquit: Καὶ δῆλον, ὅτι καὶ αἷμα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, οὐ θερμὸν καὶ ὑγρὸν, ἀλλ' εὔκρατον. id est: Atq; constat eadem etiam ratione (qua scil. ver ipsum) sanguinem non calidum & humidum esse, sed temperatum. Et clariùs Com. 39. eiusdẽ libri, de sanguine, cæteris humoribus misto, idem affirmat, in hunc modũ scribens: Αὐτὸ γὰρ τὸ αἷμα τὸ δοκοῦν εὐκρατότατον, λέγεται τοιοῦτον, ὅτι μηδὲν ἐπικρατεῖ μεγάλως ἐν αὐτῷ τῶν ἐναντίων ἀλλήλοις· μήτε τὸ θερμὸν τοῦ ψυχροῦ, μήτε τὸ ψυχρὸν τοῦ θερμοῦ· μήτε τὸ ὑγρὸν τοῦ ξηροῦ, μήτε τὸ ξηρὸν τοῦ ὑγροῦ. ἐπεὶ τοίνυν δεῖται καὶ τὸ αἷμα αὐτὸ τῶν τεττάρων ποιοτήτων ὑγρότητος, καὶ ξηρότητος, καὶ θερμότητος, καὶ ψυχρότητος, εὔδηλον ὅτι καὶ τῆς τῶν ἄλλων δεήσεται μίξεως: καὶ διὰ τοῦτο τὸ εὐκρατότατον αἷμα μετέξει τὸ καὶ φλέγματος, καὶ χολῆς ξανθῆς, καὶ μελαίνης. hoc est: Sanguis ille qui videtur temperatissimus, talis dicitur, quòd in ipso nullum contrariorum, aliis magnoperè præcellit, neq; calidum frigido, neq; frigidum calido: neque humidum sicco, nec siccum humido. Posteaquàm itaq;, & ipse sanguis, indiget quatuor qualitatibus, humiditate, siccitate, calore, & frigore, manifestum est, quòd & cum reliquis humoribus, misceri postulet. Quo fit, ut temperatissimus quoq; sanguis sit, pituitæ, flavæ, & nigræ bilis, particeps. Porrò non solùm sanguinem, qui alios sibi commistos humo-

Sanguis purus, syncerus & immistus

res

res habet, esse temperatum, verùm etiam eum qui purus, syncerus & immistus est, ex ipsius generatione fit manifestum. Quæ utiq; qualis sit, à Galeno clatè monstratur, qui lib. 2. de Natural. facul. de illa sic scriptum reliquit: ἀποδέδεικται ἐκείνοις τοῖς ἀνδράσι ἀλλοιουμένης τῆς τροφῆς ἐν ταῖς φλεψὶν ὑπὸ τῆς ἐμφύτου θερμασίας: αἷμα μὲν ὑπὸ τῆς συμμετρίας τῆς κατ' αὐτὴν, οἱ δ' ἄλλοι χυμοὶ, διὰ τῆς ἀμετρίας γινόμενοι. id est: Demonstratum est iis viris, alimento, in venis, à calore innato alterato, sanguinem ex eius mediocritate, seu moderatione, reliquos verò humores, per eiusdem immoderationem fieri. Quibus utique verbis Galenus perspicuè docet, omnes quatuor humores naturales ab innato calore generari, atqui certo quodã discrimine. Siquidem sanguinem purum, & ab aliis humoribus secretum, (quem clarioris doctrinæ gratia, aliàs puriorem massæ sanguinis partẽ appellamus) à mediocri & exquisitè temperato innato calore: reliquos autem tres ab eo innato calore, qui ab exquisita illa mediocritate parùm declinat, procreari ait. Si enim ad caloris immoderationem recedit, flava bilis, tenuissima massæ sanguinis pars: sin ad frigiditatis immoderationem vergit, crassissimæ iam dictæ massæ partes, nempe pituita & melancholicus humor, generantur. Quare Linacrus præsentem Galeni locum pessimè est interpretatus, propterea quòd reliquos humores ab immodico calore fieri converterit. Hac enim interpretatione effecit, ut multi à Galeni sentẽtia genuina aberraverint, & reliquos tres extrà sanguinem humores, ab immodico, id est, non naturali calore nasci putaverint: quod tamen Galeno ne per somnium quidem in mentem venit: quùm id tantùm docere, quod paulò antè indicavimus, voluerit. Nec est cur alicui absurdum videatur, calorem nativum in iecore, & venis alimentũ alterantem, qui simplex, uniformis, & eiusdem naturæ est, nunc moderatum, nunc verò immoderatum dici. Nam constat, hunc in

etiam temperatus existat.

Galeni locus enarratus.

Linacri lapsus & spuria Gal. textus interpretatio.

Obiectio diluitur.

aliquo corpore esse magis, quàm alio temperatum, habereq; suam latitudinē, ut omnia alia temperata, intrà quam subsistat. Quàm nisi transgrediatur, non naturalis dici nequit. Ab eo igitur calore, qui innatus, adeoque naturalis est; quatuor humores generationem suam habent: ideoq; naturales illi quoque vocantur. Vt igitur rem in pauca contrahamus, si innatus calor alimentum alterans, ita mediocris fuerit, ut à summa temperie, nihil declinet, plus purioris sanguinis procreabit. Quòd si verò exquisitam illam mediocritatem non adeptus fuerit, sed ab ea nonnihil recesserit, plus aliorum humorum generabit. Si etenim paulò suprà mediocritatem abierit, plus tenuioris, id est flavæ bilis: sin infrà mediocritatem modicè substiterit, plus crassioris partis, hoc est pituitæ, & melancholici succi efficit. Atq; hæc sanè causa est, cur in temperata, & mediocri constitutione, purus sanguis multùm antecellat, cæterisq; redundantior sit: in calidioribus autem flava bilis, in frigidioribus humidioribusq; pituita, in frigidioribus & siccioribus melancholicus succus. Proinde rectè loco citato Galenus, sanguinem, in venis aliis, biliosiorē, aliis, crassiorem magisq; atrum, aliis pituitosiorem esse, scribit. Quùm itaque purior sanguinis pars à moderato & exquisitè temperato calore fiat, ut ipse quoq; temperatus sit oportet. Fieri enim nequit, ut id quod est temperatū, intemperatum aliquod producat. Cæterùm ad eam quam nunc diximus humorum generationem, non solùm nativi caloris vis, sed & materiæ seu alimenti, ætatis, regionis, anni temporum, exercitiorum, & id genus aliorum diversitas, non parùm momenti habet, ac confert. Nemo enim ambigere debet, quin ab æstu, exercitio, balneis, in summa à calidiorum prædictarum causarum vehemēti occursu pars sanguinis tenuissima, adeoq;, flava in venis bilis, quemadmodum etiam reliquæ eiusdem partes copiosiores, persistente similium causarum impetu, procreentur. Quod Galenus loco

Secundariæ humorum generationis causæ efficientes.

loco citato, iis confirmat verbis, quæ à paulò antè ,,
productis mox ſubiicit, inquiens: Quando & cibo- ,,
rum qui naturâ calidiores, magis ſunt bilioſi: qui ,,
frigidiores, magis pituitoſi. Simili modo ex ætati- ,,
bus, quæ calidiore natura ſunt, has bilioſiores eſſe ,,
conſtat. quæ frigidiore, pituitæ magis obnoxias eſſe ,,
cõſtat. Iam vitæ rationum, & regionum, & anni tem- ,,
porum, multæq; priores cauſæ, ab his, ipſarum quo- ,,
que naturam, quæ frigidiores ſunt, eæ magis cernun- ,,
tur pituitoſæ: quæ calidiores, magis bilioſæ. Hæc ille. ,,
Quæ utiq; manifeſtè docent, Galenũ non aliud ſentire, quàm quòd à mediocri calore, in humano corpore, plus ſanguinis: ab immoderatiore contrà, plus utriuſq; bilis, & pituitæ gignatur. Atq; hinc eſt, quòd ab uno eodemq; alimẽto, in diverſis corporibus, diverſi naſcantur humores: quod mellis exemplo ibidẽ Galen. demonſtrat. Hoc namq; mel, in eo, qui natura calidiore eſt, & ætate florens, vitamque laborioſam degit, inquit ille, totum, in flavam bilem, ſeu leviorẽ ſanguinis partem vertitur. Contrà in ſenibus, non in bilem, ſed in ſanguinem, hoc eſt puriorem ſanguinis partẽ mutatur. Vt hinc omnibus palàm fiat, ex caloris vi, in humorum, & partium ſanguinis, ex alimentis procreatione: varietatis plurimũ afferri. Quod Hippocrates etiã in libello de humoribus, iis verbis breviſſimè ſignificavit, inquiens: Augetur autem in alio, aliàs, alius humor temperamẽto, anni tempori, regioni, ætati, & victus rationi congener, & analogus. Sed redeundum nobis ad inſtitutum erit. Sanguinem eſſe temperatum hinc etiam patet, quòd Galenus libro ſecundo De temper. cap. 4. ſanguinem, humorũ optimum, maximèq; animali proprium eſſe ſcribit. Si optimus eſt, igitur temperatus ſit oportet. Optimus enim in corpore humano, humor, nullus eſſe poteſt, niſi idem in qualitatibus quatuor mediocris, adeoq; temperatus ſit. Proinde cùm ſanguis ſit temperatus, errare plurimùm neceſſe eſt Medicos, qui hunc calidũ & humidum eſſe affirmãt. Nam ſi ho-

Sanguis non eſt calidus & humidus.

rum opinio constabit, fatēdum erit, sanguineū quod ipsi appellant temperamentum, non optimum, sed omnium ferè pessimum esse. Quippe corporis temperamentum, in quo calidum prævalet frigido, & humidum sicco, in utraq; oppositione intemperatū est, tantùm abest, ut temperatum dici debeat, aut possit. Hinc est, quòd omnium intemperierum (ut lib. 8. Ther. meth. cap. 7. etiam attestatur Galenus) calida & humida intēperies, putredinis & putidis morbis maximè exposita sit, propterea quòd per ipsam sanitatē, proximè ad putredinē accedat: veluti tùm ex sudoribus conijcere est, qui iis graviter olēt: tùm verò ex urinis, dejectione, atq; etiam ipsa expiratione. Etenim qualis est hircorum, talis est etiam illarū naturarum temperies. Ideoq; prompta est, ex qualibet occasione tùm aliis morbis, tùm verò febribus corripi. Accedit, quòd hoc temperamentum, quemadmodum li. 5. de Tuenda sanit. cap. ultimo, testatur Galenus, fluxionum vitiis, maximè obnoxium sit. Idem quoque lib. 6. eiusdem Operis, cap. 4 naturas calidas & humidas in ætate puerili fluxionū & plenitudinis morbis maximè tentari tradit, itemq; putredinis. Proinde ut omnium aëris temperamentorum pessimum id est, quod calidum & humidum existit, ut lib. 1. De tempe. cap. 4. demonstrat Galenus: ita etiam humani corporis temperamentū, quod eiusmodi est, pessimū sit, necesse est. Quòd si itaq; sanguineum temperamentum optimum est, ut reverà est; consequitur sanguinem nō esse calidum & humidū, sed potiùs temperatum. Atqui hic sciolus quispiā, statim nobis Hippocratis, & Galeni authoritatem opponet, quorū uterq; sanguinem esse, calidū & humidū: hic quidem lib. 1. De temperamētis, & cap. ultimo libri De differ. morborum, ille in lib. De humana natura, disertè scriptum reliquit. Cui vicissim id respōdemus, verū utiq; esse, quòd Hippocrates sanguinē appellet calidum & humidum sed qua idipsum faciat ratione, diligenter considerandum erit: Non autem alia haud dubiè, Galeno

Obiectio prima.

Responsio.

Qua de causa sanguis calidus & hu-

Galeno etiam Com.36.libri de Natura humana, primi, teste, quàm qua ver calidum & humidum esse ait, nempe non absolutè, sed collatione ad aliud tempus, autumnum scilicet. Per se enim, & ex sua natura æstimatum ver, (ut suprà attigimus) temperatum est. Sanguinem igitur, collatione cum cæteris humoribus, calidum & humidū esse, Hippocrates rectè statuit: pituita enim calidior, bile verò humidior est. Pari modo Galenus quoq; sanguinem, conferendo ad ea, quæ maiorem frigidi portionem contraxerunt, pituitam scilicet, calidum esse inquit: collatione verò ad ea, quæ maiorem sicci portionem sortita sunt, ossa, verbi gratia, cartilaginem, & id genus alia, humidum. Verùm instabit rursùs alius, hoc modo; Galenus sanguinem non solùm calidum, sed & omnium eorum quæ sunt in corpore calidissimum, libro primo de Temperament. capite ultimo asserit, tantùm abest, ut illum temperatum dicere possis. Respondeo: Galenum hoc loco non loqui de sanguine per se æstimato, sed cum cute collato. Huius enim respectu calidissimus est, inter ea, quæ simul humida, sanguis. Præterea non loquitur Galenus ibidem de eo sanguine, qui alieno calore vacat, sed eo potiùs, qui est à corde plurimùm calefactus: id quod ex eiusdem verbis, quæ deinceps sequuntur, fit evidentissimum. Ita enim paulò pòst ait: Sanguis verò ipse, à corde suum accipit calorem. Quod etiam confirmat Hippocrates, qui in fine libri de Corde, sanguinem non esse natura calidum, sed calefieri à corde disertè scribit. Proinde sanguinis temperamentum non posset commodius æstimari, quàm in iis, quæ corde essent destituta, animantibus: in illis enim temperato planè calore præditus esset. Quod in libro de Fœtus formatione, iis etiam verbis innuere voluit Galenus. Nullum, inquit, animal exangue, & insectile est manifestè calidum: neq; manifestè calidū exangue. Nam sanguini, qui in venis est, absque cordis calore, tepida quædam caliditas insita

midus dicitur Hippoc.

Obiectio altera.

Responsio.

Sanguis calorem suum à corde accipit.

est: & propterea etiam in iecore. Cor verò, quasi quendam ignis focum, animalia sortita sunt. Sine corde enim, animalium calor, persimilis est, calori, qui æstatis tempore, in domibus sentitur. Sed quemadmodum domus, incenso in ipsa igne, calidior redditur, ita & animalium corpus, è corde, calorem maiorem acquirit, quàm is sit, qui venis & iecori insitus est, & sanguini videlicet, in ipsis contento. Hæc ille: Proinde ut sanguis per se æstimatus, prout in iecore & venis est, non à corde calefactus, temperatus est, & dicitur: ita ille, qui à corde calorem nactus est, inter corporis partes, quæ simul humidæ sunt, calidissimus existit. Atque iam facilè etiam diluuntur, alia quædam Galeni loca, in quibus ille flavam bilem sanguine calidiorem esse affirmat: quorum sanè unus est in lib. 2. de Temperament. cap. 4. ubi non obscuris verbis flavam bilem, sanguine, longè calidiorem esse ait. Alter in capite quinto libri de Inæquali intemperie, ubi ita scriptum reliquit: Calidissima, naturâ suâ meritò flava est bilis: at frigidissima, pituita. Reliquorum humorum, sanguis, post flavam bilem, maximè est calidus, sicut atra post pituitam, est frigida. Tertius in libro primo ad Glauconem, de tertianæ exquisitæ curatione, ubi flavæ bilis humorem, inter omnes, qui in corpore sunt, θερμότατον καὶ ξηρότατον χυμὸν, id est, calidissimum & siccissimum, esse tradit. Nam in libro primo de Temperamentis, de sanguine non per se æstimato, sed cum cute collato loquitur, ibidemque, quæ hac ratione in corpore humano, sunt humidissima simul & frigidissima, calidissima simul & humida, siccissima simul & frigidissima, inquirit. Qua utiq; ratione, rectissimè pituitam humidissimam & frigidissimam in corpore esse, ait: Nihil enim, ut dictũ est, in humano corpore hac frigidius simul & humidius est. Pilum verò siccissimum & frigidissimum statuit. Nihil enim hoc ipso, siccius simul atq; frigidius est. Sanguinem autem, à corde nimirũ calefactum, calidissimũ: quòd scilicet eo, in corpore nihil,

Obiectio tertia.

nihil, quod simul humidum sit, calidius existat. Est quidem eo, calidior flava bilis: atqui ea etiam sicca, non humida simul est. Et cùm in utrisq; sequentibus locis, secundo nimirum & tertio, inter se humores quatuor conferat, exq; horum collatione, eorundem temperamenta colligat, meritò flavam bilem calidissimam & siccissimam esse inquit Quippe in ea maior calidi portio est, quàm omnib. aliis humoribus. Cæterùm est etiam cor, sanguine calidius, utpote id viscus, à quo sanguis suum mutuatur calorem: sed simul etiam (sanguinis potissimùm collatione) siccum est idipsum. Id quod Galenus quoq; confirmat, qui in libro secundo de Temper. capite quarto, in hunc scribit modum: Iam, inquit, cordis caro, omnibus iis carnibus, nimirum lienis, renum & iecoris, tanto est siccior, quanto est durior. Calidior verò non modò iis, sed etiã omnibus planè corporis particulis. Quod etiam sensu clarè deprehendas licet, in thoracis animalium dissectione, si digitum in sinistrum eius sinũ immiseris. Invenies enim locum hunc, omnium, quæ in animali sunt, non paulò calidiorem. Ex iis igitur omnibus, quæ diximus, abunde patere arbitramur, sanguinem per se, & ex sua natura æstimatum, (quod certè in disquirendis temperamentis fieri debet) esse temperatum, minimè verò calidum & humidũ. Hæc fusiùs à nobis tractata sunt, nulla alia de causa, quàm quòd à nemine alio, quod sciam, sanguinis temperamentum rectè sit explicatum, cùm in universum omnes iam multis annis receptam sequantur opinionem. De reliquorum humorum naturalium, & sanguini commistorũ temperamentis, nulla est inter medicos recentiores dissensio: imò omnes uno ore fatentur, pituitam esse frigidam & humidam: bilem flavam, calidam & siccam: atram verò, vel melancholicum humorem, frigidum & siccũ. Vt errare necesse sit eos, qui Prodicum in Opere suo de Natura humana sequentes, φλέγμα (sic enim Græci pituitam vocãt) à verbo πεφλέχθαι, quod ustum ac suprà modum co-

Epilogus.

Pituitæ temperamentũ.

Bilis flavæ.

Atræ.

Humores quomodo calidi, frigidi, humidi, & sicci, dicuntur.

ctum esse significat, dictum esse arbitrantur. Siquidem ignorant illi, Graecis authoribus φλέγμα duo significare: nempe φλέγωσιν, id est, ustionem, & humorem illum natura frigidum, ac humidum, quem Latini pituitam appellant. Animadvertendum autem, quum humores hos calidos, frigidos, humidos siccosve dicimus, tales nō nisi potestate dicimus. Quippe dissidet id, quod actû, & secundùm, ut ita dicam, apparentiam tale est, ab eo quod potentia, seu facultate eiusmodi existit. Actû enim est, quod iam praesens est Potestate autem, quod adhuc futurum est: atque ut fiat quod dicitur, veluti habile est, non tamen adhuc tale est. Hac utique ratione flavam bilem, siccam appellamus, quantumvis aspectu humida sit. Potestate autem flavam bilem esse calidam & siccam, indicio est, quòd ubi plurima interdum in ventriculo cōtinetur, perpetua siti infestamur. Contrà, si haec evomitur, protinùs à siti magis vindicamur, quàm si plurimam hausissemus potionem: quemadmodum fusius libro secundo, de Natural. facultat. Galenus docet. Sitim autem à calore & siccitate provenire, notius est, quàm ut multis à me ostendi debeat. Idipsum etiam lib. 1 de Simplic. medic. facult. cap. 30. Galenus copiosè docet. Pari ratione aquam marinam, non obstante quòd humida, (prout apparet, existat) siccam esse affirmamus, quòd nimirum potestate talis sit: siquidem carnes siccat, & incorruptas servat. Sic atram quoque bilem, non obstante quòd humida sit (neque enim in humorum censum veniret, nisi talis esset) siccam potestate esse adstruimus. Verùm haec ex libris Galeni de Simplicibus abundè patere omnibus, arbitramur.

Φλέγμα.

Actu esse.

Potestate esse.

Flava bilis potestate calida & sicca.

Sitis causa.

DE

DE SECVNDIS QVATVOR *humorum naturalium, qualitatibus, ac febribus.* Cap. III.

Secundæ humorum qualitates.

Naturales humores, qui, & quare dicantur?

HActenus de primis qualitatibus, quę quatuor humoribus naturalibus insunt, abundè dictũ est. Naturales autem vocamus eos, qui secundùm naturam se habent, dum scilicet ipsi per se & seorsim, ac inter sese iustam servant in sua substantia, quantitate & qualitate commoderationem, qua salubris hominis status cõservatur: nunc de illis qualitatibus, quæ has sequuntur, adeoq; secundæ nominantur, nobis disserendum erit. Sanguini itaque simplici, uniformi, id est, ex variis substantiis non cõstante, nec cum aliis humorib. cõmisto, ut Galenus in libello de Atra bile inscripto sentit, dulcedo inest. Nã quum à moderato calore, ut libro 4. de Simpl. med. facult cap. 10. idem Galenus attestatur, cuiq; corpori dulcedo accedat, sanguisque, ut præcedenti capite demonstratum est, temperatus sit, ut idem quoque dulcis sit, necesse est. Dulcem autem esse, gustus quoque confirmat. Quum igitur dulcedo non nisi à moderato calore procreetur, illaque sanguini liquidò insit, consequitur etiam illum esse temperatum. Pituita profectò naturalis totius sanguinis portio crudior, qualitatis omnis secũdæ, ut aqua, expers, adeoque insipida est. Neque enim dulcedinem, neque amaritatem, neque acrimoniam, neq; aciditatem præ se fert. Cùm enim omnium quæ in corpore sunt frigidissima, adeoque minimum concocta & humidissima sit pituita, fieri non potest, ut aliquis iam dictorum saporum illi insit, quòd horum nullus à vehementi frigiditate, procreari possit. Vt errare maiorem in modum omnibus constet eos, qui pituitam naturalem dulcem esse affirmant. Porrò flava bilis amara est: idque sanè meritò, quòd calida admodum sit: quippe amarus sapor, quod multis

Sanguis dulcis.

Pituita qualitatis omnis secundæ expers est.

Flava bilis amara.

argumentis lib.4. Simplicium,cap.16.& 19.Galenus demonstrat, calidis & siccis corporibus inest. Atra bilis naturalis, quæ melancholicus vel niger humor propriè Galeno dicitur,acerba est: siquidem sapor acerbus non nisi in terreis & frigidis, qualis certè, (ut ex præcedentibus patet) atra bilis naturalis est,ut idē Galenus eodem in loco,capite septimo testis est, reperitur. Cæterùm quæ diximus,ad humores naturales vocatos referenda sunt. Sic autem medici appellant eos,qui sunt in animali, quandiù secundùm naturam se habet,adeoque in se illos qui utiles sunt, & suas jamque expositas qualitates servant. Vtiles autem sunt omnes quatuor; tanquam nutrientes: bilis autem flava & atra etiam veluti excrementa, ut infrà latiùs dicemus. Hi certè omnes, uno duntaxat excepto,sua,in quibus continentur,in corpore,loca obtinent. Sanguinis enim locus venæ sunt,& arteriæ. In iis namque vasis,sanguis naturaliter continetur,& in totum distribuitur corpus. Non solùm verò in venis,sed etiam in arteriis,contineri sanguinem, Galenus in eo libello,cui titulum fecit, An sanguis naturaliter in arteriis contineatur adversus Erasistratum & ejus sectatores,luculenter admodum demonstravit. Distat tamen nonnihil sanguis,qui in arteriis est, ab eo qui in venis habetur,ut idem Galenus lib 1. de Laborantibus locis cap.1 & lib.6. de Hippocratis & Platonis placitis, confirmat. Quippe sanguis venarum,colore ruber est. Arteriarum verò, utpote calidior, tenuis subtilisque, flavior existit. Quamquam autem sanguis purus,& syncerus, ut in superioribus ostensum est,& in libro de Plenitudine,& multis aliis locis attestatur Galenus,nusquam in venis reperitur, sed semper pituitam,ac geminas biles sibi commistas habet: tamen quia is plurimus est,alii autem humores illi commisti, eo pauciores, ideo solus, tanquam is qui reliquos copia superat, ex omnib. in venis apparet. Habent tamen nihilominus reliqui etiam humores sanguini commisti,suum in venis locum. Porrò

Atra bilis acerba est.

Naturales humores qui.

Sanguinis locus.

Differt sanguis venarū nonnihil à sanguine arteriarum.

Cur solus sanguis in venis apparet.

rò generationis sanguinis, seu, ut ita dicam, sanguificationis officina, & instrumentum, Iecur est, quemadmodum idipsum Galen. lib. 3. de Vsu part. corpor. humani, & lib. 6. de Placitis Hippocr. & Plat. copiosè demonstrat, & nos in libello nostro de Sanguificatione. Pituitæ, quæ in prima ciborum mutatione, Galeno Com. 39. lib. de Natura humana, & in fine libri de Bile atra, teste, à pituitosis cibis generatur, ac colore alba existit, & à meseraicis in jecur delata venis, concoctione, in sanguinem mutatur, expurgandæ, natura nullum proprium instrumentum machinata est, quòd segregari à sanguine, excludique non deberet. Est enim veluti dimidio coctũ alimentum, quod in jecore concoctum, sanguis fit, & cum reliquo sanguine unà rapitur in venas. Desiderat itaq; talis humor non vacuari, sed in corpore manens alterari. Cæterùm pituita, quæ in jecore concocta, sanguis evadit, utilis & naturalis est humor, ac cum sanguine jam, quemadmodum alii humores naturales, miscetur. Quapropter quùm jam concocta sit, cruda, ut illa, quæ in ventriculo & intestinis generatur, esse nequit. Hæc igitur, per inedias, & cibi penuriam, in jecore mutatur, & integrè concoquitur: coctaque jam sanguis fit. Illa verò quæ ex jecore per majores venas in universum corpus fertur, nulla amplius cõcoctione eget: sed jam satis apta est, ut partes pituitosas alat. Quicquid verò pituitæ, in intestinis relinquitur, à bile ex jecore in intestina defluente absterfum, commodissimè ac celerrimè per sedem ejicitur, quemadmodum libr. 5. de Vsu part. cap. 4. corporis humani, fusiùs Galenus ostendit. Porrò excrementum quod à cerebro destillat, & è naribus manat, veluti idem Galenus libr. 2. de Naturalibus facul. cap. ultimo attestatur, propriè non appellatur pituita, sed Græcè βλέννα ϗ κόρυζα, Latinè mucus. Quamquam igitur id excrementum, pituitæ temperamentum accepisse videtur, adeoque frigidum & humidum est, nequaquam tamen est vera pituita. Siquidem hæc in

Iecur generationis sanguinis officina.

Pituitæ reponendæ nullus à natura in corpore destinatus locus.

Pituita dimidio veluti coctum est alimentum.

Pituita, inediæ tempore, nutrit nos.

βλέννα. Mucus.

solo jecore gignitur, & in utilium humorum numero censetur, illud verò cerebri planè excrementū est: hæc potest concoctione, in sanguinem converti, illud nunquam: sed caloris vi siccescit, & in tophos cogitur. Hujus speciem præ se fert ea, quæ in ventriculo, & in intestinis gignitur, illisq; adhæret. Pituita enim non est, sed ne humor quidem omninò: sed concoctionis primæ cruditas est, quæ evinci non potuit, vel ex cibi crassa & tenaci natura, vel ex ventriculi imbecillitate concrescens. Quū enim exanguis membranosaq; sit ventriculi & intestinorum substantia; necesse est & propria illorum excrementa alba, frigida lentaq; sint. Hinc est, quòd illud, Galenus loco jam citato disertis verbis pituitosum excremētum nominet. Flavæ pallidæve bili, (quæ excrementum est, & à colore ejus, qui flavus pallidúsve est, appellationē hanc accepit, Græcisq; simpliciter χολὴ dicitur) natura, propriam sedem destinavit vesicam, quæ jecori subest. Flava autem, Galeno lib. 10. Simpl. teste, in animalibus iis quæ magis sunt calida apparet, in iis verò quæ minùs calida sunt, pallida. Hæc enim bilem in jecore natam, ibidemq; sanguini mistam proprio ductu & via, quæ ex jecore in se pertinet, attrahit, eamq; syncēram quidem, nec alio quopiam humore adulteratam, tùm quòd viæ meatúsve angustia, crassiorem succum illabi non sinit, tùm quod ejusmodi attractio maximè ex humoris familiaritate & convenientia incitetur. Et quanquam hic humor mordax est, & acris, vesiculæ tamen, proprio ceu receptaculo, tristis aut infestus minimè existit: sed ob mutuam cognationem jucundus & amicus, ex quo, illa, voluptatem, & jucunditatis sensum aliquem percipit. Cæterùm, eo haudquaquam alitur, quòd usquequaq; amarus sit, nullo benigno succo perfusus: sed sanguine, quem per venam conspicuam ex jecoris porta in suam ipsius cervicem insertam, suscipit. Necessarium autem fuit, ut à bile sanguis purgaretur, ne scilicet universi corporis color, perinde atq; in iis accidit, qui ictero

Flavæ bilis sedes.

Ut flava bilis in vesiculam trahatur.

Vesicula sanguine alitur.

ictero laborant, ab ea inficeretur, contaminareturq́. Atræ bilis, naturalis, vel, ut cum Galen. sect. 6. Aphor. Comm. 53. exquisitiùs loquamur, melancholici, vel nigri humoris, qui est veluti fæx & sedimentum sanguinis, sedes, ac receptaculum, lien est. Is enim parte sua cōcava venam habet à jecoris porta allatam, qua ille, à crasso melancholicoq; humore jecur expurgat. Hūc enim insita facultate, quia sibi gratus est, & suavis, attrahit, & in se recondit, per venarum tenuitates diffundens: & dein assidua opera, summoq́ue labore hunc elaborat, & in tenuiorem, quoad licet, succum cōmutat: ubi in illius venis, & arteriis elaboratus fuerit, non universus, neq; crassior ejus pars, sed tenuior duntaxat, lienis fit alimentum, & in ejus carnem sensim illabitur. Id autē quamvis tenue sit, nequaquam tamen rubrum est, sed subnigrum, lienis colore. Cæterùm necesse admodum fuit, ut lien ad se nigrū seu melancholicum humorèm alliceret: nisi enim ab eo, expurgaretur jecur, inde impurior sanguis, totumq́; corpus decolor magis redderetur. Sunt qui inter nigrum & melancholicum humorem differentiam facere conantur: hunc quidem, qui in venis adhuc continetur, melancholicum humorem: illum autem, qui ad lienem, & hinc ad ventriculum defertur, nigrum humorem appellantes. Hac itaq; ratione nigrum humorem, à melancholico discernere voluerunt, ut qui non sit, de illorū sententia, nisi fæx sanguinis, adeoq; is qui cum aliis humoribus per venas vadit. Atqui Galenus non rarò utrumque humorem, eum scilicet qui in venis, aliis succis commistus est, & eum, qui à liene attrahitur, promiscuè melācholicum vel atrum nominat humorem. Porrò melancholicus humor, adhuc in venis contentus, acerbus est. Niger autem humor, qui à jecore expurgatur, & per venam, à jecoris porta ortam, ad lienem, defertur, Gal. libr. 5. de Vsu part. ca. 4. teste, acerbus & acidus est, ut qui acerbum saporem vi caloris nonnihil exolutum, in acidum mutaverit.

Atræ bilis naturalis seu nigri humoris, sedes.

Succi melancholici expurgationis necessitas.

Niger, & melancholicus succus ut differant.

QVIS QVATVOR HVMORVM NAturalium usus, & motus, quæq́; eorumdem sequantur temperamenta. *Cap. IV.*

EX jam dictis facilè, quis sit prædictorum quatuor humorũ in corpore animantis usus, quique eorundem temperamenta sequantur, in eodem corpore effectus, cognoscetur. Nam sanguinis in corpore usus est, ut nutriat: ex eo enim omnes corporis particulæ nutriuntur: nonnullæ quidem exiguâ interveniente alteratione, ut carnosæ: aliȩ verò, veluti ossa, non nisi multâ intercedente mutatione. Verùm sunt, qui ventriculum, ex sanguine nutriri haud concedunt, ut qui hunc potiùs ex chylo, succóve illo, qui ex cibo, quem is attraxit, genitus est, nutriri contendant, quandoquidem ille famem, & cibi appetentiam sedet: quod certè non posset, nisi ventriculum pasçeret, ac nutriret. Sed hanc objectionem pulchrè diluit Galen. lib. 4. de Vsu par. ubi scribit ad perfectam ventriculi, & intestinorum nutritionem, toti mesenterio, & omento, naturam plures intexuisse venas, nutriendis illis dicatas, haudquaquam ab eis trajicientes ad jecur. Quamquã reficiuntur etiam interdum ea, cremore illo, quem ex cibis conficiunt: necnon in longiori inedia, per quas venas prius chyli distributio ad jecur facta est, per easdem rursus aliquando sanguis benignus ad eorũ nutritionem, retrahitur. Vnde omnibus certè perspicuum sit, refectionem eam, quam ex cremore à cibis profecto, capessit ventriculus, veram nutritionem non esse, nec appellari à Galen. sed potiùs oblectationem quandam, & satietatẽ nutritionis æmulam. Quippe quod in cremore longè optimum habetur, & congruens, id ad se rapit ventriculus, inq; suas tunicas sugendo recondit, ex quo fructum, voluptatemq;, perinde atq; vesicula

Sanguinis usus.

Ventriculum sanguine verè nutriri.

Ventriculus cremoris benignitate fruitur, atq; oblectatur.

veſicula jecori ſubſtrata ex bile, percipit, & quodammodo reficitur. Verùm quùm cremor ille, vacua tunicarum ſpacia referciens, in vaporem fuſus & extenuatus, ad extremum evaneſcit, iſq; ſua qualitate cõvenienti, cognata, ac familiari potiùs quàm ſubſtantia ſua animalem appetentiam, nequaquam autẽ naturalem depellat, quæ ex eo fit refectio, nutritio propriè dici non poteſt. Nam naturalem appetentiam, quæ vacuationem & diſſipationẽ partium ſequitur, una duntaxat ſanguinis ſubſtãtia, per ventriculi corpus & molem effuſa, dum in ejus naturam convertitur, mutaturque, ſatiare poteſt. Animalem verò non modò ſanguis, ſed & quicquid qualitatis cujusdam ſuavitate cognationéve, & cõvenientia præditum in ventriculum ingeritur, compeſcit. Cæterùm nemini abſurdum videri debet, partes quaſdam, voluptatem è re quadam capere, non tamen inde nutriri. Nam ſimile eſt, quod accidit iis, qui æſtivo tempore ſe in aqua frigida lavant. Quippe illi non levem ex iſta lavatione voluptatẽ ſentiunt, ac qualitatis frigidæ ſuavitate, mirum in modum delectantur, non tamen nutriuntur. Porrò ſanguinis in humano corpore abundãtia temperaturaq; efficit moderatos, in riſum pronos, hilares, facetos, blandos, venuſtos ac floridos. Quùm enim ſanguis temperatus ſit, ut hæc omnia ejus temperaturam ſequantur, neceſſe eſt. Cæterùm pituitæ uſus eſt, ut quæ ejus pars ex cibis pituitoſis in ventriculo generatur, ac cum humoribus, qui ex cibo & potu in jecur diſtribuuntur, perfertur, Galeno in libello de Atra bile aſtipulante, dum cum iis unà cõcoquitur, ſanguis evadat. Permanat enim hæc in venas, tùm ut partes frigidas & humidas alat, tùm ut ſi quando penuria erit ſanguinis, in eum converſa reliquis etiam partibus in alimentum cedat. Neq; verò ut ſanguinis forma planè exornetur, neceſſe eſt in jecur eam recurrere: ſed venæ ipſæ ad id operis perficiendum, ſatis virium à jecore derivatarum obtinent. neq; abs re dictum eſt, in ventriculo genitam pituitam

Ingeſtus cibus animalem, ſed non naturalem appetentiam ſedat.

Sanguinis temperatura, quid in corpore efficiat humano.

Pituitæ uſus.

cum humoribus, qui ex cibo & potu in jecur distribuuntur, perferri: Nam ea pituita, quæ ventriculo & intestinis adhæret, excrementum est, ut Capite præcedenti ostendimus: ideoq; in sanguinem haud mutatur. Porrò pituita hæc utique segnes, somnolētos, carnosos, obesósve, ac citò canescentes facit. Neque enim alios pituita, cùm frigidus admodū humor sit, efficere potest Ita ut rectissimè Galenus comm. 39. libri de Natura humana dixerit, ad mores fingendos nihil conducere pituitam. Segnes enim sunt perpetuò pituitosi adeoq; ad nulla officia somno excepto, idonei sunt. Flavæ bilis per venas distributæ, (quæ nō est nisi sanguinis tenuissima pars) usus est, tùm ut affines naturæ suæ particulas nutriat tùm ut reliquo sanguini, qui præ crassitudine, nō facilè per venas laberetur, transitus promptitudinem præstet. Supervacaneæ autem bilis, ejus scilicet, quæ è sanguine in bilis vesiculam amandatur, & proprio ductu in intestinis illabitur, usus est, ut intestina, à pituitosis excrementis repurget & abstergat, atq; eorundem stimulando vim expultricem excretionem adjuvet. Defertur autem hæc ipsa, ad intestina per meatū, duodeno insertum. Atq; is meatus, per quem jecur, bilem in ventrem, adeoque intestina evomit, magna ex parte, Galeno etiam attestante, lib. 2. de Temper c. 8. & l. 5. de Vsu part. corp. humani, unicus est, in nonnullis, iisq; paucissimis, geminus. Et ubi geminus est, major in duodenum, minor in ventriculi fundum paulò suprà janitorem inseritur. Bilis verò iracundos, celeris ingenii, vel ut Galenus comm. 39. libri de Natura humana scribit, dexteritate animi & prudentia præditos, agiles, leves mente, macilentos, & cibum confestim concoquentes, siticulosos denique efficit. Atq; hinc est, quòd naturæ biliosæ cibos concoctu difficiles, verbi gratia, bubulas carnes, meliùs quàm concoctu faciles, saxatiles nimirum pisces, conficere valeant. Cùm enim ipsis calor acris & mordax insit, par est, ut isti cibi concoctu difficiles, meliùs quàm eos, qui facilè

Pituita quos efficiat.

Flavæ bilis usus.

Meatus bilis ad intestina.

Bilis quos efficiat.

Cur aliqui bubulā carnem faciliùs quàm saxatiles pisces concoquant.

facilè coquuntur vincant. Quod enim facilè concoquitur, facilè etiam alteratur, & corrumpitur. Cōtrà, quod difficilè concoquitur, difficulter quoque tùm alteratur, tùm corrūpitur. Pisces itaq; saxatiles alteratu faciles, in biliosis calidisq; admodum ventriculis, necesse est corrumpi. Bubulas verò carnes, utpote alteratu difficiles, non corrumpi, sed potiùs concoqui: quod Galenus etiam capite primo libri primi de Alimentorum facultatibus docet. Melancholici humoris portio, quæ cū sanguine in venas pervadit, corpori alēdo idonea est. Ea verò portio, quam lien sanguinem expurgans, à iecore prolicit & in se recondit, proprio ductu, in ventriculum, eructando, ejicitur, (Galeno etiam libro 5. de Vsu part. corpor. humani, attestante) ut illius actiones iuvet, firmioresq; ac validiores efficiat. Nam quum hæc sit acerba & acida, ventriculum certè intendit, constringit, & in seipsum contrahit, atque exquisitè comprehendere cibos, ac retinere quoad plenè concoquantur, cogit. In ventriculi itaq; capacitatem hoc modo eructata melancholia excrementitia, hinc tandem in intestina relabitur, ac unà cum reliquis excrementis foràs propulsatur. Vt hinc palàm fiat omnibus, Avicennā, aliosq; nonnullos ejus viri placita mordicùs tenentes, plurimùm hallucinari, dum non alia de causa, melancholicum, vel potiùs nigrum humorem, in ventriculum evomi tradunt, quàm ut famem ac naturalem appetentiam excitet. Quàm enim hoc sit falsum, & à dissectionis ratione abhorreat alibi, nempe lib. 6. Epid. sect. 6. Comm. 1. & lib. 1. de Sympt. caus. cap. 7. copiosissimè demonstravimus, ut necesse non sit hoc loco multa referre. Porrò melancholicus humor, Galeno quoq; Comm. 39. lib. Hippocratis de Natura humana, teste, constantes, firmos, avaros, morosos, tetricos, tristes, invidos, timidos & pusillanimes reddit. Quorum omnium causas, ejus humoris natura, satis perspecta, indicat. Non prætereundum silentio erit, quod de motu quatuor humorum naturalium,

Melancholici & nigri humoris usus.

Avicennæ & suorū sequētium erratum.

Melancholicus humor quos efficiat.

Soranus Ephesius medicus, scriptum reliquit. Humores inquit, suis temporibus in corpore dominantur, nempe sanguis ab hora noctis nona, usq, ad horam diei tertiam: bilis flava, ab hora diei tertia, usque in horam nonam diei: bilis nigra, ab hora diei nona, usque ad horam noctis tertiam: pituita ab hora noctis tertia, usque ad horam noctis nonam. Hæc ille. Atque hanc rationem motus humorũ Galenus quoque lib. 12. Therap. Method. cap. 5. probare videtur, ubi accessiones, ex crudis humoribus excitatas, præcipuè ad vesperam, & noctu, non mane, nec usque ad meridiem incidere scribit.

Humorum quatuor motus de Sorani sententia.

DE QVATVOR HVMORVM *non naturalium differentiis.* *Cap. V.*

PRædicti quatuor humores, haudquaquã eandem servant formam, seu speciem, Galeno etjam libr. 2. de Natur. facul. adstipulante, quum animal præter naturam afficitur, qualem quum secũdùm naturã se habent, ac sana sunt, obtinent. Siquidem quum pręter naturam afficitur animans, humores tùm substantias, tùm quantitates, tùm etiam naturales suas qualitates amittunt, corporiq; noxã non levem inferunt: ideoq; tunc insalubres, & non naturales appellantur, & nequaquam simpliciter sanguis, pituita, bilis flava, vel atra, sed cũ adjectione, ut ex eorundem specierum, differentiarúmve commemoratione liquidè patebit, efferuntur: Nam ut à sanguine exordiamur, ubi is naturalis est, vitioque omni vacat, reliquis humoribus, qui illi in venis commisti sunt, dominatur, ac simpliciter, & reverà sanguis est, & dicitur. Quum verò à pristina natura desciscens, vitio corruptusque depravatur non naturalis, & cum adjectione, prout ab uno, aut pluribus sibi commistis humoribus contaminatur, sanguis biliosus, pituitosus,

Sanguinis nõ naturalis differentia.

fus, melancholicus, serosus, vel putridus nominatur. Vt de sanguine dictum est, ita etiam de reliquis humoribus sentiendum erit: eos nimirum naturales appellari, quum debita & convenienti mensura & proportione, suisq; qualitatibus tùm primis, tùm secundis præditi, sanguini, in venis commisti, aut suis sedibus contenti sunt. Non naturales, ubi contrà se habent. Pituitæ autem non naturalis, Gal. lib. 2. de Different. febr. cap. 6. authore, quatuor sunt species. Vna quidem valdè frigida, ita sanè, ut neque excretionis violentia quum excidit, (veluti lib. 1. De laborantib. locis, cap. 1. Galenus etiam scriptū reliquit) calida evadat. Hæc pituitæ species vitro fuso tùm colore, tùm consistentia similis est: ideoq; à Praxagora, ut loco jam citato testatur idem Galenus, vitrea est appellata. Philippus medicus, & alii juniores, simpliciter, nullo alio adjecto nomine, crudum vocaverunt humorem. Is humor ex crapula, desidioque ac ociosa vita, Galeno capit. 10. libri de Inæquali intemperie, teste, procreatur: &, ut idem in libro de Plenitudine author est, cibi fastidium, & inappetentiam efficit, & in calido loco vi coërcitus, sævissimos, ac vehemētissimos cruciatus excitat. Altera pituitę non naturalis species est illa, quam plerique cum screatu expuunt, paucam atque sensilem obtinens dulcedinem: ideoque dulcis nominatur. Hæc, ut eodem loco Galenus testatur, somnolentos efficit, & exquisitè frigida non est: sed ut idem sect. 3. aphor comm. 12. memoriæ prodidit, exiguam frigiditatem, calorem tamen ejus superantem obtinet. Cùm enim dulcis sit, ut aliquid etiam caloris habeat necesse est. Siquidem dulce nihil est, nisi idem etiam mediocriter calidum sit: ut lib. 4. de Simplic. medic. facult. cap. 10. & 11. Galenus demonstravit fusissimè.

Pituitæ non naturalis quatuor species.

Vitrea.

Crudus humor.

Dulcis.

Tertia dictæ non naturalis pituitæ species, acida, quòd expuentibus ejusmodi esse videatur, vocatur. Hæc certè minus quàm vitrea, magis verò quàm dulcis, frigida est. Siquidem ut loco jam ex Aphorismo-

Acida.

rum commentariis citato, idem Galenus ſcribit acida à vehementi fit frigiditate. Nam quum concoctione, paucus admodum calor, ei adjectus ſit (neque enim acidus ſapor fit, Galeno lib 4 jam citati Operis, capite decimotertio atteſtāte, niſi quando à calido mutatur ſubjecta materia, ita tamen, ut non ſuperet) ut vitrea minus frigida, dulci verò multò frigidior ſit, neceſſe eſt. Et quum calor exiguus ille, qui ei ineſt, facilè & nullo ferè negocio evaneſcat, & diſſipetur, ut acida fiat, oportet. Quemadmodum enim fructuum ſucci, qui exiguo præditi nativo calore, poſtquam ſponte efferbuerint, brevi aceſcunt: ita quoque jam dicta pituita. Hæc quidem pituitæ ſpecies famelicos facit. *Salſa.* Quarta pituitæ non naturalis ſpecies ſalſa nuncupatur, quæ propter putredinem, vel ſalſæ ſeroſæ humiditatis miſtionem, fit. Quum enim dulcis pituitæ portiones quædam, vi putredinis aſſæ, reliquæ dulci ſubſtantiæ permiſcentur, ſalſum in ea ſaporem efficiunt: quemadmodum etiam in maris aqua, fieri cernimus. Hæc, Galeno atteſtante, ſitibundos efficit. Iam dictis quatuor pituitæ non naturalis ſpeciebus ſunt qui quintam adjiciant, quam Gypſeam, *Gypſea.* quòd à Gypſi lapidis forma, & duritie, non procul abſit, appellant. Hæc in digitorum articulis, ac pulmonibus non rarò deprehenditur, accepto primo ſuo, ex deſtillatione, principio. Galenus, hanc, ſub vitreà complexus eſt: & meritò quidem, quòd nō ſit niſi vitrea, quæ ex cōcretione ita eſt indurata, ut in lapidis jam conſiſtenciam abierit. *Flavæ bilis non naturalis quatuor ſpecies.* Cæterùm flavæ bilis à naturæ modo deficientis, Galeno in libello de Atra bile, aliiſque locis, teſte, quatuor ſunt ſpecies. Prima *Vitellina.* Græcis λεκιθώδης, Latinis vitellina, quòd ovorū crudorum vitellis, tùm colore, tùm conſiſtentia, ſimilis ſit, vocatur. Hæc, ut Galenus loco jam citato autor eſt, in jecore & venis procreatur, quando caloris præter naturā vehementia, ſummè coquitur, & quaſi torretur: ut jam ex tenuis ſubſtantiæ diſſipatione, craſſiorem, & igneum colorem conſequatur, adeoq; vitello-

tellorum, crudorum ovorum, (ut diximus) formam exhibeat. Plurimùm itaq; hallucinatur Avicenna, qui hanc fieri, Fen. 1. Can. 1. doct. 4. cap. 1. contendit, quando pituitæ, aut melancholiæ portio, flavæ bili permiscetur. Hinc maioris & minoris flavæ genera bilis, comminiscitur, quæ quàm plurimos hodie medicos in designandis febrium differẽtiis mirificè implicatos & circumretitos tenent. Hac enim sua opinione Avicenna vitellinam bilem, frigidiorem reddidit flava, & naturali: cùm tamen constet illam multis partibus ardentiorem, & calidiorem esse. Frigidior enim necessariò propter frigidorum humorum; pituitæ scilicet aut melancholiæ, commistionem redderetur. Sed ut alia multa pro sua, qua ductus est, imaginatione, homo ille fingere solitus est, quæ nusquam in rerum natura extant: ita quoq; hoc loco, ex humorum permistione, nova quædam & inaudita simplicium genera invehere conatus est. Altera bilis non naturalis species Græcis πρασοειδής, Latinis porracea, quòd porri colorem referat, dicitur. Ex maiore assatione, ut etiam sequens, fit. Tertia Græcis ἰώδης, Latinis æruginosa, ab æruginis, quam præ se fert, similitudine, vocatur. Quarta ἰσατώδης, Isatidis colorem referens, Latinis nominatur. Quæ sanè omnes, (Galeno in libello de Melancholia, & lib. 2. Prognost. com. 39. astipulante) in ventriculo ex vitiosis, & mali succi cibis, cuius generis sunt, allium, porrum, cepa, nasturtium, & sinapi, gignuntur. Quùm enim nequeunt à ventriculo devinci, neq; in cremorem converti, ac colorem suum magna ex parte retinent, primùm ex illis fit porracea: quę si infixa diutiùs illic hæreat ac cõmoretur, ventriculi persistente incendio, in æruginosam mutatur: hęc rursũ in eã, quæ Isatidis aut Glasti colore tincta apparet, minus quidẽ viridis, quàm superiores: sed tantò illis deterior, quãtò propius ad nigrum accedit colorẽ. Procreari etiã nonnunquã in iecore & venis posse videtur, idq; in gravibus & cali-

Avicennæ error.

Porracea.

Æruginosa.

Isatidis colorem referens.

dissimis morbis, qui vehementi caloris incendio, vitellinam bilem adurunt, & in has species cōmutant, quæ tunc prorsus perniciosæ & exitiales iudicantur. Porrò alia bilis species à Galeno lib. 10. de Simp. medic. facult. cap. de bile, recensetur, quam cæruleam nuncupat. Verùm hæc à quarta nihil distare videtur, cùm constet omnibus, Isatidis aut Glasti colorem esse cæruleum. Atqui me non latet, quosdam esse qui dicunt, hoc loco me præter Galeni sententiam quatuor tantùm bilis non naturalis species cōmemorare, quùm constet omnibus, illum, iam citato libro septem potiùs eius facere species: quandoquidem præter iam dictas quatuor, bilem etiam flavam, pallidam & rubram recenseat. Atqui non animadvertunt illi, se inter non naturales biles; eam etiam numerare, quæ in confesso est naturalis, pallidam nimirum. Prætereà flavam esse eandem quam pallidam, Galenus 2. Vict. acut. com. 28. nec nisi colore & consistentia differre testatur. Quippe ut is in libro de Atra bile ait, humiditatis aqueę & tenuis mixtura, flavam bilem, pallidam efficit. Quapropter ut flava etiam naturalis sit necesse est: aliàs ex nō naturali, fieri naturalem bilem, fateri, quod absurdum esset, cogeremur. Rectè igitur Galenus lib. 6. Epide. com. 5. inquit proximam esse, & ferè eiusdem generis flavā bilem cum pallida. Cæterùm rubram bilem ex aliorum sententia ita nominat. Propriè enim loquendo, est sanguinis serum, (ut loco iam citato metipse testatur) Sed præstat verba eius subiungere: Rubra bilis inquit, non est nisi serum sanguinis. Quùm itaq; pallida & flava bilis, dicatur ea, quæ est in folliculo fellis, ut ex lib. 10. Simpl: Galeni constat, adeoq; naturalis sit, & rubra impropriè ita nominetur, rectè à nobis quatuor tantùm eius quæ naturalis non est, bilis flavæ species sunt commemoratæ. Cæterùm atra bilis non naturalis, & quæ propriè Græcis, Galeno multis in locis attestante, μέλαινα χολή dicitur, eodem Galeno sect. 2. aphor. com. 22. autore, gemina existit.

Cærulea non differt ab ea, quæ Isatodes nominatur.

Bilis flava, pallida, rubra.

Melancholia nō naturalis sive atra bilis, gemina.

Una.

existit. Vna est, quæ fit ex melancholico humore, qui veluti fæx & sedimentũ sanguinis est, ubi scilicet (ut lib. 14. The. meth. cap. 9. scribit idem Galenus) plurimùm incaluerit: aut propter putredinem, aut febrem phlegmonosam, in qua itidem, Galeno li. 2. De diffe. feb. cap. 9. teste, sanguis putrescit. Hanc nullũ animal, ut in libello etiam de Atra bile testatur, ne ipsæ quidem muscæ, & mures gustant Terram quoq; radit, hanc attollens, & fermentans, atq; bullas, quales ferventib. iusculis, supernatãt, excitans, ac partes radẽs. & quibus syncera adhæret, erodendo exulcerans Siquidẽ, ut lib. 3. de Labo. locis, cap. 7. tradit Galenus, consistentia multò quàm melancholicus humor tenuior est. & ὀξύς, id est, in aceti modum acris est. Ex ustione enim non naturalis caloris, acrimoniam, lib. 2. de Natur. facul. eodem teste Galeno, adquirit, ac veluti cinis quidam efficitur, & fæx usta. Calida igitur admodum est, adeò ut carnẽ urat, liquet, ac corrumpat: quùm naturalis melancholia, refrigerandi & desiccandi facultatem habeat. Non solùm verò ὀξύς Galeno, sed etiam ὀξώδης, & ὀξεῖα dicitur: propterea quòd omnes illæ voces, id quod aceti instar acre est, significant. Id quod non solùm ex libello Galeni de Atra bile liquet, ubi disertis verbis atrã bilẽ, ὀξύτητα, id est, acrimoniam, gustu præ se ferre scribit: verùm etiam ratione ostendi potest. Quùm enim atra bilis illa, ex ustione procreetur, fieri nequit ut acida sit, quùm potiùs ex ea, ut dictum est, δριμύτητα, id est, acrimoniam consequatur. Acidus namq; sapor exuperantis frigiditatis indicium est, ideoq; caloris urentis soboles esse nequit. Huc accedit, quùm atra bilis animantibus iniucunda sit, acida dici nequit. Quæ enim acida sunt, ut oxalis, hominibus iucũda esse solent. Rectè igitur veteres eiusmodi humorẽ ὀξύν, id est, aceti in morem, acrem nominarunt. Quapropter quùm sua acrimonia partes corporis, quas attingit, arrodat & exulceret, rectissimè Hippocrates statuit, *2. aphor. 24.*

dysenteriam quæ ab atra bile incœperit lethalē esse, quòd acrimonia sua intestinis adhærens ea erodat, & exurat. Altera atræ bilis species, ex flava bile retorrida, vitellina potissimùm, Galeno libro 2. de Facul. natural. attestante, fit. Quippe ipsa, ex igneo calore percoquitur, ex ustione primùm in porraceam, deinde in æruginosam, pòst in cæruleam bilem, novissimè in atram omnium pessimam commigrat, quemadmodum Galenus in libello de Atra bile quoq; testatur, dum hanc, priore multo peiorem esse scribit. Atq; tot sunt de Galeni sententia, & non plures atræ bilis differentiæ. Nec obstat quod lib. 2. de Vict. acut. cap. 30. scribit, atram bilem ex assato, aut etiam crasso sanguine nasci. Nam iis verbis, non geminas atræ bilis differentias statuit, quarum una, ab assato, altera verò à crasso fiat sanguine: sed unam tantùm, quæ ex melancholico sanguine, vel humore qui crassus est, aut assatus & adustus, nascitur. Qui enim suprà modum effervescit & assatur succus, in melancholicum humorem mutatur. Vt nihil planè referat, sive crassum sanguinem, sive assatum dicas, quòd assatus in crassum seu melancholicum sanguinem transmutetur. Quod dicimus, confirmat Galenus, qui lib. 2. de Diffe. feb. cap. 9. ita scriptum reliquit: *ὅσον μὲν δὴ τὸ παχύτερον τοῦ αἵματος, εἰς τὴν μέλαιναν, χολὴν ὥσπερ κἀπὶ τῶν καλουμένων ἀνθράκων. καὶ γὰρ ἐπὶ τούτων ἐξ αἵματος ἰσχυρῶς ζέσαντος, ἡ μετάπτωσις εἰς τὸν μελαγχολικὸν χυμὸν γίνεται.* Id est: Quęcunq; utique crassior pars sanguinis est, in atram bilem vertitur, quemadmodū etiam in carbunculis accidit. Etenim in iis, ex sanguine vehementer fervente, in melancholicum humorem transmutatio fit. Porrò Avicenna, & alii, qui hujus sectantur placita, tertiam atræ bilis speciem adjiciunt, quæ ex pituita adusta procreatur. Quod si de omni pituita non naturali intelligunt, illis concedendum haùd erit. Neque enim de vitrea hoc rectè affirmatur, ut quę propter immensam suam frigiditatem,

Altera bilis atræ species.

Obiectio diluitur.

An ex pituita, atra bilis

super-

superstite animali, nunquam eousque aduri potest, ut in melancholiam; ac veluti in cinerem vertatur. Neq; etiam de acida, eandem ob causam. Nam & hęc ipsa calori resistit putrido, ne in atram bilem mutari possit. Neq; de dulci, quæ ex cerebro destillat, aut in pulmone, ventriculo, aut intestinis generatur, & coacervatur. Hæc enim vehementi calore concrescit quidem, sed in alterius humoris speciem nunquã mutatur: sed in frigidioribus maximè locis cõcretione durescit, & in vitream, aut gypseã abit. Reliquum igitur est, ut de salsa, & quę in venis computruit, adeoq; caloris cuiusdã præter naturã particeps est, idipsum intelligamus: quã certè credibile est, si vehementiùs & prorsus torreatur, in quandam acrem atramq; bilem cõmutari posse, quę quarta eiusdẽ sit species. Quod Galenus in libello de Atra bile inscripto breviter iis innuere verbis voluit: Pituita, inquit, qualitatis expers „ & insipida est, ut aqua: sed naturali qualitate mutata, „ non tantùm salsa, sed acris quoq; redditur.

procreari possit.

Melancholia fit quoq; ex pituita salsa.

DE QVATVOR HVMORIBUS SECUNDARIIS.

Cap. VI.

AVicenna Fen. 1. Cano. 1. doctr. 4. ca. 1. præter iam dictos, alios adhuc quatuor humores recenset, quos secundos appellavit. Hunc deinceps multi alij medici sequuti, idem planè quod illi statuerunt, atq; quatuor illis humoribus secundariis, peculiaria nomina imposuerunt. Verùm si quis horum naturam & essentiam paulò intimiùs rimetur, & penitiùs excutiat, partium similarium potius substantias, quàm humores esse deprehendet. Tamen quùm non simpliciter humores, sed cum adjectione secundarii nominentur, non admodũ reluctamur iis, qui clarioris doctrinę gratia illos ita appellare volũt. Præstaret tamen eos similarium partium humores, quàm secundarios nominare, ut ex eorundẽ procrea-

Avicennæ dogma, de quatuor humoribus secundariis.

Humores secundarij, rectiùs similarium partiũ substantiæ, quàm humores appellarentur.

Quatuor secundariorũ humorum generatio. tionis modo, satis liquet, qui est eiusmodi. Sanguis simul atque è vasis amplioribus, in angustiora, quæ unicuique parti natura dedit, attractus exciderit, omni tùm qualitate, tùm proprietate circumstantis
Primus. particulæ sensim perfunditur, eaque commutatione partis naturam assumens, fit primus humor ex quatuor secundariis nominatis. Atque is certè non est, nisi sanguis purior, & multiplici concoctione exquisitè elaboratus, in exilibus arteriis venisque contentus: hinc mox ex earum finibus in vacua partium similarium loca influxurus, ut ex eo partes similares proximè alentur. Hic certè cùm nondum ad similarium substantiam pertineat, sed in propriis cuiusque particulæ, ut dictum est, exilibus arteriis & venis cō-
Nomen non habens. sistat, rectè humor appellari potest. Huic nullum est peculiare à recentioribus medicis impositum nomē; ideoq; humorem secundarium nomen non haben-
Secundus. tem appellarunt. Alter secundarius humor est, qui ex osculis exilium vasorum iam excidit, & per media spacia similarium partium roris modo dispergitur, inque earundem substantiam diffunditur, atque influit, illis adiungitur apponitúrve. Adeoq; proprium est partium similarium, (Galeno etiam cap. 59. Artis medicæ teste) alimentum, quod ex appositione fit. Quippe id proprium est, eodem Galeno libro tertio de Temperament. cap. 3. teste, alimentum, quod iam
Humor alimentarius. nutrit, & appositum est. Hinc nonnulli humorem hunc alimentarium nominant. Galen. lib. 7. Therap. method. cap. 6. ἔμφυτον, libro verò 2. de Differ. cap. 13. σύμφυτον ὑγρότητα, hoc est, insitum humorem appel-
Humor insitus. lat: non quòd nobiscum natus sit, & substantiæ nostræ portio à prima statim origine suscepta, sed quòd partibus similaribus insitus est. Recentiores etiam
Ros. nōn ineptè Rorem vocant. Tertius humor est is, qui
Tertius. crassior iam factus ac coactus concretúsve partibus agglutinatur, & solidis fibris adhærescit, & in partis substantiam mutatur, illiq; perfectè iam assimilatur.

Hic

Hic non est nisi carnosa, & adipis substantia. Hinc est, quòd à nonnullis carniformis nominetur. Recentiores autem medici huic uni & eidem, à statu vario, varia indiderunt nomina. Quatenùs enim ille annectitur & agglutinatur, Gluten ipsis, ab agglutinando, appellatur. Quatenùs verò in partis substantiam mutatus est, & illi perfectè iam assimilatus, Cambium barbara voce nuncupatur. Nam etsi cambire elegans & antiquum sit verbum, quo Plautus, Priscianus & Ennius usi sunt, & idem quod permutare significat, tamen Cambium vox Latina non est, qua tamen barbari permutationem innuunt. Quartus humor est, qui partibus similaribus ingenitus est, & à prima statim origine susceptus, & insitus. Hinc à quibusdam primogenitus, & nativus, ab aliis humidum radicale, quòd scilicet spiritus, & caloris, totiusque vitæ fundamentum sit, & pabulum, vocatur. Galenus solidam similarium partium substantiam, libro 7. Therap. method. capite 6. vocat: ut infrà fusiùs monstrabimus. Porrò quatuor humoribus secundariis iam ordine recensitis, absumptis, quatuor siccitatum genera, seu differentiæ comitantur: de quibus ita loco iam citato Galenus disserit. Quod, inquit, senium in sanis est, id sicca intemperies, est in ægris. Itaque etiam insanabilis est, si prorsùs sit consummata. Est autem prorsus consummata, ubi solida similarium partium substãtia, reddita est siccior. „ Nam est & altera siccitas, utique quùm ea, quorum substantia ex humore concreto constat, sicut caro & „ adeps, sunt liquata & depasta. Etiam, quùm propria humiditas, unde partes nutriuntur, omninò ab- „ sumpta est. Continetur autem ea in omnibus ani- „ malis partibus, ceu ros quidam per ea sparsus. Quarta ab iis diversa siccitas est, quæ in propriis cuiusque „ particulæ exilibus arteriis venisque consistit. Provenit & hæc ex sanguinis penuria. Hactenus Galeni verba recensuimus, è quibus perspicuum evadit omnibus, primam siccitatem esse, quando humidum,

Carniformis.

Gluten.

Cambium.

Cambire.

Quartus.

Primogenitus & nativus.

Humidum radicale.

Quatuor siccitatum genera.

Prima.

Altera.

Tertia.

Quarta.

quod vocant radicale, absumitur aut imminuitur in febre hectica. Nam quum solida substantia partium similariũ, Galeno non sit, nisi ea, quæ ex semine nata est, qualis est arteriarum, venarum, nervorum, ossiũ, cartilaginum, membranarum, ligamentorum, & tunicarum, ut metipse libro primo, de Naturalibus facultatibus testatur, & humidum radicale à semine quoque derivetur, ut idem sit dicere, solidam similarium partium substantiam absumi, aut humidum radicale, dissipari. Solida igitur similarium partium substantia, non ad carnosam earundem substantiam, utpote quæ ex sanguine nata est, sed ad humidum primogenium seu radicale, quod à semine prodiit, pertinet. Proinde quamcunque solidior illa substantia, ab ortu conditionem acceperit, eandem totius vitæ cursu retinet. Nam fibræ ex humido liquidoque semine creatæ, quanquam diuturnitate magis magisque siccescunt, dum ad extremum senium, quod aridissimum est veniant: semper tamen eius humidi, quod à semine contraxerunt, aliquid sibi in omnem vitam recondunt: quod ut recens natis & infantibus plurimum est, senibus exiguum, ita interiectis ætatibus mediocre. Huius itaque humidi absumptio, primam, & quæ sanari non potest, siccitatem procreat. Vt autem quarti humoris secundarii, absumptio, primam, adeoque pessimam siccitatem efficit: ita tertii consumptio secundam, secundi tertiam, & primi quartam, quæ curatu omnium facillima est, parit.

DE

DE PARTIBVS CORPORIS HVMANI,

SECTIO V.

DE PARTIVM HVMANI *corporis differentiis.*

Cap. I.



Partium divisio.

Similares partes quæ ὁμοιομερῆ.

ARTIUM humani corporis prima differentia est, quòd ex iis aliquę sunt similares, aliquæ instrumentales. Similares autem partes, ὁμοιομερῆ Græcis dictæ, quæ sibi undique similes sunt, unam parilemque omnino substantiam adeptæ, appellantur. Ita enim lib. 1. de historia Animalium cap. 1. Aristoteles definivit, eas esse, quæ in similes undiq; sibi partes dividũtur, scribens. Nec aliter Galenus easdem primo Therap. meth. capite 6 definiit, ubi inquit: Partes similares sunt, quæ » undiq; in sibi, totiq; parti in similes dividũtur. Et li. 8. » de Placitis Hipp. & Platonis, ubi in eum modum eas » finit: Similares, ait, partes sunt, quæ omnes tùm sibi » mutuò, tùm toti similes partes habent, veluti arteriæ, » venæ, nervi, ossa, cartilagines, membranæ, ligamenta, » tunicæ, caro, & id genus aliæ. Atque hæ sanè omnes veræ & legitimæ sunt similariũ partium definitiones, quòd singulas in se, earundẽ partium differẽtias (quæ quidẽ, ut ex Galeno manifestissimè colligitur, geminæ sunt) complectuntur. Aliæ enim sunt, quarũ universæ particulæ invicem, eiusdem speciei sunt. Et hæ quidem reverâ, hoc est, ut ad universas partes, quę illas constituunt, similares sunt. Quippe in partes alterius naturæ, rationis, seu speciei, dividi nequeũt. Primæ quoq; sunt, quòd iis aliæ priores non sint. De iis profectò loquitur Galen. lib. 1. de Elemẽtis, ubi inter cætera sic scribit: Homo ex primis & simplicissimis

Duæ partiũ similarium differentiæ.

Similares reuera.

Primæ partes.

,, sensibilibus elementis, similaribus nominatis, con-
,, stat, fibris, membranis, carne, adipe, osse, cartilagine,
,, ligamento, nervo, medulla, & aliis universis, quorum particulæ omnes eiusdem invicem speciei sunt. E quo sanè Galeni loco etiam palàm fit, eius generis similares non solùm primas, sed & simplicissimas dici. Aliæ sunt similares partes, quæ non reverà, & undique sibi similes sunt, & eiusdem naturæ, sed sensus duntaxat iudicio tales statuūtur. Siquidem in partes alterius naturæ, & diversæ speciei, dividi possunt. Eius generis sunt venæ & arteriæ, quòd simplicissimæ & reverà similares, ut ad universas suas partes, non sint. Ex fibris enim & membranis, quæ certè diversæ sunt naturæ, & speciei, constant. Hinc est, quòd Galenus capite secundo, libri de Inæquali intemperie, rectissimè arterias & venas à similarium numero summoveat, & instrumentariis accenset: neque enim, ut dictum est, reverà similares existunt. Sed
,, præstat Galeni verba recensere: Digitorum, inquit,
,, particulæ sunt ossa, cartilago, ligamentum, arteria,
,, vena, membrana, caro, tendo, unguis, cutis, adeps.
,, Has autem dividere in aliam speciem non licet, sed
,, sunt similares, ac primæ, exceptis tamen arteriis & ve-
,, nis. Hæ namque ex fibris & membranis constant.
Hæc ille. Non sunt itaque venæ & arteriæ similares partes primaria ratione, id est, ut ad universas suas partes, ex quibus constant collatæ; adeoque simplicissimæ sunt, alterà duntaxat ratione, hoc est, sensus iudicio, & ut ad se totas. Omnes enim venæ & arteriæ partes, toti venæ & arteriæ, & mutuò sibi similes neutiquam sunt. Non est igitur eaid m, ut simplicissimas appellemus partes, sed potiùs sensu simplices. Atque hinc est, quod Galenus in libello de Optimâ corporis humani constitutione, ut etiam venas & arterias inter similares partes, numerare commodè posset, talem partium similarium finitionem afferre voluerit: ὁμοιομερῆ, inquit, καλεῖται δηλονότι

Simplicissimæ partes, quæ similares sensus iudicio.

Venæ & arteriæ simplicissimæ & reverà similares nō sunt partes.

πρὸς αἴσθησιν ἁπλᾶ. id eſt: Similares partes vocantur, quæ ſcilicet ſenſu ſimplices ſunt. Abundè enim ſufficit, ut in reſolutione partium inſtrumentalium aliquid ſenſus iudicio ſimplex, & ſimilare ſit: ut hinc omnibus palàm ſit, Galenum non uno ſimpliciter modo, ubique de ſimilaribus partibus locutum fuiſſe. Nam ubi venas & arterias inter ſimilares recenſet partes, hic ad ſenſum magis quàm ad rei naturam ſpectat. Quod non obſcuris verbis cap. 2. de Differentiis morborum, ubi venas & arterias inter ſimilares partes recenſens, & ſeipſum explicans, ſignificavit, inquiens: Porrò ſingulæ partes inſtrumentales, ex aliis, quæ ſenſus iudicio ſimplicia videntur, ſunt conſtitutæ. Et paulò pòſt: Itaque ait, ſi vel oſſium aliquod, vel caro, vel reliquorum corporum, quæ ſenſus iudicio ſimplicia eſſe videntur, &c. Contrà ubi è numero ſimilarium partium venas & arterias excludit, hic ad rei naturam potiùs, quàm ſenſus iudicium reſpicit. Siquidem altiori indagine venarum & arteriarum naturam, eſſentiamque perquirens, ſenſusq; iudicio minimè contentus, ex diſſimilibus partibus, nempe fibris & membranis, coalitas eſſe ſtatuit. Quare cùm duæ ſint (ut iam liquidò monſtratum eſt) ſimilarium partium differentiæ, ineptè admodũ à nonnullis, partes ſimilares in hunc finiuntur modum: Similares partes ſunt, quarum omnes partes, eiuſdem invicem ſpeciei exiſtunt: vel quarum omnes particulæ eiuſdem ſpeciei, cum toto exiſtunt. Quippe hæ finitiones alteram duntaxat ſimilarium partium differentiam nimirùm reverâ & primâ ratione ſic dictas, complectuntur. Vt igitur ſimilaribus, (utriusque differentiæ) partibus, congruentem finitionem, adeoque abſolutam & perfectam habeas, primam quam nos ex Ariſt. & Galeno produximus, amplectaris neceſſe eſt. Sed hæc alibi etiam copiosè diximus. Cæterùm ſimilares partes multis quoque aliis nominibus à Galeno donantur. Nam propria hominis elementa eidem nominantur: idque non

Galenus à pugnantia vindicatur.

Venas & arterias ex ſimilarium cenſum quãdoq; eliminat Galenus.

Inepta ſimilarium partium definitio.

Propria hominis elementa.

temerè. Quippe etsi hæ partes communes quoque
brutis quibusdam existunt, equo nimirum, bovi, ca-
ni, & id genus aliis (omnia enim huiusmodi arterias,
venas, nervos, ligamenta, membranas, & carnes obti-
nent) non tamen hæc, ad unguem planè humanis si-
miles, sed nonnulla quoq; genere diversas partes, ve-
lut ungulas, cornua, calcaria, rostra, squammas ha-
ἁπλᾶ μόρια. bent. Dicuntur etiam ἁπλᾶ μόρια, hoc est, simplices
partes, ob causam paulò antè expositam. Vocantur
πρῶτα. etiam πρῶτα μόρια, id est, prima corpora, quod scili-
cet ex illis constituantur aliæ partes, quæ secundæ &
compositæ appellantur. Hinc est, quod lib. 1. de Sim-
plic. medic. facultat. cap. 8. easdem πεφυκότα μόρια,
id est, à natura generatas, quòd scilicet primæ è semi-
nis substantia natæ, ex illis verò dein aliæ constitutæ
sint, nominet. propterea etiam alii genuinas vocant,
à gignendo, quòd omnium primæ genitæ sint. Item
ὁμογενῆ. ὁμογενῆ, hoc est, eiusdem generis, propter causam su-
στοιχειώδη. prà dictam. Et στοιχειώδη, id est, elementares. Prætereà
αἰσθητὰ. αἰσθητὰ στοιχεῖα, hoc est, sensilia sensuive exposita ele-
στοιχεῖα. menta. Ex iis namq; veluti elementis, partes compo-
sitæ, & instrumentales constant. Quòd autem sen-
sui manifesta sunt, hoc ipso à mundi elementis, utpo-
te quorum, sensus minimè iudex est, differunt. Deni-
στερεὰ μόρια. que eidem στερεὰ μόρια, id est, solidæ particulæ nuncu-
pantur. Ita enim libro primo, de Natural. facult. scri-
ptum reliquit: Vocantur autem sic solidæ corporis
Partes soli- particulę, arterię, venæ, nervi, ossa, cartilagines, mem-
dæ. branæ, ligamenta, & tunicæ omnes, quas elementa-
res similares, & simplices, paulò antè nominavimus.
Instrumen- Hæc ille. Porrò instrumentariæ partes sunt, quæ ex
tariæ partes. simplicibus similaribúsve particulis perfectæ actio-
nis edendæ causâ conditæ sunt. Verbi gratia, caput,
manus, pes, cerebrum, cor, iécur, & id genus alię. Sor-
tiuntur autem & illæ alias quoque apud Galen. reli-
quosq; scriptores appellationes. Siquidem Græcis
δεύτερα, σύνθετα, ἀνομοιομερῆ, ἑτερογενῆ, καὶ ὀργανικὰ μόρια,

id est, secundæ, compositæ, dissimilares, & diversi generis particulæ nominantur. Quarum quidem appellationum causæ, facilè ex iis, quæ paulò suprà de similarib. dicta sunt, cuivis innotescent. Animadvertendum autem hoc loco erit, inter se differre instrumentariam partem, & instrumentum: vel, ut Græci loquuntur, ὀργανικὸν μόριον, καὶ ὄργανον. Nam, ut dictum est, pars instrumentaria duntaxat ea nominatur, quæ composita est. Instrumentum autem, ut libr. 1. Ther. Meth. cap. 6. Galen. attestatur propriè sic dictũ, quælibet animalis pars, quæ perfectam edere actionem potest. Ita sanè oculus instrumentum est, quia actionem perfectam, nempe visionem, edit: lingua itidem, quia loquelam: & crura, quia ambulationem perficiunt. Atqui simul etiam partes sunt instrumentales, quòd ex pluribus similaribus cõpositæ sint. Sunt verò etiam instrumenta, arteria, vena & nervus: quodlibet enim illorum perfectam edere actionem potest; distributionem nimirum spiritus vitalis sanguinis, sensusque & motus in universum corpus. Non tamen sunt instrumentariæ partes; sed potiùs similares. Quid multa? quum à similarib. ut Gal. loco iam citato fusiùs docet, functiones edantur, instrumenta sint necesse est. Non sunt igitur instrumenta, (quod tamẽ crebrò Galeni interpretes faciunt) cum partibus instrumentalibus temerè confundenda, nec promiscuè pro instrumento pars instrumentaria, Latino interpreti reddenda erit. Licebit quidem instrumentum simpliciter appellare partem instrumentariam, eò quòd plures sint partes compositæ, quibus instrumenti nomen conveniat, & quæ perfectam edere actionem possint: imò omnes partes instrumentariæ; sunt etiam instrumenta: atqui nõ licet vice versâ, partes similares, quæ instrumenta sunt, partes quoq; instrumentarias vocare. Hinc est, quòd Galenus cap. 3. libri de Morborũ diff. partes instrumentarias ὄργανα, id est, instrumenta, vocat: at non vice versa similares partes, instrumentarias appellat. Non est igitur

Diversæ partium instrumentariarũ appellationes.

Differunt pars instrumentaria & instrumentũ

Instrumentum propriè quid?

ὀργανικὸν μόριον cum τῷ ὀργάνῳ temerè confundendum. Porrò iam dictarum partium variæ sunt differentiæ. Quippe ex iis tres sunt, quæ medicis, principes vocantur: cerebrum, cor & iecur. Sic autem dictæ sunt, quòd ab iis universum corpus regitur ac gubernatur. Sunt enim principia, ac veluti fontes, facultatum nostrum corpus gubernantium. Nam cerebrum animalem, cor vitalem, iecur naturalem facultatem suppeditat. Non desunt, qui iam dictis quartam adjiciunt principem partem; testes nimirum & uterum; eò quòd generatricem facultatem obtineant, & ad speciei propagationem ac conservationem faciant. Prætereà, aliæ sunt partes, quæ iam commemoratis quatuor ministrant, & commodum usum præstant, nempe nervi, arteriæ, venæ, & vasa seminaria. Nervi quidem cerebro, arteriæ cordi venæ, iecori, vasa seminaria, testibus & utero famulantur. Per nervos enim, cerebrum, sensum & motum in totum animal transmittit. Per arterias, cor, vitalem calorem, & spiritum in universum corpus distribuit. Per venas; veluti canales, Iecur sanguinem in totum corpus diffundit. Per vasa seminaria, prolificum semen, testes, in uterum derivant. Sunt etiam quædam partes, quæ seipsas gubernant: verùm à principiis vim & agendi efficaciam omnem mutuantes: ut est ventriculus, intestina, lien, renes, omnesq; aliæ totius corporis incolumitati inservientes partes publicæ. Ventriculus enim, ex cibo ingesto cremori similem succũ chylum, propriâ & innatâ vi gignit; aliunde interim etiam accedente sibi virtute. A cerebro enim sentiendi, à corde vivendi, à iecore nutriendi, facultatem accipit. Idem de reliquis partibus officiariis iudicium. Sunt denique quarti generis partes, quæ nec aliorum gubernationi & regimini præsunt, neque ab aliis gubernantur, cùm innatam facultatem habeant: ut os, ligamentum, membrana, cartilago, glandula, pinguedo, & caro simplex. Omnes enim hæ partes nativas,

Partiũ corporis differentiæ quatuor.

Principes partes.

Ministrantes.

Tertia differentia.

Quarta.

tivas, & à primordiis generationis inſitas obtinent facultates, quas neque ab aliis mutuantur, nec aliis impertiunt: caro quidem carnis procreandæ, os oſſis, cartilago cartilaginis, & reliqua eodem modo. Omnes autem corporis partes, venarum, arteriarum, & nervorum adminiculo ad eſſentiæ ſuæ conſervationem indigent: Venis quidem ut nutriantur, arteriis autem ad inſiti caloris moderationem & tutelam. Nervis, ut quæ illis noxia ſunt, ſentiant & moveantur. Atque hæ quidem ſunt generales partium humani corporis differentiæ: nunc reliquum eſt, ut ſpeciatim de ſingulis diſſeramus: tamen quoad fieri poteſt, breviſſimè, ut hinc medicinæ tyrones, levem ſaltem partium humani corporis noticiam conſequantur, & ad diſſectionem inſtructiores veniant.

Vaſorum cō-munium uſus principalis.

Exordiemur autem ab oſſibus, ut quæ veluti fundamenta ſunt, univerſum corpus ſuſtinentia. Sunt autem numero ſanè multa, nempe trecenta & quatuor. Quæ ut ordine quodam commemorentur, univerſam humani corporis oſſium invicem cohærentium compactionem, quæ Græcis σκελετός dicitur, in quatuor præcipuas partes, caput, ſpinam, manus & crura, digeremus: initioq; capitis oſſa ſuccinctè admodum percenſebimus.

Ab oſſibus cur exordiendum.

Oſſium humani corporis numeri.

Sceleti in quatuor partes digeſtio.

DE OSSIBVS CAPITIS. Cap. II.

κρανίον. Calvaria.
περικράνιος.
Octo calvariæ ossa.
Syncipitis ossa duo. βρέγμα. Parietalia.
μέτωπον. Frons.
ἰνίον. Occiput.
κρόταφοι. Tempora.
Ossa petrosa.
Processus ossium temporis.
γραφοειδής.
σφηνοειδὴς. Cuneiforme.

OS quoddam cerebro, instar galeæ, rerũ opifex circũposuit, quod Grecis κρανίον, Latinis calva, & calvaria, vulgò testa dicitur. Membrana verò, quę calvariã craniúmve extrinsec⁹ ambit, περικράνιος appellatur. Cæterùm calvaria ex octo constat ossibus, duobus syncipitis, utrinq; nimirum uno, frontis unico, occipitis similiter uno, duobus infrà, ad utramq; videlicet aurem uno, cuneiformi, & ethmoide. Syncipitis, quod Græcis βρέγμα vocatur, ossa duo (utrinq, enim unum est) in capitis lateribus, veluti quidam parietes, locata sunt, unde etiam Barbaris parietalia vocantur. Frontis, quam μέτωπον Græci nominant, os, quod unicũ esse diximus, quodammodo orbiculare est. Occipitis, quod ἰνίον Gręci nuncupant, unicum duntaxat os existit. Temporum, quæ Græcis κροτάφοι dicuntur, ossa bina sunt, utrinq; unum, ad suam aurem positum. Hæc, quia petræ speciem præ se ferunt, aut quòd lapideam duritiem habent, λιθοειδῆ, id est, petrosa lapideáve appellantur. Duobus verò, temporum ossa, donãtur processibus: quorum unus oblongus, tenuisque styli scriptorii, acúsve imaginem exhibet: ideò Græcis γραφοειδής, στυλοειδής, & βελονοειδής, & à calcaris gallinacei effigie, πλῆκτρον vocatur. Alter processus, vaccini uberis papillæ imaginem refert, ideoque Græcis μαστοειδής, Latinis autem mamillaris nominatur. His duobus, alius adhuc processus accedit, neutiquã infimus, qui mediam ossis iugalis, (de quo paulò pòst partem) efformat. Atq; hactenus sex calvariæ ossa numeravimus. Septimum eiusdem os Græcis σφηνοειδὴς, Latinis cuneiforme, quod veluti cuneus, inter capitis & maxillæ superioris ossa immittatur, dicitur. Hoc Galenus in libro de Vsu partium, corporis humani,

os

os palati crebrò appellat. Hoc ipſum ſi quod aliud, *Os palati.* inſigniter varium eſt, proinde veteribus à multiplici forma πολύμορφον eſt nominatū. Hoc, quia cerebro ſubſtratū, illiusq; veluti baſis eſt, aut quia alia calvariæ oſſa, ei innitūtur, vulgò baſilare nūcupatur. *Baſilare.* Porrò cuneiforme os in externa parte, ad calvariç baſim, *Proceſſus alis ſimiles.* quatuor proceſſus habet, utrinque binos, & veſpertilionum alarum modo prominentes: unde etiam Græcis πτερυγοειδεῖς nominantur. Octavum calvariæ os in frontis oſſis baſi locatum, multis foraminulis coli aut cribri inſtar, odorum gratia, pervium eſt, olfactusq; inſtrumentorum ſedes quædam quaſi exiſtit, cujus rei gratia Græcis ἠθμοειδὴς, noſtris colatorium, & cribroſum dictum eſt. *Os ethmoides. ἠθμοειδὴς. Colatorium. σπογγοειδὴς.* Hippocrati à ſpongiæ ſimilitudine, & quòd ſpongiæ ritu perforatū ſit, σπογγοειδὴς vocatur. Prædicta calvariæ oſſa ſuturis quibusdam, quæ Grçcis ῥαφαί appellantur, diſtincta ſunt, quæ pro capitis figuræ diverſitate, variant. *Suturæ. ῥαφαί.* Siquidem naturalis capitis figura, quinque obtinet ſuturas, quarum tres veræ dicūtur: ſerratiles enim ſunt, dentatisq; pectinatim compaginibus coëunt. *Naturalis figura capitis. Vera.* Atque harum quidem duæ transverſæ ſunt, quarum altera in ſyncipite ſeu vertice eſt, & Græcis στεφανιαία, Latinis verò coronalis, quòd ſcilicet coronæ, in eâ potiſſimùm capitis parte collocentur, appellatur. *Coronalis.*

Altera in occipitio eſt, quæ à majuſculæ literæ Λ effigie, Græcis λαμβδοειδὴς, quin & à litteræ υ formâ, ὑψιλοειδὴς, nominatur: *Lambdoides.* Tertia à medio poſterioris, ſive ejus, quæ in occipite conſiſtit, per capitis longitudinem ad medium usque anterioris ſuturæ, extenditur: hincque adeò Græcis ὀβελιαία, vulgò Sagittalis, quòd veru, ſagittæve ad inſtar rectà, & ſatis longè incedat. *Sagittalis.* A virgæ quoque ductu, nonnullis ῥαβδοειδὴς vocatur. *ῥαβδοειδὴς.* Harum trium ſuturarum figura, ferè H majuſculæ Græcorum literæ, ſimilis eſt. Præter jam dictas tres ſuturas, duæ aliæ occurrunt, quæ non ſunt niſi duæ à ſagittali ſuturâ quodammodo

æquè distantes lineæ, per capitis longitudinem, una utrinque, supra aures porrectæ. Hæ fiunt duob. mutuò sibi incumbentibus, cohærentibusq; ossibus, quæ non suturarum speciem, sed veluti duarum invicem incumbentium squamarum imaginem exprimunt, à quarũ quidem similitudine Græcis λεπιδοειδῆ προσκολλήματα, id est, squamosæ conglutinationes dicũtur. Vulgus medicorum, mendosas nuncupat suturas. Galenus, & alii quidam, clarioris doctrinæ gratia, suturas κροταφίας, hoc est, temporales vocitant. Quomodo autem in non naturali capitis figura, suturæ hæ variant, lib. 1. nostræ Anatomes c. 8. diximus. Sufficiat enim hoc loco naturalis capitis suturas recensuisse. Cæterùm inter capitis ossa proximum locum obtinet, quod Græcis ζύγωμα, ζυγοειδὲς & ζυγῶδες, Latinis Iugale dicitur. Hoc verò nominis accepit, quòd utraque ossa (sunt enim utrinque singula) boum equorumve jugis similia sint. Constat hoc os, ex duorũ ossium processibus, invicem transversa sutura coëuntibus: unde vulgò os paris nominatur. Ossi temporis ampla & anfractuosa cavitas, instrumenti auditus gratia, insculpta est, quæ tortuoso foramine in capitis amplitudinem, cerebri sedem, pertingit. Hæc præter alia, tria complectitur ossicula, quorum unum incudi, aut rectiùs molari denti, alterum malleolo, & tertium ferreo equitum instrumento, quod stapedem vocant, non ineptè comparatur, quæ quidem ossicula tria, instrumentum auditus aperientibus, ac scindentibus apparent. Quin etiam temporis os, posteriori, inferioriq; ipsius parte, simul cum occipitis ossis base, eam calvariæ regionẽ efformat, quam præruptæ petræ aut rupi, non duricie modò, verùm etiam imagine, dissectionis periti conferunt. Cæterùm superior maxilla, quæ Græcis ἡ ἄνω σιαγὼν, & γένυς dicitur, præter tenuia quædam fungosa, & veluti membranea ossicula, quæ in nariũ amplitudinis summo, in exiccatis calvariis impensè carti-

Ficta & mẽdosæ suturæ.

Squamosæ conglutinationes aut cõmissuræ temporum.

Suturæ temporales.

ζύγωμα.
Os iugale.

Os paris.
Instrumentũ auditus.
Oßiculum incudi comparatum.
Oßiculum malleo simile.

Os præruptæ petræ.
Maxillæ superioris ossa.

cartilaginea obſervantur, & dentes, duodecim cōſtat oſſibus, utroq; ſcilicet latere ſenis. Primum os, alteram oſſis jugalis partem conſtituit, & nonnihil temporis, ſuperciliiq; ac ſedis oculi, totum ſcilicet exteriorem angulum, in ſe ſe complectitur. Secundum, reliquis omnibus minimū, & ſquamæ modo tenue, in interno, ſive magno oculi angulo conſiſtit, ubi foramen habetur, cui caruncula præeſt, internum oculi angulum occupans & adimplens. Tertium, ſimiliter ut præcedens, tenue & ſquamæ modo pellucidū cernitur. Paulò minus toto, quadrangulum eſt, in interno latere oculi repoſitum. Quartum maxillæ ſuperioris os, reliquorum ipſius oſſium longè maximum exiſtit, ſuperiorumq; alterius lateris dentium alveolos, ſibi inſculptos habet. Quintum ex duobus naſi oſſibus, alterum eſt oſſiculum, videlicet durum, ſolidum, latum, tenue, oblongū, & quadrangulo potiùs, quàm triangulo ſimile. Sextum, cum ſuo pari, non minimam palati, & narium amplitudinis portionem conſtituit. Situm eſt ad palati extremū, qua nares in fauces, vel narium foramina, ad palatum tendunt. Inferior maxilla, quæ Græcis ἡ κάτω σιαγὼν, ἡ γένυς nominatur, homini unico conformatur oſſe, ac in ſummo mento lata eſt. Deſinit utrinq; in duos proceſſus, quaſi bicornes: quorum alter infrà latior, dein in mucronem deſinens, vertice ipſo tenuatur. Alter in capitulum transverſum oblongum, finit. Porrò dentes, qui Græcis ὀδόντες dicūtur, ut plurimùm magna ex parte numero triginta duo ſunt, una ſerie in utrâq; maxilla ſedecim. Priores quatuor, quia ſecāt, Græcis τομεῖς τεμνικοί, Latinis inciſorii appellantur. Sunt enim acuti & lati, ut oblatum ipſis cibum mordendo, cultri ad inſtar, promptè incidant, & confringant. Vocantur etiā διχαστῆρες, quaſi diviſores, quòd ſcilicet cibū dividant, & ſecent, atq; partiantur quicquid ſibi nutrimenti offertur. Et κτένες, id eſt, conciſores, quia cibum κτείνουσι, id eſt, conficiunt, & com-

Primum.
Secundum.
Tertium.
Quartum.
Quintum.
Sextum.
Inferior maxilla.
Proceſſus eius.
Dentium numerus.
τομεῖς.
Inciſorii.
διχαστῆρες.
κτένες.

minuunt. Aliis placet, sic à pectinũ similitudine esse vocatos. Et γελάσινοι, quòd inter ridendũ nudentur, & ostendantur. Deinceps horum lateribus, utrinque duo alii, adjacent, Græcis κυνόδοντες, Latinis canini dicti, quòd exertis canum, (qui hos insignes habent) dentibus, similes sint. Post hos sunt decẽ (ab utroq; enim latere ut plurimùm quini) Græcis γόμφιοι, Latinis maxillares nominati. Sic autem à loco, cui infixi sunt, vocatos esse constat. Alio nomine eosdẽ Græci μύλας & μυλίτας, Latini molares, quòd iis, veluti molis, cereales fruges, tenuentur, & atterantur cibi. Postremi dentes, qui omniũ sunt reconditissimi, ac propemodum gingiva operti, à Plinio genuini appellantur. Postremò nascuntur, anno scilicet ætatis vigesimo, sed & in senecta quibusdam, anno nimirũ octuagesimo, ut lib. 5. de generatione animalium cap. ultimo, & tertio de Partibus eorundẽ, author est Aristoteles. Quocircà Græcis σωφρονιστῆρες, quòd scilicet eo tempore, quo sapere solemus, producantur: & ὀψιγόνοι, id est, serotini, nec non κραντῆρες, quasi ætatem perficientes ac complentes, vulgò dentes sensus, & sapientiæ nuncupantur. Sinus, quibus dentes continentur & infiguntur, ossei, propter similitudinem, quam cum brutorum præsepibus obtinent, Græcis φάτνια, Latinis præsepiola: fossulæ verò sive alveoli, quos dentes subeunt, Græcis βόθρια, à foveæ similitudine vocantur. Ceterùm foramina capitis, quæ multa & varia sunt hoc loco referre nihil attinet. quòd si tamen quispiam hæc ipsa cognoscere voluerit, is ea, ex cap. 15. libr. 1. nostræ Anatomes petat. Porrò supremæ laringis gutturisve parti, ad linguæ radicem, os unitatis nomine donatum, sed variis pluribusq; ex officulis contextum præponitur, quod Græcis à literæ υ figura ὑοειδὴς, & ὑψιλοειδὴς, atque à Λ imagine nonnullis λαμβδοειδὴς appellatur. Sunt quibus propterea quòd in faucibus consistat, φαρύγγετρον dicitur.

Margin: γελάσινοι. — κυνόδοντες. Canini. — γόμφιοι. Maxillares unde dicti. — μύλαι. μυλῖται. Molares. — Genuini. — σωφρονιστῆρες. ὀψιγόνοι. κραντῆρες. Dentes sapientiæ. — φάτνια. βόθρια. Foramina capitis. — Os hyoides. ὑοειδὴς. ὑψιλοειδὴς. λαμβδοειδὴς. φαρύγγετρον.

tur. Constat utplurimum undecim ossibus. de quibus singillatim, & fusè in Anatome nostra dictũ est.

DE SPINA, ET QVAE HVIC, annectuntur ossibus. Cap. III.

SPina quæ Græcis ῥάχις, & νῶτον dicitur, ex pluribus ossibus, & variè invicem articulatis, & cõmissis efformata est, spinalique medullæ, quam Græci νωτιαῖον μυελὸν vocant, iter præbet, ac corporis veluti carina quadam, fundamentumq; est, triginta quatuor ossibus, quę Gręcis σπόνδυλοι, Latinis vertebræ, quòd verticillorũ, quibus mulieres fusos aggravant, formam referant, dicũtur. Harum vertebrarum processus, in corporis posteriora exerti, aculeoque & spinę persimiles, Gręcis ἄκανθαι, Latinis spinæ nuncupantur. Habent etiam suos transversos processus, qui tamen peculiari nomine donati non sunt. Vniversa verò spina in quinque dividitur partes, cervicem, thoracem, lumbos, sacrum os, & coccyga De quibus ordine disseremus. Cervix, sive collum, quod Græcis αὐχὴν καὶ τράχηλος dicitur, septenas continet vertebras, multis, sed in omnibus, non pari numero, processibus ornati. In medio secundæ vertebræ, ex superiori mediaq; sui corporis regione, processus quidam insignis, & altus, admodumq; durus & solidus enascitur, quem quòd denti, canino potissimùm assimilatur, Gręci privatim ὀδοντοειδῆ, id est, dentiformem, & ὀδόντα, hoc est, dentem nominant: Alii hũc processũ, quòd turbinâta sit figura, seu nucis pineæ formã referat, κωνοειδῆ: alii quod cuspidis seu nuclei pyramidisve modo extuberet, πύρινον & πυρινοειδῆ appellant. Porrò, vertebrarũ cervicis processus, undecim numero sunt: duo in superiori corporis sede, utrinq; scilicet unus, ad latus sinus, cui incumbentis vertebræ, oblongũ corpus insidet. Duo item descendentes, qui incumbentem subeunt vertebram.

Spinæ. ῥάχις, νῶτον. σπόνδυλοι. Vertebra. ἄκανθαι. Transversi processus. Cervix. Dens. κωνοειδὴς. Processuum vertebrarum cervicis numerus. Thoracis vertebra.

Duo dein descendentes, quibus subditæ vertebræ ascendentes processus, excipiuntur. Quatuor transversi processus: utrinq; enim sunt singuli: at illi rursus gemini bifidiq;. Vndecimus, posterior processus, seu spina Dorsi pars, thoracem constituens, quam nonnulli simpliciter Dorsum vocaverunt, Græci verò, quòd post septũ trãsversum consistat, μετάφρενον, in homine quidem, magna ex parte duodecim habet vertebras. Aliquando tamen, quanquam raro, quibusdam vel deest una, vel superest: sed deesse rariùs, quàm superesse cernitur. Homines verò plerũq; à canibus, una thoracis vertebra superantur. Iam dictis subsunt lumborum, qui Græcis ὀσφυες, & ἰξύες, & ψοῖαι dicuntur, vertebrę quinq;. (In canibus tamen & caudatis simiis plures lumborum vertebræ existunt) Hisce subiectũ est os Gręcis ἱερόν appellatum, Latinis sacrum: quòd scilicet grande, magnumq; sit. Quippe veteres Græci, quicquid ingens ac præclarum haberi volebant, sacrum vocabãt. Dicitur etiam πλατύ, hoc est, latum amplumq;: quòd eius amplitudo facilè reliquarum vertebrarum, quibus instar basis tutissimiq; fundamenti, subjicitur, magnitudinem vincat. In homine ut plurimùm maximaq; ex parte sex propriis ossibus, invicem validè nexis, in simiis autem, & canibus, tribus tantùm compactum est. Os sub sacro osse locatum, Græcis κόκκυξ, à formæ obliquitate, & in mucronem ductu, ac rubore appellatur. Siquidem illi, hoc ipsum ad cuculi rostrum, retulerunt. Sunt qui illud etiam ὀῤῥοπύγιον, quod propriè caudam volucrum significat, nominare solent. In homine, hoc os, crebrò ex quatuor extruitur ossiculis, in canibus autem è tribus. Thorax Græcis medicis vocatur, quicquid costis utrinque interceptum, circumscribitur. Anterior autem thoracis pars iisdem στῆθος, & στέρνον nuncupatur. Thoracis autẽ ossa, sunt ex spina, duodecim dorsi vertebræ, totidem costæ, & os pe-

Margin notes: μετάφρενον. — *Lumbi.* — *Os sacrum.* — *Coccyx os.* — θώραξ. — στῆθος. — στέρνον.

os pectoris. Costæ quæ Græcis πλευραὶ dicuntur, viris & mulieribus ab utroque latere ut plurimùm duodecim sunt. Rarissimè enim decimatertia visitur, atq; hac rariùs adhuc undecima. Septem elatiores, suis cartilaginibus, pectoris ossi, & vertebris dorsi, articulantur: hinc Græcis γνήσιαι καὶ ἀληθεῖς, Latinis, veræ, legitimæ, perfectæq; nominantur. Quinque autem inferiores, solis vertebris annectuntur: ad pectoris verò os, non pertingunt, sed in thoracis lateribus desinunt, ideoque Græcis νόθαι καὶ ξῶαι, Latinis spuriæ & tenuiores, illegitimæ, imperfectæ, & recentioribus mendosæ vocantur: Harum costarum spuriarum cartilago mollis est: unde χόνδροι etiam nuncupantur. Proinde factum, ut partes suprà umbilicum, utrinque ad latera, iam dictis spuriis costis subiectæ, Græcis & Latinis Hypochondria nuncupentur. Pectoris os, quod Græcis, ut dictum est, στέρνον καὶ στῆθος appellatur; aliam in quadrupedibus animantibus, aliam in homine constructionis rationē habet. Quippe in homine tribus plurimùm ossibus, septem costarum utrinq; articulationem excipientibus, extruitur, in brutis verò, septem constat ossibus. Primum pectoris os in homine superiori sede lunatum cernitur & veluti foveam ostendit, quam Græci σφαγὴν, Latini os ipsum, propriè iugulum nominant; vulgus furculam superiorem. Ossi pectoris, ad finem subnata est cartilago, quæ quòd obtuso ensis, gladiiúe mucroni similis est, Græcis ξιφοειδής, Latinis ensiformis, & mucronata, barbaris malum granatum, quòd scilicet unius balaustii apicis imagini accedat, item scutū, clypeus oris stomachi, scutalis, cultralis, & epiglottalis, quòd laryngis operculi formam referat, appellatur. Ossiculum quoddam, ad basim cordis invenitur, ubi aortæ, venæ arteriosæ, earundemq; membranarū habentur radices. Scapula, quæ Græcis ὦμος, ὠμοπλάτη, ἐπινώτιον, & simpliciter πλάτη appellatur, Latinis etiam Scoptulum opertum, & simplici-

Costæ. *Veræ.* *Spuriæ.* *Hypochondria.* *Pectoris os.* *σφαγή.* *Iugulum.* *Os cordis.* *Scapula.* *Scoptulum.*

ter scoptulum vulgò, & Barbaris Spatula dicitur. Trianguli quodammodo imaginem exprimit. Hæc duos obtinet processus, quorum superior, ac super humeri articulum pertingens, veteribus Græcis ἀκρώμιον, Latinis summus humerus nominatur. Inferior sive interior processus, instar antiquæ Græcorum literæ σ cavus est, ob id σιγμοειδὴς nuncupatur. Aliis ab imagine quā habet cum altera anchoræ parte, quæ terræ infigitur ἀγκυροειδὴς vocatur. Nonnullis verò κορακοειδὴς, quòd corniculæ rostri modò incurvatur, vocatur. In utrisq; lateribus, consistunt claves seu claviculæ, quæ Græcis κλεῖδες, Latinis verò iugula, & surculæ nuncupantur. Pars claviculæ, pectoris ossi contermina, Græcis παρασφαγὶς dicitur. Quæ autem superiori scapulæ processui articulatur, ἐπωμὶς Græcis, præsertim Iulio Polluci, vocatur. Galenus autem scapulæ superiorem partem ad cervicem protensam, sic nominat.

ἀκρώμιον. *σιγμοειδὴς.* *ἀγκυροειδὴς.* *Claves seu claviculæ.* *παρασφαγὶς.* *ἐπωμὶς.*

DE OSSIBVS MANVS.
Cap. IV.

Brachii os, seu, ut Celsus nominat, humerus, est os id, quod scapulæ & cubito articulatur, ac Græcis βραχίων, Latinis brachiū, Barbaris brachii adiutorium appellatur. In medio, inferioris humeri sedis, sinus cum suis tuberibus talis prorsùs cōsistit, qualis in trochleæ rotula, ad quam funes volvuntur, cernitur, qui ob id humeri rotula vocatur. Universa verò pars, inter brachiū humerumve, & brachiale sita, Græcis πῆχυς, ὠλένη, & ὠλενον, Latinis cubitus nuncupatur. Constat autem duobus ossibus invicem incumbentibus, & coarticulatis, quorum inferius, quod & longius est, Græcis privatim πῆχυς, Latinis ulna, barbaris focile maius vocatur. Superius autem Græcis κερκίς, Latinis radius, Barbaris focile minus nominatur. In superiori sua sede, ulna, qua posterio-

Brachium. Humerus. *Humeri rotula.* *Cubitus.* *Vlna.* *Radius.* *Vlnæ pro-*

posteriorem, cubiti articuli regionem cõstituit, duos insignes adipiscitur processus, quos Græci κορώνας, quòd rotundi sint (foris namque gibberosi, intùs verò cavi existũt) vocant. Vnũ ex anterioribus, & supernis eius partibus, qui minor est, & sinum in anteriori humeri sede, ad elatiorem rotulæ regionem exculptum, spectat, suisq; tuberibus illi exquisitè congruit. Alterum ex posterioribus & inferioribus partibus ipsius, priore multò crassiorem, & ampliorem, quem Athenienses ὠλέκρανον, Hippocrates verò ἀγκῶνα, Latini gibberum nominant. In inferiori sui parte, ulna processum alium obtinet, quem, quia in acutum procedit, Græci à scriptorii styli, aut columnæ imagine γραφοειδῆ & στυλοειδῆ appellant. Extremæ summæve manus, quæ Græcis ἀκροχείρ dicitur, & à cubito ad extremam usq; digitorum aciem progreditur, partem cubito articulatam, Græci καρπόν, Latini brachiale, barbari rasetam vocant. Octo autem, inter se, forma & magnitudine differentibus ossibus, ac duplici ordine distinctis, brachiale extructum est. Pars autem summæ manus, à brachiali, ad radicem usque digitorum deducta, Græcis μετακάρπιον, στῆθος, κτένιον, & ἄνδρων, Latinis postbrachiale nominatur. Constat quâtuor ossibus, quæ reliquis digitorum ossibus, sunt longiora. Digiti autem manus, qui Græcis δάκτυλοι dicuntur, numero quinque sunt, ternisq; seriatim, ac veluti in acie positis ossibus, constant, quæ ob id Græcis φάλαγγες, κόνδυλοι, & σκυταλίδες, Latinis catervæ, agmina, aciésve, internodia, & articuli vocantur. Hæc si singula coniungas, erunt numero quindecim. Primus ac maior digitus Græcis ἀντίχειρ, hoc est, promanus, quòd reliquis quatuor sibi oppositis æquivaleat, atque adeò pro tota manu sit, dicitur. Hippocrates hunc μέγαν, id est, magnum nominat: Latinis pollex, quòd vi

cessus duo.
κορῶναι.
γραφοειδής.
Summa manus.
κάρπος.
Brachiale.
Postbrachiale.
Digiti manus.
φάλαγγες.
κόνδυλοι.
Primus digitus.
Pollex.

vi, ac dignitate cæteris polleat, appellatur. Eo enim amisso, omnes reliqui potestate interciderunt: quòd absq; ei⁹ ope & auxilio agere possint ferè nihil. Secūdus Græcis λιχανός, à lingendo, quòd meditabundis ori insertus, crebrò lingatur. Latinis ab usu index nuncupatur. Tertius Græcis μέσος, Latinis medius, impudicus, infamis, & verpus; à verrendo podice dictus est. Quartus Græcè παράμεσος, Latinè anularis, quòd veteres, in eo anulos gestabant, vocatur. Alio nomine ἰατρικός Græcis, medicus Latinis appellatur. Quintus Græcis μικρός, Latinis minimus, & parvus; atqúe auricularis, quòd nimirùm, eo, aurium sordes expurgētur, nuncupatur. Cæterùm natura, manuum articulis, veluti auctarium, securitatis gratia; ut scilicet implerent, stringerēt, ac quo minus luxationi obnoxii essent, ossicula quædam circumposuit; quæ à Sesami leguminis minuti specie; Græcis σησαμοειδῆ, Latinis Sesamina nominantur. Ea verò in singulis manibus sunt duodecim. Duo in secundo pollicis internodio. Duo etiam; sed multò minora, impensiusq; cartilaginea, in primis quatuor digitorum internodiis habētur. Vnum quoq; in pollicis tertio internodio, unumque ad exterius latus; ossis postbrachialis, parvum digitum sustinentis, ad brachiale interdum invenitur. In reliquis verò digitorum internodiis rariùs unum, nisi in valdè senibus, invenitur.

Secundus. Index. Tertius. Medius. Quartus. Anularis. Medicus. Quintus. Minimus. Sesamina ossicula.

DE CRVRIS, ET HVIC connexis ossibus. Cap. V.

SAcri ossis lateribus, utrinque grande os connectitur; cui integro nullum nomen est inditum. Quamquam enim continuum est, tamen in tres veluti sedes distinguitur. ampla enim & lata, superiorq; ipsius pars, quæ illa respicit, Græcis λαγόνων, Latinis Ilium os appellatur. Media alteraq; eius sedes, femoris

Ilium.

femoris caput, profundiori acetabulo admittens, Grӕcis ἰσχίον, Latinis coxendicis os, & simpliciter coxa nuncupatur. Tertia ſedes, anteriorq́; qua in pubis regione, cum alterius lateris oſſe committitur, inſigniterque perforatum eſt; Græcis ἥβη, Latinis pubis, & pectinis os appellatur. Femur, quod Græcis μηρός dicitur, os eſt, quod à coxis incipit, & ad genua, quæ Græcis γόνατα vocantur, finitur. Quippe rotundo capite, coxæ inarticulatur: duobus autem capitibus grandioribus, in tibiæ oſſis ſinus intrat. Ad femoris oſſis cervicem, duo conſpiciuntur proceſſus: quorũ alter externum femoris latus occupat, quem Græci μέγα τροχαντῆρα, Latini magnũ rotatorem nominant, quòd ſcilicet omniũ corporis proceſſuum, nulli alteri oſſi commiſſorum, facilè maximus ſit. Hunc etiam propter amplitudinem, & quandam cum natibus imaginem, Græci γλουτόν vocant. Alter minor eſt, multoque inferiùs in interno femoris latere, nonnihil verſus poſteriora conſpicuus, & modicè oblongus eſt, atq; hac de cauſa minor, & interior rotator dicitur. Vniverſa pars cruris, quæ inter talum genuq; poſita eſt, Græcis κνήμη, Latinis tibia nuncupatur. In ea, quemadmodum in cubito, bina ſunt oſſa: quorũ alterum, nempe interius & grandius, totius membri nomine κνήμη, id eſt, tibia vocatur. Alterum verò, rò, quod exteriùs locatum eſt, & interiori craſſitudine admodum cedit, Græcis περόνη, Latinis fibula vocatur. Anterior tibiæ pars tenuis, excarnis, & inſigniter gibba, Græcis κνῆμα, & frequentiùs adhuc προκνήμιον, & ἀντικνήμιον appellatur. Poſterior verò pars, quę tibiæ quaſi pulpa eſt, (quod hic obiter, ſed extra inſtitutum attingere placuit) γαστροκνημία Græcis, ſura Latinis nominatur. Ante tibiæ verò, cum femore articulum, os quoddam præponitur rotundum, & brevi ſcuto nõ abſimile, Græcis ἐπιμολίς, & ἐπιγονατίς, Latinis molla, patella, & genu rotula nuncupatur.

Coxendicis os. *Coxa.* *Pubis os.* *Pectinis os.* *Femur.* *Genua.* *Proceſſus femoris.* *Magnus rotator.* *γλουτός.* *Rotator minor.* *κνήμη.* *Tibia.* *Fibula.* *περόνη.* *κνῆμα.* *προκνήμιον.* *Sura.* *ἐπιμολίς.* *Mola.* *Patella.*

Porrò tibiæ & fibulæ imæ partes, talo commissæ, exterioreq; suo latere gibbæ, & nulla prorsus musculi

σφυρά. parte obtectæ, Græcis σφυρά, Latinis malleoli appellantur. Sunt enim duplices: malleus qui in fibula eminet, exterior & qui in tibia, interior nominatur.

Interpretum Galeni error Aliquot Latini interpretes, maximo errore σφυρά talos, interpretantur. Pes Græcis πȣ̃ς dictus, sex dona-

Pedis sex ossa. tur ossibus. Primum Græcis ἀστράγαλος & ἄστριος, Latinis talus, vulgò Balistæ os, quod nucis balistæ

ἀστράγαλος. Talus. formam referat, dicitur Ab imis tibiæ ossis, & fibulæ appendicibus, magna sui parte, comprehenditur.

Calcis os. Huic alterum os, quod Græci πτέρναν, Latini calcaneum & calcem vocant, omnium pedis ossium facilè maximum subjicitur. Tertium os posteriori sede, admodum profundo donatur sinu, cavitatemque navi

Naviculare. similem obtinet: unde etiam naviculare, & naviforme, atq; à cymbæ imagine, σκαφοειδὴς Græcis, Lati-

σκαφοειδὴς. Tarsus. nis os cymbam referens, nominatur. Quartum os, quod Græcis & Latinis ταρσός appellatur, non est nisi quatuor ossium, ex quibus constat, series, quorum tria, naviculari, aut cymbam referenti ossi coarticulantur: quartum verò, exteriusque situm, quod

κυβοειδὴς. tessera cubóve assimilatur, & ob id Græcis κυβοειδὴς

Plantæ. vocatur, calci iungitur. Quatuor tarsi ossibus, quinq;

πέδιον. plantæ, (quæ Græcis πέδιον nominatur) ossa articulantur. His quinque, pedis digiti sustinentur, è quibus pollex duobus tantùm ossibus efformatur, reliquis interim tria internodia sibi vendicantibus. Quinetiã

Sesamina. in pede, totidem, ac in manu, exigua occurrunt ossi-

Vngues. cula, Sesami semen referentia. Ad hæc in pede, non

Cartilaginũ enumeratio. minùs quàm in manu, ungues visuntur. Porrò utriq; palpebræ, quæ Græcis βλέφαρον nuncupatur, una ad-

palpebræ. βλέφαρον. nata est cartilago, utrinq; mollis & lõga in palpebrarum extremo, qua illæ invicẽ connivent, locata. Huic

βλεφαρίδες. Cilia. ipsi autem cartilagini, palpebrarum pili, qui Græcis βλεφαρίδες, Latinis Cilia nominantur, insiguntur. Au-

ris

tis cartilago itidem mollis & tenuis, auris formam refert. Ab inferiori nasi ossium sede, qua hæc aspera & latiora, quàm superiori parte sunt, duæ nascuntur cartilagines, quæ deorsum in anteriora expoirectæ, invicemq; coniunctæ, sensim molliores evadunt, ac in nasi extremo, veluti in cartilagineum ligamentum degenerant. Ab osseo item septo narium foramina bina dirimente, alia exoritur cartilago, quæ à tota anteriori septi sede procedens, internæ, duarum primarum cartilaginum regioni, secundum ipsarum longitudinem adnascitur. His tribus cartilaginibus aliæ duæ, utrinq; singulæ, accedunt. Caput asperæ arteriæ, quod Græcis λάρυγξ, Latinis guttur dicitur, ex tribus constat cartilaginibus: quarum prima anterior maximaq;, foris quidem gibba, intùs autē cava, scuto quodammodo similis prælongo: hinc Græcis θυρεοειδής, Latinis scutiformis, Barbaris scutalis, & peltalis vocatur. Secunda, primâ minor est & maior tertia, maximaq; sui parte posteriorem laryngis sedem constituit, ac quantum scutiformis cartilago, à perfecti circuli figura deficit, hoc ipsa adijcit, & superiori, posterioriq; eius parte supplet. Hæc nomine destituitur, ideoq; Innominatam appellant. Annulo autē, quē sagittarii, Turcę dextro pollici imponunt, ut eius ope, arcus, nervum robustius trahant, similis est. Tertia cartilago Græcis ἀρυταινοειδής nuncupatur, quòd scilicet quùm integra est, & membrana asperam arteriam intùs succingente adhuc obducitur, illi ollarum parti, qua aquam manus lavaturis affundimus, quam ἀρυταίναν vocant, simillima sit. Membranis autem suis liberata gemina esse videtur, duabusq; constituitur partibus. His tribus porrò laryngis cartilaginibus, alia quædam mollis, & substantiæ tertiæ cartilaginis superiori parti prorsus similis accedit, quæ laryngis perelegans efficitur operculum, ac curatè prohibens, ne quid cibi, aut potus in laryngē defluat. Hæc quidem Græcis ἐπιγλωττίς nominatur,

Auris cartilago. *Nasi.* λάρυγξ. θυρεοειδής. *Secunda cartilago.* *Tertia.* *Laryngis operculum.* ἐπιγλωττίς.

& qua palatum respicit, gibba est, & mollis: qua verò laryngi innititur, cava simaq;, ac multò quàm superiori parte durior. Porrò tertia cartilago, laryngis, in medio rimam refert tibiarum, seu potiùs fistularum linguis, quas ori indimus, similem, quæ Græcis γλωττὶς, Latinis lingula nuncupatur. Nostræ ætatis medici maximo & pudēdo errore, lingulam, & epiglottida inter se confundūt: quum tamen dissectionis peritis liquidò constet esse diversas planè corporis partes. Reliquæ asperæ arteriæ cartilagines, quæ ipsius caudicē & ramos in pulmones digestos, constituunt, C literæ imaginem exprimunt.

γλωττὶς.
Lingula.
Error medicorum lingulam cum epiglottide confundentium.

QVID LIGAMENTVM, MVSCVlus, cutis, & cuticula. Cap. VI.

Ligamentum, quod Græcis σύνδεσμος dicitur, corpus est similare, ex osse, aut cartilagine, aut quavis duriore membrana, principium ducēs, sensus omnis expers, durum: sed tamen cartilagine mollius, album, & exangue, cavitatisq; omnis expers. Varios autem in colligando, continendo, obtegendo, & musculis constituendis, in homine usus præstat. Musculus autem, qui Græcis μῦς appellatur, pars corporis est instrumentalis, voluntarii motus instrumentū, ex ligamento in fibras plures diviso, & carne has continente, & intertexente formatum, nervorum, venarum & arteriarum in se recipiens surculos. Constat musculus tribus partibus, principio, medio & fine. Principium quidem, quod caput musculi vocant, prima illius divisio constituit. Id enim est, quod nervum maxima ex parte recipit: vel in quod inferitur nervus. Medium verò, in quo divisionis series consistit hoc est, ubi nervus, & ligamentum, multiplici divisione sic confusa sunt, ut vix discernantur, ventrem appellant. Qua verò parte se tandem colligunt, atque in unum refluunt, nervorum & ligamētorum

Ligamentum quid.
Usus ligamenti.
Musculus quid?
Partes musculi tres.
Caput.
Venter.

torum exiles fibræ, finis, cauda, & extremum dicitur. *Finis. Cauda.* Græci ἀπονεύρωσιν, id est, enervationem, quòd fibrarum musculi, citra carnis interventum veluti coalitus existat, appellant. *ἀπονεύρωσις.* Alio nomine Græcis τένων, Latinis tendo nominatur. *τένων. Tendo.* Verùm non omnis musculus in tendinem finit: sed in illis tantùm tendo habetur, qui longo ductu feruntur. Atq; ii sanè modò in teretem, modò latum, & veluti membraneum, modò breviorem, modò longiorem tendinem plerumque unicū, quandoque compositum desinunt. Breves autem musculi tendine carent, & undiq; carnosi sunt. Porrò cutis omnium partiū corporis nativum tegumentum est, ac Græcis δέρμα, eò quòd δέρεσθαι, id est, excoriari queat, Latinis corium nominatur. *Cutis. δέρμα.* Huic alia tenuis cuticula, & prorsus exanguis obducitur supernasciturq;, ceparum propemodum tenuioribus, ac pellucidis respondens involucris. *Cuticula.* Hæc quia cutis quædam velut efflorescentia est, Græcis ἐπιδερμίς, quasi summa cuticula, aut extima cutis superficies vocatur. *ἐπιδερμίς.* Cuti per universum corpus, membrana subiacet, quæ cuticula longè robustior crassiorq; est, & fibris quibusdam raris, iis, qui illi substernuntur, musculis adhæret, connasciturque, cuti verò pertinaciùs committitur. Hanc dissectionis periti, quòd carneis fibris adaugeatur, carneam appellant. *Carnea membrana.* Vulgo & barbaram sectantibus medicinam, Panniculus carnosus dicitur. Inter hanc membranam & cutem pinguedo seu adeps, qui Græcis πιμελή nominatur, plurimis nascitur. *Pinguedo.* Nunc breviter musculorum numerum, eo, quo ossa ordine, à musculis in capite locatis orsi, commemorabimus.

DE MVSCVLIS CAPVT, ET EAS, quæ in capite sunt, partes, moventibus. Cap. VII.

Frontis musculosa substantia.

Carnea membrana, sub frontis cute, quam πρoμετωπίδιον Græci vocant, carneis fibris aucta, musculosaq; reddita, pluresq; nervorum propagines à cerebro mutuata, illam movet. Palpebram superiorē duo tenues, lati & membranei musculi, eandem attollentes & deprimentes movent.

Musculi palpebræ superioris duo.

Vnus portionem maioris anguli, qui ad nasum est, amplectitur, palpebram ad superiora contrahens. Alter totum minorem angulum occupat, & palpebram deorsum agit: Inferior palpebra planè immobilis est.

Oculorum musculi septem.

Oculum septem agunt musculi: duo quidem in lateribus, singuli scilicet ad utrūq; angulū: alii autem duo, unus quidem infernè, alter vero supernè: quintus verò & sextus, ut oculorum circum actionis motui præessent, positione & insertione obliqui sunt. Septimus grandis est, & undecunq; à iam dictis occultatus, solusq; nervum visorium in orbem ambit, ipsum constringens ac muniens, in brutis potissimùm insignis conspicitur.

Buccarum, labrorum, & nasi alarum musculi duodecim.

Buccas, & labra, quatuor utrinq; musculi agunt. Primus, membraneus & amplus, ex vertebrarum cervicis, spinarum regionibus, deinde scapularum & clavicularum, & pectoris ossis sedibus ortus, usque ad faciem protenditur. Constituitur à carnea membrana, carneis fibris adaucta. Secundus similiter membraneus est, totamque eam buccarum sedē, quam inflamus, complectitur, à superiore maxilla pronatus, in inferiorem inseritur. Tertius à maxillæ superioris osse, enascitur inque superioris labii latus implanatur. Quartus ab inferioris maxillæ humiliori parte, ortus, in mediam humilioris labri sedem, implantatur. Cæterùm, ut hoc quoque obiter dicamus, Bucca, quæ Græcis γνάθος dicitur, utrunq; faciei latus est, quod spiritu detētio inflatur. A malis iuxtà tertiū iam dictum musculum, carneus quidam,

Bucca quid?

Quintus.

sed

ſed tenuis membraneusq; enaſcitur muſculus, qui in ipſo modicè, verſus priora deſcenſu, in duas portiones partitur: unam naſi alæ radici, alteram ſuperioris labii parti, quæ Græcis μύςαξ, Homero ὑπήνη, Latinis barba ſuperioris labri nominatur fibras, & tendines ſuos inſerens. Alius denique in internâ narium amplitudine habetur muſculus, ad ſuæ cavitatis latus externum, ſub tunica illam amplitudinem ſuccingente, reconditus. *Sextus.*

Maxillam inferiorem moventes muſculi utrinque quatuor exiſtunt. *Maxillam inferiorem movẽtes muſculi octo.* Primus à mandendo, Græcis μασητήρ, Latinis manſorius, vel mãdibularius dictus, ad poſteriorẽ maxillæ inferioris ſedem, ſub oſſe iuguli ſitus. *Primus. Manſorius.* Totus quodam modo triangularis eſt, unumq; eius latus verſus iugalis oſſis extremitatem, porrigitur: alterum à malis, ad infimam maxillam retrorſum ducitur: tertium, ab aure, in anteriora deorſum fertur. Secundus Græcis κροτάφιτις, Latinis temporalis appellatus, inſtar ſemicirculi primũ à verticis ac frontis oſſe naſcitur: dein in cavitatem ibi in capitis oſſibus exculptam, deſcendit: tandẽq; manſorio adeò continuatur, ut hos duos unum eſſe muſculũ quis contendere poſſit. *Secundus. Temporalis.* Tertius in ore deliteſcens vocatur, & ex tota cavitate ſinúve exoritur, qui in oſſis cuneum referentis proceſſibus veſpertilionũ alas exprimentibus inſculpitur, ac in internam maxillæ, ubi hæc latiſſima eſt, ſedẽ inſeritur. *Tertius. In ore deliteſcens.* Quartus os aperiens dicitur: is ſanè gracilis & oblongus eſt, ex prominentibus temporum oſſium proceſſibus, qui ſtyli imaginem præ ſe ferunt, originem ducens, inferioris maxillæ parti, ubi exaſperatur, & proceſſulos inæqualiter extuberantes obtinet, implantatur. *Quartus. Os aperiens.*

Oſſis hyoidis octo ſunt muſculi. *Oßis hyoidis proprii muſculi octo.* Duo ex ſumma pectoris oſſis ſede prognati, & in anteriorẽ ác gibbã hyoidis oſſis partẽ inſerti: illud deorſum, (ſi quando violentius tùm à ſuperioribus muſculis, tùm à ſcutiformi cartilagine ſurſum vellitur, retrahunt. Duo alii, qui iis opponuntur, ampli, breves, à maxillã inferiori

ſub ſummo mento enati, hyoidiq; oſſi primis cõtermini inſerti, illud ſurſum ducunt. Duo item alii admodũ graciles, teretesq;, qui ab oſſis temporis proceſſuum ſtylum referentium radicibus orti, hyoidis oſſi inſeruntur, & idipſum in latera, ſurſum alliciunt. Præterea duo graciles longiq; ex elatiori ſcapulę coſtâ orti, in hyoidis oſſis regionem, in quam prædicti inſeruntur. idq; deorſum utrinq; ad latera detrahũt.

Muſculi linguæ novem. Muſculi, qui linguam agunt, novem. Duo quidem recti, & impensè craſſi, obſcureq; ab invicem diſcreti, ex mediâ, ſuperioriq; hyoidis oſſis parte orti, linguæ medio inſeruntur. Tertius & quartus ex duobus ſuperioribus oſſis hyoidis oſſiculis pronati, linguæ lateribus inſeruntur. Quintus & ſextus, à capitis proceſſibus, ſtyli imaginem referentibus enati, linguę radici innaſcuntur. Septimus & octavus ſinguli à lateribus maxillæ inferioris, iuxta molarium dentium radicem, principium ducunt, linguæ per longitudinem implantantur: non quidem prorsùs in linguæ medium, ſed duorum primorum muſculorum latera. Nonus ab internâ inferioris maxillæ ſede, iuxtà ſummum mentum prodit, inq; linguæ radicem implantatur.

Laryngis muſculi. Laryngis muſculi proprii, duodecim ſunt: quorum quatuor primam laryngis cartilaginem ſe-
1.2.3.4. cundæ committentes, & laryngis rimulam arctantes, breves ſunt, ſed lati, tenues, & carnoſi, ab inferiori primæ cartilaginis ſede, originem ducunt: horumq; exteriores, primæ cartilaginis parti, priora laryngis ſpectanti, interiores verò, primæ cartilaginis humi-
5.6.7.8. liori ſedi, inſeruntur. Quatuor alii, ſecundæ cartilagini tertiam committentes, rimulamq; aperientes, à ſecundæ cartilaginis ſede, enaſcũtur, tertiæq; cartila-
9.10. gini implantãtur. Nonus & decimus, tertiam primæ copulãtes, rimulãq; claudentes, ex mediã primæ cartilaginis ſede, oriuntur, & tertiæ cartilaginis anteriori
11.& 12. ſedi, inſerũtur. Vndecimus & duodecim⁹ in baſi tertiæ cartilaginis conſiſtentes, lingulamq; arctantes, ex radice tertię cartilaginis naſcũtur, & in tertiæ cartilaginis mediũ, implantantur.

Com-

Communes, & qui laryngem vicinis colligāt, octo *Laryngis* existunt: quorū primi duo rimulam reſerantes, ex tota *muſculi cō-* propemodum inferiori hyoidis oſſis ſede, principiū *munes octo.* ducunt, & ſingul, in ſui lateris inferiorē primæ carti- 1.2. laginis ſedem, implantantur. Duo alii à pectoris oſ- 3.4. ſis interiori regione pronati, primæ cartilagini inſe-runtur, prioribusque, contrariam actionem adipi-ſcuntur, ac laryngem arctant & claudunt.

Quintus & ſextus, à poſteriori ſede gulæ, invicem 5.6. proximi, principiū ducentes, lateribus primæ cartilaginis inſerūtur, lingulamq; coarctant. Præter hos ſex 7.8. iā dictos, alii duo propemodū teretes, ex mediâ interiori oſſis hyoidis ſede explātati, in laryngis operculi radicem inſeruntur, id ſurſum attollentes, atq; à cibis & potibus depreſſum elevantes. Caput moventes *Caput mo-* muſculi in univerſum quatuordecim ſunt, ſeu ſeptē *ventes mu-* paria. Primum, ex quinq; ſuperiorum thoracis ver- *ſculi* 14. tebrarum ſpinis, enaſcitur, ſenſimq; extrorsùm obli- *Primū par.* què aſcendens, occipitis oſſi inſeritur. Secūdum par, 2. quod non duobus, ſed pluribus efformari videtur muſculis, ex transverſis, quatuor ſuperiorum thoracis, & quinq; inferiorum cervicis proceſſibus ortum, itidem in occipitium implantatur. Tertium, ex ſe- 3. cundæ cervicis vertebræ ſpinæ extremo, natū, in occipitii medium inſeritur. Quartum, ſub tertio occul- 4. tatum, à primæ vertebræ ſede, ubi aliæ in ſpinam deſinunt, prodit, & ſimiliter occipitis oſſi inſeritur. Quintū, ab occipitis oſſis medio, transverſum quo- 5. dammodo deſcendens, in apicem transverſi, primæ cervicis vertebræ proceſſus implantatur. Sextum, à 6. ſpinâ, ſecundæ cervicis vertebræ exortum, in transverſum quoque primæ cervicis vertebræ proceſſum, inſeritur. Septimum par inſignius eſt, atq; à pectoris 7. oſſis, media ſumma regione, & claviculis, quâ illi articulantur, enatum, ſurſumq; obliquè ductum, in mamillarem capitis proceſſum, implantatur

DE MVSCVLIS THORACEM, & eas, quæ huic connexæ sunt, partes, moventibus. Cap. IIX.

Thoracem moventes musculi octogeni & unus. *Primus.*

IN horum musculorum numero, primum occupant locum, musculi thoracē moventes, qui sunt octogeni unus, utrinque nimirum quadraginta, & unus utriq; lateri cōmunis. Primus, qui brevis est, sed amplus, ac tenuis, à claviculæ inferiori, interiorique regione enatus, primę thoracis costę, quâ pectori committitur, inseritur. Secundus ex tota scapulæ basi interiori, in parte pronatus, tāquam digitis quibusdam octo superioribus costis, longè antequam in cartilagines degenerant, implantatur. Tertius, ex apicibus, trium inferiorum cervicis vertebrarum, ac primæ thoracis vertebræ, membraneum latumq; principium ducit, ternis veluti digitis, tribus quatuor superiorum costarum intervallis, sub scapulæ basi inseritur. Quartus, ex posteriore ossis sacri regione, & interiore ilium ossis sede incipit, sursumq; ad cervicem ductus, quâ sui parte duodecim costis, primū à vertebris discedunt, implantatur. Quintus in posterioris thoracis sede, ex spinarum apicibus, duarum infimarum thoracis, & aliquot etiam primarum lumborum vertebrarum spinis, membraneus, latusq; enascitur, ac nonæ, decimæ, & undecimæ costarum intervallis, ipsisque costis, ubi in interiora reflectuntur, & multo antè, quàm in cartilaginem degenerant, velut in aliquot divisus digitos, implantatur. Sextus, in thoracis amplitudine repositus, verarum costarum cartilaginibus, universoque pectoris ossis lateri, exporrigitur. Supersunt adhuc intercostales musculi, qui in duodecim costarum intervallis hærent, ac delitescūt. Horum quidem alii exteriores, alii verò interiores sunt. Exteriores, in singulis costarum intervallis consistunt, & simul atq; costa, è transverso vertebrarum processu, in anteriora obliquè prorepit, principium obti-

(margin numbers: 2. 3. 4. 5. 6. beside the beginnings of Secundus, Tertius, Quartus, Quintus, Sextus)

Intercostales musculi.

Exteriores.

obtinent, ac fibris à superiori costa in inferiorem obliquè, in priora deorsum proreptantibus constant. Interiores verò cõtrario prædictis modo ab inferiori costâ sursum, obliquè in anteriora, ad superiorẽ costam fibras porrigunt, adeoq; ad χ literæ similitudinem exteriores intersecãt. Hanc fibrarum seriem interiores musculi per singula spuriarum costarum intervalla retinent, & in verarum quoq; intervallis, ad eam usq; costarum sedem, ubi in cartilaginem degenerant. Ibidem enim ilicò ac interni eò devenerint, fibrarum ductum immutant. Nam à superioris costæ cartilagine, in inferioris, fibræ in priora deorsum obliquè protenduntur. Proinde, si istum fibrarum ductum respicias, in sex legitimarum costarum intervallis, quaterni sunt musculi, adeoque priori numero duodecim accedunt. In spuriarum autem intervallis, bini tantùm numerantur. Quapropter hac ratione, unius lateris intercostales musculi, quatuor & triginta existunt. Quibus omnibus, unus utriq; lateri communis accedit, amplus & rotundus, orbicularisve, in medio nerveus, in circuitu verò ad insertionẽ carneꝰ, quem Græci διάφραγμα, & φρένας, Latini septũ transversum, Plinius præcordia, quòd scilicet cordi prætendantur, appellant. Grecam autem & Latinam appellationem, hæc pars non aliâ de causâ accepit, quã quòd instrumenta spiritus, ab alimenti organis distinguat. Cæterùm dorsum moventes utriusq; lateris musculi, sunt sedecim, octo nimirum paribus cõplexi. Primum par, à quintæ thoracis vertebræ corporis lateribus incipit, & sursum obliquè ad primam usq; cervicis vertebram conscendens, pertingit gulæ subiectum. Hinc est, quòd veteres, hos duos musculos, sub stomacho, guláve latitantes nominasse videantur. Secundum par, à primâ thoracis costâ, carnosum amplumque pronascitur, sensimq; arctatum internæ transversorum omnium cervicis vertebrarum processuum, sedi, implantatur. Tertium, ex transversis sex superiorum thoracis vertebrarum processibus

Interiores. *Septũ transversum.* *Διάφραγμα.* *Præcordia.* *Dorsum movẽtes musculi sedecim.* 1. *Musculi sub stomacho latitantes.* 2. 3.

exoritur, & pertinaciter admodũ externæ ſedi transverſorum, cervicis vertebrarum, proceſſuum, inſeritur. Quartum, à ſeptimæ thoracis vertebræ ſpinæ ra-
4 dice, & omnium ſuccedentium vertebrarum ſpinarum radicibus, oritur, & in totam inferiorem ſpinæ ſecũdæ cervicis vertebræ ſedem, validiſſimè implantatur. Quintum, ab ilium oſſis cavitatis poſteriori
5 ſuperiorique ſede pronaſcitur, atque in transverſos lumborum vertebrarum proceſſus, & infimam thoracis coſtam inſeritur, figuraq; triangulum eſt. Sex-
6 tum, ex longioribus totius corporis eſt muſculis, ab infima ſacri oſſis ſede incipiens, & deinde ex ſpinis quinq; vertebrarum lumborum, nerveo validoque admodum principio, enaſcitur. Hinc ſurſum conſcendens, carnoſius paulatim ad externum ipſius latus efficitur, tandemque longè arctiſſimũ redditum, transverſis omnibus thoracis proceſſibus, innixum, ſingulis ex interna ſua ſede, tendinem inſtar anſulæ cujusdam inſertum diſpergit. Septimum, ſub ſexto
7 occultatum, à poſteriori ſacri oſſis ſede, acutũ principium ducens, ac ſurſum aſcendens modicè latius redditum, ad undecimæ thoracis vertebræ ſpinam, in
8 acutũ finitur angulum. Octavum, ab undecima thoracis vertebra ad primam usque ipſius protenditur, totam ſpinæ amplitudinem, quæ ab ipſarum radice, ad apicem usque conſiſtit, amplexans, illis ita committitur, ut ſeptimum par, illis, quibus adnaſcitur, ſpinis. Scapulam moventes muſculi, utrinque quatuor exiſtunt. Primus, ex ſecunda, tertia, quarta, quinta, & interdum ſexta, ſuperioribus thoracis coſtis, paulò antequàm in cartilagines finiant, enaſcitur, & tãdem

Scapulam moventes muſculi octo.

1 in latum nerveumq; tendinem ceſſans, trianguli modo, in internum ſcapulæ proceſſum, anchoræ imaginem referentem, inſeritur. Secundus, raram præter
2 cæteros corporis muſculos figuram ſortitur. Ab occipitio, transverſa linea, quæ ab ejus oſſis medio, verſus auris porrigitur radicem, pronatus, in ſcapulę ſpinam, ſummumque humerũ, & claviculæ portionem, ejus

ejus nimirū partem latiorem, inseritur. Tertius, validus, à transversis superiorum, quinque cervicis vertebrarum, processibus, exortus, lata, sed carnea insertione in internam superioris anguli scapulæ basis sedem, inseritur. Quartus, amplus & tenuis, sed omni ex parte carneus, à quintæ, sextæ & septimæ cervicis vertebrarum, ac trium primarum thoracis vertebrarum spinis principium ducens, toti propemodū scapulæ basi, carneus implantatur. Abdominis, quod Græcis ἐπιγάστριον dicitur, musculi, in universum sunt octo. Obliqui quatuor: in utroque enim latere bini, qui invicem incumbunt, & contrarias, seque mutuò decussatim, id est, ad similitudinem χ Græcæ literæ intersecantes fibras obtinent: Superiores enim fibre, deorsum versus priora obliquè procedunt, quos hujus fibrarum ductus causa Descendentes vulgò nominant. Inferiorum verò fibræ, sursum obliquè, ad anteriora tendunt, qui ob id Ascendentes vocantur. Rectorum ab utroq; latere unicus est, qui, cùm fibras secundum corporis lōgitudinem extensas habeant, rectus appellantur. Transversus similiter utrinq; unus est, cui id nomen, quod ejus fibræ secūdum corporis latitudinem, aut à dextris ad sinistra ferantur, inditum est. Penem quatuor movent musculi, quorum duo carnei quidem, ab anteriori sede musculi, rectum intestinū orbiculatim amplectentes enascuntur, sibi invicem proximi, & internis lateribus mutuò committuntur, rectaq; sursum, in priora sub illis corporibus ad superiora reflexum ascendentes, urinarii meatus lateribus inseruntur. Alii duo, utrinque habentur, singuli ab appendice ossis coxendicis, paulò inferiùs quàm penis corpora principium ducentes, carneum & gracile, & utrinque obliquè sursum procedentem efficit musculum, qui carnosus permanēs sui lateris corpori, non procul ab exortu implantatur. Cæterùm ad unumquemque testem singuli graciles admodum musculi pertingūnt, ex ea vasorum seminalium, & testis tunica, quæ à peritonæo principium

Margin notes: 3 (Tertius) · 4 (Quartus) · *Abdominis musculi octo.* · *Obliqui.* · *Descendētes.* · *Ascendētes.* · *Recti.* · *Transversi.* · *Penis musculi quatuor.* · 1. 2. · 3. 4. · *Virilium testium musculi duo.*

ducit, efformati. Hæc enim in posteriori ipsius sede, in ipso, à peritonæo exortu, longis aliquot, rectísve, ab invicem sibi proximis carneisque fibris adaucta, formam & naturam gracilium & oblongorum musculorum exprimentibus, qui tandem juxtà infimam semen deferentis vasis sedem, inseruntur, Græcisque κρεμαστῆρες dicuntur: quòd scilicet horum ope testes viriles, obscurè ac modicè sursum vellantur, ne plus æquo laxati, & ad anteriora pendētes, nimio oneri, seminariis vasis sint. Pari modo membranæ uterum firmantes, utrinque carneis augentur fibris, ex ilium regionibus, deorsum obliquè ad uteri latera perreptantibus, hacque ratione uterus utrobique unum possidet musculum, illi specie similem, quo viri testes donantur. Vesicæ virilis cervici, unus orbiculatim adnascitur musculus, qui oblongi annuli, aut oblongi rotundiq; meatus effigiem exprimit; & juxtà glandosum corpus, superiùs crassior, quàm inferiùs est. In mulieribus verò, quarum vesicæ cervici, ejusmodi corpus glandosum non adnascitur, musculus totum meatum ambit, quæ à vesicæ corpore, in superiorem sedem cervicis uteri, non procul à pudendo subingreditur. Recti intestini extremum finémve, circulatim unus ambit musculus, immaturæ, involuntariæque excrementorum egestioni præfectus. Siquidem ejus intestini orificium stringit, ideoq; Græcis σφίγκτηρ, quasi constrictor nominatus est. Duo alii musculi à ligamentis ex pubis ossibus, & coxendicis osse, & sacro exortis, ipsaque demum peritonæi infima sede enascuntur: qui deorsum protensi: rectum intestinum amplexantur, extimæ tertiæve ipsius tunicæ inserti, post egestionem protusum recti intestini finem, validè sursum retrahunt.

κρεμαστῆρες.

Musculi muliebris uteri.

Vesicæ virilis musculus.

Muliebris vesicæ musculus.

Recti intestini musculi tres.

σφίγκτηρ.

2. 3.

DE

DE MVSCVLIS MANVM MOventibus, Cap. IX.

Brachium movetes musculi septem.

BRachium moventes musculi, utrinque septem sunt. Primus, à media claviculæ sedè, pectoris ossi proxima, & pectoris ossis latitudine, ipsisque insertis cartilaginibus enascitur, sensimque quodammodo in angulum arctatus, in acutum tantisper procedit, donec amplo & nerveo; admodumque robusto, sed brevi tendine, humero secũdùm ipsius longitudinem inseratur. Secundus brachii musculus, ex media claviculæ parte, secundum ipsius longitudinem, quæ scapulam spectat, & summo humero, ubi is claviculæ committitur, totaq; scapulæ spina, principium nerveum sumit, qui vix exortus ilicò carnosus efficitur: itaque permanens sensim in angustum, tanquam in trianguli verticem, tantisper porrigitur, donec humero tendine amplo robustoq; ad humeri ossis latitudinem, non modicè sub ipsius cervice implantatur. Vniversus hic musculus trianguli imaginem præ se fert, adeoque figuræ Δ non absimilis est, unde Græcis δελτοειδὴς est nominatus. Tertius carneo principio, ex humiliore scapulæ costa prodit, modiceque sursum in priora tensus humerum accedens, in validum brevemq;, sed latum, tendinem cessat. Quartus, magnus latusq; est musculus, qui à spinarum apicibus, quæ à sexta thoracis vertebræ spina, ad sacri ossis usq; medium habentur, principium sumit: dein universus auctus, in angustũ tantisper procedit, donec tendine lato, valido, sed brevi, humero implantetur. Hic itidem musculus triangularis est, sed planè inæqualibus costis conformatur. Quintus, universum sinum, qui inter superiorem scapulæ costam, & ipsius spinam est, occupat. Procedit enim à scapulæ basi, & omnino carnosus totam scapulæ cavitatem adimplet, tandemq; in amplum validumq; cessans tẽdinem, articulũ humeri, ad scapulã superat,

(Margin: 1, 2, δελτοειδὴς. 3, 4, 5)

ejusque articuli ligamento pertinacissimè connectitur.
6 Sextus concavam internamque scapulæ sedem opplet, ex basi totius scapulæ ortus, & in trianguli verticem tantisper arctatur, dum amplo tendine, interiori articuli regioni, implantetur.
7 Septimus, universum scapulæ sinum illum, qui sub ipsius spina habetur, implet. Carnosus ex scapulæ basi exoritur: dein arctatus articuli ligamento amplo & brevi tendine inseritur.

Cubitum flectentes musculi duo.

Cubitum duo utrinq; flectũt musculi, quorũ unus & anterior, duobus validissimis, & mutuò distantibus principiis exoritur: uno quidem nerveo, & ad amussim tereti ab elatiori cervicis scapulæ
1 sede: altero à radice interioris processus scapulæ, qui anchoræ assimilatur, ex duobus autem illis principiis efformatus, paulò supra cubiti articulum nervosior excarnisque redditus, in robustum & crassum, & ad amussim teretem finit tendinem, qui articulo expansus, in interiorem radii partem modicè latescens, implantatur.
2 Secũdus sive posterior, à brachii ossis exteriore latere, carneo latoque principio, quod bicorne est, enascitur, sensimq; in priora humeri tendens, tandem anteriori ulnæ & radii sedi ampla implantatione inseritur. Hic quidem musculus, sede sua, qua cubiti articulum transcendit, montis speciem appositissimè repræsentat.

Cubitum extendẽtes tres.

Extendunt autem cubitum tres musculi: quorũ quidem primus, valido, lato, ac nerveo principio, ex humiliori scapulæ costa, non pro-
1 cul ab ejusdem cervice exoritur. Altera à brachii os-
2 sis cervicis posteriori sede, enascitur. Hi certè musculi in descensu invicem connascuntur, & confunduntur adeò, ut integrum tibi sit universum musculum,
3 aut unum dicere aut duos statuere. Tertius à media ferè longitudine brachii, exortus, duobus jam dictis ita cõmiscetur, ac coit, ut nullo prorsus pacto, in hominibus discerni queant, simul autem cum illis, tandem validissimè in extremum latus posterioris ulnæ processus, partim carneus, partim nerveus inseritur.

Musculus unus, nervosa sua exilitate mediæ volæ, & internæ digitorũ cuti subnatus.

In interna cubiti sede gracilis delitescit musculus, qui ab in-

ab interno ossis brachii tuberculo pronatus, in latum degenerat tendinem, internæ summæ manus cuti, magna ex parte, ad extremam usque digitorũ aciem, subnatus. Hujus beneficio ea cutis minus versatilis, & circumactu pertinax, ad tangendum verò aptior redditur. Radius in pronũ, duobus ducitur muscu- *Radium mo-*
lis. Vno quidem inferiore, qui ex tota amplitudine *vẽtes muscu-*
interioris ulnæ sedis, enascitur, qua parte brachiali *li quatuor.*
proxima est. Hinc carneus ad interiorem radii re- 1
gionem transversim procedens, ipsi adhuc carneus inseritur. Hic ad amussim quadratus est. Altero 2
superiore, qui ex interiori ulnæ latere, qua humero articulatur, carnoso validoque principio oritur. Hinc admodum obliquè, internam radii sedem conscendens, carnea insertione, ante medium ipsius longitudinis implantatur. In supinum verò, 3
radius aliis duobus musculis movetur. Vno quidem longè, ab externa humeri regione, longè suprà exterius ejus tuberculum pronato, hinc deorsum expanso, radioq; instrato, & ad ejusdem finẽ, cui brachiale articulatur, procedente, lato tendine, radii appendicis, superiori regioni inserto. Altero ab exteriore cu- 4
biti articuli regione, ad mediam radii longitudinem obliquè exporrecto, ibidemque inserto. Brachiale *Brachiale a-*
quatuor præcipuis, utrinq; agitur musculis, quorum *gẽtes muscul*
primus, ab interno humeri tuberculo, ex carnea ner- *quatuor u-*
veaque substantia mistum principium assumit, tan- *trinque.*
demq; in validum & quodammodo teretem tendinem cessans, inferiori quarti brachialis ossis sedi implantatur. Secundus itidem, ex interiori humeri tu- 2
berculo enascitur, radio exporrectus, in postbrachialis ossis, quod indici præponitur, radicem implantatur. Tertius ab exterioris tuberculi humeri ra- 3
dice pronatus, ac ulnæ exporrectus, in postbrachialis os, minimum digitũ sustinens, insertionem molitur. Quartus longè suprà exterius humeri tuberculum o- 4
ritur, & bifido tendine in postbrachiale, amplis insertionibus implantatur. Vna quidem pars in radi-

cem ossis indicē sustinentis: altera in radicē, cui medius innititur digitus, inseritur. Digitos manus moventes musculi sunt viginti octo: Primus ab interiori humeri tuberculo, principium sumit, tandemq; ante brachialis radicem, in quatuor exactos tendines discinditur, qui secundis quatuor digitorum internodiis inseruntur. Secundus ab eadem sede, cum primo, sed magis declivis originem ducit, primoq; substernitur ac in quatuor tendines dirimitur, qui primi musculi tendinibus subjecti, ante secundi digitorum internodii radicem, eos tendines findunt, ac perforant, tandemq; in quatuor digitorum tertia ossa, insertionem moliuntur. Tertius ex ulnæ sede, qua hæc, radii capitulum, in proprium sinum amplectitur, ac ubi radius, ab ulna primùm dehiscit, enatus, tandem tertio pollicis ossi articulóve inseritur. Tertium musculum in serie, alii tredecim numero subsequuntur, in extrema manu repositi. Horum octo, qui quatuor digitis serviunt, rectà secundum postbrachialis longitudinem, digitos adeunt, ac lateribus, interiori in sede, primorum ossium inseruntur. Duodecimus ex superiori transversi brachialis ligamēti sede, carneus enatus, primi pollicis ossi inseritur, perquàm obscurè secundum pollicis internodium contingens. Decimustertius, ex transverso quoque ligamento, & osse brachialis pollicem fulciente pronatus, in primi, pollicis ossis radicem, implantatur. Decimusquartus, ex postbrachialis osse, cui medius innititur, principium ducit, & membraneo tendine, secundi pollicis lateri, quod indicem spectat, se se inserit. Decimusquintus, ex media sede postbrachialis ossis, quod medio præponitur digito, originē ducit, & in medio interioris partis, secundi pollicis internodii, insertionē tentat. Decimussextus, ex postbrachialis ossis, quo annularis digitus sustinetur, radice principium sumit, & lateri interiori, secundi pollicis internodii, versus priora implantatur. Decimusseptimus, ab elatiori sede externi humeri tuberculi, enascitur, & in tres, utplurimùm, aut quatuor tendines degenerans,

Digitos manus movētes viginti octo. 1, 2, 3

Tredecim post tertium ordines. 4.5.6.7.8. 9.10.11. 12, 13, 14, 15, 16, 17

tandem indici, medio, ac annulari digito præcipuè implantatur. Decimusoctavus gracilis longusq; est, 18
ab exteriori humeri tuberculo ortus, in duos dividitur tendines: quorum unus ad parvum, alter ad annularem digitum contendit, ac illorum primo ossi inseruntur. Decimusnonus, duobus jam dictis sub- 19
stratus, ab ulnæ osse, ultrà medium ipsius longitudinis enascitur, non procul à brachialis sede, & in duos invicem cohærentes tendines diductus, unum, nempe superiorem exteriori indicis, alterum, tendinem, medii lateri inserit. Vigesimus, brevis, sed validus, à 20
quarto brachialis osse pronascitur, & externo postbrachialis ossis parvum sustinentis digitum, lateri exporrectus, primo ejus digiti ossi implantatur. Vige- 21
simusprimus ab ulnæ exteriori sede, & juxtà medium longitudinis cubiti enascitur, versus radium obliquè repit, & in tendinem finitur, qui externo lateri exterioris pollicis regionis indicem spectatis, usq; ad tertium articulū inseritur. Vigesimussecundus, ab ulnâ 22
paulò superius, quam jam dictus procedit & obliquè super radium conscendens, illi insternitur musculo, qui bicorni tendine, brachiali inseritur: ubi in duas portiones scissus, una, eaque superiore, in tendinem quodammodo teretem cessat, exterioriq; brachialis ossis pollicem sustinentis sedi, implantatur. Altera verò portio in duas dirimitur partes, quæ singulæ in tendinem finiunt: quorum unus in primi pollicis internodii radicem inseritur: alter verò in secundum & tertium pollicis os, implantatur. Vigesimustertius, 23
ex anteriori sede, ossis brachialis, cui pollex innititur, principiū ducit, ac deorsum protensus, primo pollicis ossi, mēbraneo tendine inseritur. Vigesimusquar- 24
tus ex interiore latere ossis postbrachialis, indicem suffulcientis, enatus, toti externo lateri primi pollicis ossis inseritur. Superfunt adhuc quatuor musculi te- 25. 26 27.
retes, & graciles, singulis quatuor, secundi digitos 28.
moventium musculi, tendinibus. qui quatuor digitorum tertium os flectunt, exporrecti. Enascuntur

autem ex membraneo involucro, tendines illos induente. Hinc simul singuli cum singulis tendinibus, ad digitos procedentes, in digitorum radicem, primum nimirum os; inseruntur, ad internum eorundem latus, versum interiora insertionem membraneam, moliuntur.

DE MVSCVLIS CRVS MOventibus. Cap. X.

Femoris musculi decem.

1 FEmur, decem propriis agitur musculis. Primus, ab ilium ossis extima sede, & coccygis ossis posteriore regione, velut ex semicirculo, enascitur: tandem in latum validumque finiens tendinem, posteriori magni femoris processus sedi, & ejus quoque radici, ampla insertione innascitur. Se-
2 cundus sub primo, magna, ex parte reconditus, ab anteriori superiorique; ilium ossis spinæ regione, pronascitur, & membraneo, sed valido tendine, elatiori
3 magni femoris processus sedi, implantatur. Tertius cruris musculus, secundo longè minor, ac sub ipso prorsus occultatus, ab ilium osse, juxta posteriorem coxendicis acetabuli sedē, lato & semicirculari principio, enascitur, ac lato robustoque tendine maiori femoris processui, inseritur. Quartus, à lateribus,
4 trium inferiorum sacri ossis vertebrarum, quibus ilium ossa non coarctātur, principium sumit, & tereti admodum, gracilique tendine, posteriori majoris femoris processus sedi, implantatur. Quintus o-
5 mnium corporis musculorū maximus, pluribus partibus à coxendicis ossis appendice, oritur, qui in mitram ventris amplitudinem dilatatus, deorsum rectà per femoris posteriora fertur, donec denuò gracilescens, teretem tendinem, in internum femoris caput
6 inserat. Sextus ex undecimæ & duodecimæ thoracis, & primæ, secundæ, & tertiæ lumborum vertebrarum lateribus, principium ducit, tandemque in validum

dum & teretem tendinem cessans, interiori, seu minori femoris processui implantatur. Septimus ex tota interioris ossis ilium regione (tanquam ex semicirculo) carneus enascitur, & in teretem cessans tendinem, minori femoris processui, prædicto nūc tendini proximus, inseritur. Octavus, à pubis osse ortus, brevi, sed amplo tēdine sub minori femoris processu, inseritur. Nonus totum pubis exterius foramen, contegit, amploque tendine in magni femoris processus sinum, insertionem molitur. Decimus posteriorem interiorémve foraminis jam dicti sedem occupat, ac veluti aliis musculis huic pronascentibus auctus, maiori femoris processui, implantatur. Tibiam movent musculi novem. Primus ab interiori ossis ilium spinæ sede, aut ab ilium ossis appendicis anteriori extremo, enascitur, & in anteriorem tibiæ sedem & amussim tereti tendine inseritur. Secūdus, à pubis ossis pronascitur commissura, deorsúmque per femoris interiora descendens, sensim gracilior evadit, in exactumque ac teretem finiens tendinem, eadem sede cum primo inseritur. Tertius ab elatiori & posteriori ossis coxendicis appendicis sede, nerveus, gracilisque enascitur, tandemq; in teretem degenerans tendinem, eadem regione, qua prædicti, insertionem molitur. Quartus, ex eadem sede, coxendicis ossis pronascitur, & portionem sui, à femoris osse in descensu, assumens, tibiæ, cum fibula articulo, sed potissimùm fibulæ, inseritur. Quintus, à coxendicis ossis appendice, sub tertii & quarti musculi capitibus, principium ducit, inq; teretem cessans tendinem, in anteriorem tibię sedem, cum tribus primis, verùm minus declivis, implantatur. Sextus, ab ilium ossis spina enascitur, membranęque modo, musculis, os femoris amplexantibus, obducitur, tandemque in anteriorem tibiæ sedem, & externum illius latus inseritur. Septimus, ab externo femoris ossis latere, pronascitur, totam radicem magni femoris processus in orbem amplexus, ac paulò suprà patellam in am-

(Margin: 7 — Septimus; 8 — Octavus; 9 — Nonus; 10 — Decimus; *Tibiam moventes musculi novem.*; 1 — Primus; 2 — Secūdus; 3 — Tertius; 4 — Quartus; 5 — Quintus; 6 — Sextus; 7 — Septimus)

plum tendinem desinens, qui octavi & noni tendinibus cōmistus, simul cum illis patellam munit, & movet. Octavus, à femoris ossis cervice exoritur, nerveus, à femoris quoq; magni processus radice, ipsius
8 portio enascitur, tandemque in latum validumq; ces-
9 sans tendinem, totam patellam amplectitur. Nonus, ex ilium ossis tuberculo suprà ipsius cum femore articulum, originem sumit, & septimo, atque octavo musculo instratus, ad interiorem genu regionem fertur, ac in tendinem degenerans, cum tendinibus septimi, & octavi musculi permistus, validissimè in anteriorem tibiæ sedem, implantatur. Qui in poplite latitat musculus, ab externi genu articuli ligamēti, posteriore sede pronascitur, & obliquè deorsum versus interiora descendens, in tibiæ os, ampla & prolixa insertione, implantatur. Pedem moventes musculi, novem sunt. Primus ab interno femoris capite, juxta genu articulū, unico enascitur principio. Secundus,

Musculus in poplite occultatus.

Pedem moventes musculi novem.

1 ab externo capite, principium ducit. Utrique muscu-
2 li suo ventre, posteriorē suræ molem, illic prominentes, efformant. Tendo autem ab utrisq; enatus, cum quarti pedem moventis tendine desinit, & inseritur
3 congrediens, in posteriorem calcis sedem. Tertius insigniter gracilis est, ab externo quoque femoris capite enatus, & in poplitis regione, in tenuissimū tendinem desinens, calcis ossis interno lateri implanta-
4 tur. Quartus pedem moventium, suramque constituentium, ac tibiam complexantium maximus est, à posteriori sede, fibulæ cum tibia coarticulatione nascitur, & paulò suprà calcis regionem, in validissimum tendinem desinens, cui duorum primorū tendo, unitur, & simul cum ipso posterioris calcis sedi
5 inseritur. Quintus à tibiæ osse, ac fibula, qua hæc ossa, invicem dehiscere incipiunt, exoritur, & juxtà interioris malleoli posteriora, tendinem educit in tarsi os, quod cubum tesseramq; imitanti ossi, proximum
6 est, implantatū. Sextus, in anteriori tibię sede positus, ab anteriori sede coarticulationis fibulæ, cum tibia

enasci-

enaſcitur, tendinemq; in radice oſſis, pedii pollicem ſuſtinentis, inſerit. Septimus, à fibula principium du- 7
cens, externum tibiæ latus occupat, ac tendinem ſub pedis inferiora reflexum, pedii oſſis pollicem ſuſtinentis radici inſerit: Octauus, ſub ſeptimo, excepta 8
tendine ipſius anteriori ſede, prorſus occultatur, atq; ex fibulæ ſuperiori appendice enatus, in teretem ceſſat tendinem, qui radici oſſis pedii, parvum digitum ſuſtinentis implantatur. Nonus portio eſt eius, qui 9
in anteriori tibię ſede locatus, quatuor pedis digitos, movet, ac extendit, iuxtà medium tibiæ longitudinis, externo ipſius latere pronaſcitur, & ad medium ferè longitudinis, oſſis pedii, ante parvum digitum poſiti inſeritur. Pedis digitos moventes muſculi ſunt ut plurimùm decem & octo. Primus, tòtam infernam pedis ſedem, ſeu plantam occupat, & infima ſua parte membranam impensè craſſam, & lato, in manu, tendini non abſimilem pertinaciter obnatam poſſi- 1
det, atque à calcis oſſis inferna ſede enatus, ſecundis quatuor digitorũ internodiis, ſingulos tendines affert. Secundus poſteriorem tibiæ ſedem perreptat, 2
ab eoq; oſſe pronatus, tendinem in plantam mittit, à quo, exigua portio, tendinibus commiſcetur indicis, & medii tertium internodium flectentibus: reliquus autẽ totus, in ſecundum pollicis os, inſeritur. Tertius 3
itidem in tibiæ poſteriori ſede locatus, à fibulæ ad tibiam nexu pronaſcitur, & quum ad calcem ferè deſcendit, atque adhuc latus conſpicitur, ab interno ipſius latere, teretem promit tendinem: qui modicè dilatatus, in alios quatuor tendines dividitur, ſinguli, ad unum quatuor digitorum excurrentes, illisque, manus tendinibus, qui tertium quatuor digitorum internodium flectunt, reſpondentes. Decem mu- 4.5.6.7.8.9.
ſculi iam dictis ſuccedunt, qui inſigniter mutuò im- 10.11.12.
plexi ſunt, ac pedii oſſibus adnati, ſecundumq; eius 13.
longitudinem ducti, & illius quoque intervalla opplentes, vtrinque ad primi internodii latus, verſus interiora, inſertionem moliuntur. Decimuſquartus, 14

Pedis digitos moventes muſculi octodecim.

cuius partem nonum pedem moventium eſſe diximus, à tibiæ anteriori ſede pronatus, & ſub ſexto pedem moventiũ muſculo occultatus, à tibiæ oſſe, qua fibulæ ſub genu articulo connectitur, nerveum ſumit principium, ac tandem in quatuor tendines diri-
15 mitur, qui quatuor digitis inſeruntur. Decimusquintus, in anteriori tibiæ ſede collocatus, ab externo tibiæ oſſis latere, ubi à fibula primùm dehiſcit, carnoſo principio exoritur: dein in tendinem finiens, & per pedis ſuperiora prorepens, toti pollicis longitu-
16 dini inſeritur. Decimusſextus, in ſuperiori pedis ſede reponitur, & huic regioni, per longitudinem obducitur. Carnea eſt moles in quatuor diremta tendines, quorum unus pollicis ſuperioris ſedis externo lateri, ſecundus indicis, tertius medii digiti, quartus annu-
17 laris inſeritur. Decimusſeptimus, in externo latere pedis reponitur, ab externo calcis oſſis latere, nerveo
18 principio ortus, & externo lateri, primi oſſis parvi digiti implantatur. Decimusoctavus, interno lateri, ſecundùm totam ipſius longitudinem protenditur, & tandem in teretem degenerans tendinem, externo la-
19.20.21. teri, prioris pollicis articuli inſeritur. Cæterùm in
22. planta pedis carnea conſiſtit moles, in quatuor graciles diſſecta portiones, tendinibus adhærentes, quorum miniſterio & opera tertia, quatuor digitorum, oſſa, flectuntur. Quod ſi itaq; hanc molem vnius loco muſculi numeraveris, decem & novẽ tantùm erũt omnes pedis digitorum, in homine muſculi. Sin quatuor muſculorum loco, hanc habueris, duo & viginti erunt. Et in muſculis recẽſendis Veſalii ſententiam hactenus ſequutus ſum lubens, quũ ad Galeni mentem ille quàm accedat proximè.

DE

DE LIGAMENTIS. Cap. XI.

OMnibus articulis, orbiculatim ligamentum, ab uno osse, in aliud, aut in cartilaginem, vel à cartilagine in os, aut cartilaginem privatim insertum, obducitur. Quibusdã etiam, at paucis, articulis ligamenta accesserunt peculiaria. In capitis enim articulo, teres quoddam, à dente secundæ cervicis vertebræ, in occipitis os ducitur, & secundùm dentis posteriorem sedem in prima vertebra, unum transversim fertur. Vertebrarum corpora ligamentis admodum cartilagineis, quæ Galeno νευροχονδρώδη συνδεσμα vocantur, committuntur. Ascendẽtes verò & descendentes earundẽ processus, validis etiam, sed tantùm ambientibus ligamẽtis colligãtur. Deinde in spinarum intervallis membraneũ consistit ligamentum, sicut in cubito, & tibia, ubi ossa invicem dehiscunt. Prætereà in pubis ossium foraminibus, huius generis occurrit ligamentum, seu potius membrana. In humeri articulo, ligamẽta tria peculiaria visuntur, quorũ primũ teres est, & ab interno scapulæ processu, enatũ, in extremũ humeri caput fertur. Alia duo, ab elatiori cervicis scapulæ sede, pronata, in idem caput pertinent, & unumquodque hic ab interno scapulæ processu, in summum humerum ducitur. In brachialis ossium inter se, & cum postbrachialis ossibus connexu, ut & in pede, passim cartilaginea ligamenta, interveniunt. A sacro osse, duo teretia, in coxendicis os pertinent. Ex femoris superiori capite, teres ligamentum in coxendicis acetabulum inseritur. In genu articuli medio, cartilagineum consistit ligamentum: & deinde in posteriore eius sede, & utrinq; ad latera unum. Ex ligamentorum autem transversim tendinibus obductorum, tendinesq; ne sua sede declinent continentiũ numero, in interna brachialis sede unum continuum habetur. Iuxtà brachialis ra-

Ligamentorũ utilitas & finis.

νευροχονδρώδη συνδεσμα.

dicem, in externa radii & ulnæ ſede ſex occurrunt. In anteriori tibiæ ſede, iuxtà talum unum obſervatur. Tria inter calcem internumq; malleolum: unum inter calcem & externum malleolum. Inſuper in interna inferiorive pedis digitorũ ſede, huius etiam generis ligamenta videntur.

DE PARTIBVS NVTRITIONI famulantibus. Cap. XII.

Peritonæum.

Commune, omnium inſtrumentorũ nutritioni ſervientium, involucrum & munimen Græcis & Latinis ab iiſdem mutuato nomine peritonæum dicitur. Sic autem nominatum eſt, quòd iam dictis partibus omnibus circumtendatur. Neque certè ſimpliciter *περιτόναιον*, *περιτόναιος*, & *περιτόνιον* tantùm appellatur, ſed à nonnullis tota hęc appellatio inditur *περιτόναιος ὑμὴν*. A quibuſdam autem *περτόναιος χιτών*. Sunt quibus etiam *περιτόναιον σκέπασμα* nominetur. Arabibus Ziphac & Zimphac nũcupatur. Eſt verò peritonęũ mẽbrana tenuis, latis araneorum telis ſimillima, nullis fibris intertexta, oblongum, ovi inſtar, utrem referẽs, nutritionisq; organa cuncta, (ut attigi modò) ventriculum nimirũ, inteſtina, omentum, meſenterium, iecur, lienem, renem, utramq; veſicam, uterum, & vaſa demum quæcunque inter ſeptum transverſum, & crura ſunt, amplectens.

Omentum.

Omentum Græcis *ἐπίπλοον*, & *ἐπίπλουν*, quòd ſcil: ventriculo, & inteſtinis incumbat, & quaſi innatet, dictum, membrana eſt, nullis fibris implicita, ſimplexq;, ſed multis venis, arteriis & nervis, abundans adipe referta marſupiiq;, aut ſacculi, aut peræ imaginem referens. Ab errabundo autem venarum & arteriarum ductu, quę funiculi ritu ipſo in omento implicantur, Græcis alio nomine *γαγγαμὼν* & *σαγήνη*, vulgò rete & reticulum, Mauritanis & noſtræ ætatis, qui illorum placita ſectãtur, mèdicis Zirbus vocatur.

σαγήνη. *Reticulum.*

Inferior omẽti membrana, poſteriori ventriculi ſedi ſubſtrata, privatim glandoſum quoddam corpus, im-

pensè magnum obtinet: quod in canibus rubet, simplicisq; carnis speciem quodammodo refert, Græcis καλλίκρεας, quòd scilicet esui sit iucundum: & πάγκρεας, quasi totum carneum, quòd ex carne glandulosa contextum sit, appellatur: in homine autem hoc corpus album magis, quàm rubrum cernitur. Via, quę cibum in ore effractum masticatumq;, ac potum ad ventriculum defert, Græcis proprio nomine οἰσοφάγος, communi autem στόμαχος dicitur. Quippe Græci omnem angustum ductum, seu collem, isthmi (ad instar) alicui ampliori ventri cavitatíve prępositum, στόμαχον nominant. Latinis gula, Arabibus mela appellatur. Cicero & Celsus stomachi vocem, pro gula usurpant. Porrò ut stomachi, gulæve cavitas semper humecta, ac velut uncta esset, glandulas natura adiunxit: alias quidem ad fauces, stomacho & laryngi communes, quæ Græcis παρίσθμια, Latinis tonsillæ, ut suo fusiùs dicetur loco, vocantur: alias binas in medio propemodum stomachi ductu connexuit. Ventriculus, qui Græcis γαστὴρ & κοιλία dicitur, quidquid ab ore delatum est, concoquit, ac velut in lacteum succum insita facultate permutat, ut suo in loco pleniùs docebimus: & tandem per alterum ac inferius eius orificium, ex elatiore sede dextri ipsius lateris exortum, ad intestina transmittit: unde etiã Græcis πύλωρος, nobis autem ianitor nuncupatur, Barbaris portonarius. Duo enim sunt ventriculi orificia: unum, quod iam dictum est: alterum, quod in fine gulę ac elatiore ventriculi parte positũ, Gręcis καρδία, Latinis superius vẽtriculi os vocatur. Intestina, quæ Gręcis ἔντερα dicuntur, bifariam dividũtur: in gracilia nimirũ, & crassa. Gracilia tria sunt numero. Primũ ab inferiori ventriculi orificio rectà quodammodo eousq; descẽdit, ubi intestina in anfractus, orbesq;, primùm convolvi incipiũt. Hoc intestinũ, quia duodenum digitorum longitudinẽ, in viro, ut plurimùm æquat, Herophilo potissimũ, & aliis Gręcis δωδεκαδάκτυλον, Latinis Duodenũ dictũ est. Sũt qui nõ

καλλίκρεας. πάγκρεας. οἰσοφάγος. στόμαχος. Gula. παρίσθμια. Ventriculus. πύλωρος. Ianitor. καρδία. Intestina. Duodenum.

inteſtinum, quod in nullos anfractus ducatur, ſed *ἔκφυσις.* ἔκφυσιν, id eſt, exortum, ſeu proceſſum potiùs inteſtinorum appellant. Huic inteſtino meatus, flavam bilem ad inteſtina deferens, & ex bilariâ veſiculâ recipiens implantatur. *Ieiunium.* Secundum illic incipit, ubi primum in anfractus, gyrósve convolvitur & νῆστις Græcis, ieiunium Latinis, quod inter diſſecādum reliquis inteſtinis inanius, & magis vacuum reperiatur, vocatur. *Tenue.* Tertium Græcis λεπτόν, Latinis tenue aut gracile nominatur. Hæc tria gracilia inteſtina, Plinio lib. 11. cap. 12. autore, in homine & ove, lactes nuncupantur. *Lactes.* Craſſa itidem tria à nonnullis numerantur. Primum eſt, in quod tenuiora terminantur, omnibus cæteris in homine brevius, atq; arctiſſima omnium inteſtinorum parte, multò anguſtius ſtrictiusque, & craſſiori lumbrico in orbes convoluto potiùs quàm inteſtino ſimile exiſtit, ut appēdicis veriùs quàm inteſtini loco haberi poſſit: & uno tantùm ore donatur: *Cæcum.* ideoque Græcis τυφλόν, Latinis cæcū: aliis barbaris nimirum medicis, monoculum appellatur. Alterum eſt, quod à dextro ilio, ſuper dextrum renem, ſub iecoris cavo, dein ſecundùm ventriculi fundum, ad lienem properat: & hinc rurſus ſuper ſiniſtrum renem, verſus pubem fertur, ac alium anfractum, ſuprà internam oſſis ilium ſedem faciens, ad ſacri uſque initium prorepit. *κῶλον.* Hoc Græcis κῶλον ἀπὸ τοῦ κολάζεσθαι, hoc eſt, à torquēdo, appellatur. Quippe immenſi in eo, ubi pituitâ aut craſſo ſpiritu obſtructum fuerit, dolores excitantur. *Rectum.* Tertium, quod ab oſſe ſacro ad anum uſque rectà deorſum fertur, Græcis ἀπευθυσμένον, & ἀρχόν, Latinis longaon, vel lōganon, rectū, anus & podex nominatur. *Meſenteriū.* Ad poſteriorem inteſtinorum ſedem, locatū eſt vinculū, dura membraneaq; ſubſtātia cōnſtās, cuius beneficio inteſtina ad dorsū colligātur, quod Græcis μεσεντέριον & μεσάραιον nominatur. *Meſenteriū unde dictum.* Meſenterium quidem à ſitu, quod in medio inteſtinorum ſitum ſit, adeoque illa,

veluti vinculum quoddam complectatur. Mesaræum verò, à propria substantia ac venis, quæ eius centrum subeunt plurimis. Siquidem venę quę ex iecoris porta parteq; cavâ veniunt, in eo coëunt, illisque iecur, veluti manibus, quæ ei cibum ex ventriculo afferunt, utitur: ideoq; mesarææ, mesenteriacæ, & vulgò mesaraicæ vocantur. Viscus, quod venarum omnium principium, ac sanguinis verissima officina est, in dextra hypochondriorum sede, locatum; Græcis ἧπαρ, Latinis iecur appellatur. Hoc canibus, ac præsertim porcis, in quinas, magna ex parte, nonnunquam in sex, aut quatuor diductum est magnas fibras quas λόβους Græci nuncupant. Hominibus verò in tot & tam magnos lobos non discinditur, sed unicum continuumq; præcipua ipsius substantia corpus est. In cavâ iecoris parte, vesica flavæ bilis conceptaculum, κύστιν χοληδόχον Græci nominant, sedem obtinet. Nõnulli bilis folliculum, vesicam fellis, & vesicam, bilis susceptricem vocant. Meatus, quo vesicula bilem allicit, rursusque aliò depellit, πόρος χοληδόχος Gręcis appellatur. Cervix enim vesiculæ, paulatim in angustum desinit meatum, qui in duos partitur processus: hunc quidem sursum, illum autem deorsum porrigens. Qui sursum fertur, iterum in duas digeritur propagines: quæ singulæ in ipso iecore rursus in alios surculos, & hi denuò in alios tantisper digeruntur, donec innumeram ramorum constituant seriem, per iecoris corpus inter portæ venæ ramos, & cavæ propagines diffusam. At processus, meatus vesiculæ, qui deorsum porrigitur, inferiori membrana omenti suffultus, parumper obliquè deorsum properat, ac duodeno intestino non procul à ieiuni principio implantatur. Hic expulsam è vesicula bilem, ad intestina defert. In cavo prætereà iecoris series venarũ grandẽ & impensè amplam constituunt venam, quæ Græcis στελεχιαῖα, Latinis caudex seu truncum referens, & nonnullis πύλη, id est, porta, nominatur: quòd per

Venæ mesenteriacæ.

Iecur.

Fibræ iecoris.

Vesica bilis.

Meatus excipiendæ & expellendæ bili paratus.

Meatus bilis duodeno insertus.

Vena porta.

Porta hepatis.

Venæ portæ extra iecur distributio.

hanc veluti portam aliquam, cremor in ventriculo & intestinis elaboratus, iecori invehatur. Hæc ad eũdem modum ut vena cava in multos venarũ surculos digeritur. Primùm enim duos exiguos ramulos vesiculæ flavam bilem recipienti distribuit. Dein ventriculo posteriori sedi, circa humilius eius orificium, ramum transmittit. Inde ventriculi fundi dextrę parti, insignis ramus offertur. A quo ramuli plures, in ventriculum, & superiorẽ omenti membranam, sparguntur. Pòst in duos grandes partitur truncos, quorum alterum, qui dexter & grandior, humiliorq; est, totum ferè per mesenterium variè digestũ intestinis sese offert, prius duodeno, & ieiuni initiò ramum exhibens. Sinister truncus, inferiori omenti membranæ intextus, vẽtriculi posteriori sedi parvam affert propaginem. Dein etiam omenti inferiori membranæ, mox glandulis, posteà secundùm posteriora ventriculi, ramus ab illo ascendit, ventriculi dorsi medium spectanti sedi surculos primùm exporrigens, & coronæ ritu superius ventriculi orificium amplectens, à quo præter propaginem, deorsum sursumque depromptas, unus secundùm posteriora ventriculi ad inferius eiusdem orificium prorepit. Ipse autem sinister portæ caudicis truncus sinistrorsum, semper tendens, insignem hîc quoque promit venam, omento, ac colo intestino implicitam. Ille verò, in varios sectus surculos, & sobolem adhuc humiliori omenti membranæ spargens, lienes cavo inseritur, ab ipsius propaginibus, antea quàm lienem subeant, ventriculi sinistro lateri ramulos afferens. Inter quos insignis occurrit, qui fundum ventriculi, in sinistrâ sede perreptans, ventriculo, & superiori membranæ omenti, soboles derivat. Postquam sinister portæ truncus cõmemoratas produxit propagines, ad lienem transversim accedens, in duos ramos secatur, qui rursus in alios minutiores partiuntur: atque ii tantisper in alios dirimuntur, quousque numerosa ramorum serie in cavam, simámve lienis sedem recta

Splenicus ramus.

linea,

linea secundùm totam lienis longitudinem, inferiori omenti membrana, perpetuò suffulti, implantentur, atque infinita sobole venulas perquàm graciles, invicemque implexas, per universum lienis corpus distribuant. Cæterùm, ut ex concava iecoris sede, exiguæ venularum propagines prodeuntes, venæ portæ caudicem constituunt: ita quoque ex gibbâ ipsius sede innumeræ venularum soboles exortæ, in unam coëunt venam, quæ ab insigni amplitudine Græcis κοίλη, Latinis cava nuncupatur. Hæc per posteriorem iecoris sedem deorsum prorepens, ilicò ramum, ex sinistro latere, in pinguem membraneamq; sinistri renis tunicam, promit. Dein cava vena, ab utroque latere amplissimam propaginem in renes distribuit, dextram quidem, dextro reni, sinistram autem, sinistro derivans.

Cava vena. *Venæ huius denominatio.* *Venæ cavæ infrà iecur consistentis distributio.*

Hæ venæ, serosam aqueámve, ex sanguine humiditatem trahunt, ac veluti emulgēt, ideò vulgò emulgentes nominātur. Ab humiliori sede eius venæ, quæ sinistrū renem petit, iuxtà ductus ipsius ferè mediū, vena in viris pronascitur, quæ in sinistrum testem excurrit, seminalisque sinistra vocatur. Vena autem dextrum testem accedens, non à vena, in dextrum renem protensa, originem sumit, sed à cavæ caudicē aliquantò demissiùs, quàm venæ renibus exporrectæ principium ducit. In mulieribus alia est harum venarum distributio, quemadmodum alibi in anatome nostrâ copiosè monstravimus. Portò ubi cava vena, vertebris lumborū innititur, geniculatim illis, propagines dat in musculos proximos, & ad abdominis usque latera, absumendas. Atque harum illæ sunt præcipuæ, quæ è cava inibi pronascuntur, qua suprà ossis sacri, ad lumborum vertebras, nexum, in duos æquales scinditur truncos: quorum sinister, perinde ac dexter, surculos quosdam ossis sacri foraminibus offert: & in duos dividitur ramos, quorū interior propaginem mittit in musculos absumendam, qui ossis ilium, & sacri posteriorem sedem occupant: & aliam

Emulgentes venæ. *Seminalis sinistra.* *Dextra.*

derivat in vesicam urinariam, & penem, & mulieribus in uterum multiplici sobole pertinentem. Quod reliquum eius rami est, ab externo ramo portiunculam assumens, per pubis ossis foramen, in femur ducitur, cuti & musculis, interna femoris occupantibus surculos exhibens, & ante genu articulum cessans, suoque termino, cum alterius crus petentis venæ ramo, ut mox dicemus, coiens. Exterior namq; ramus, sinistri cavæ trunci, per inguina femur aditurus, peritonæo propaginem offert, in inferiorem abdominis sedem, ad umbilicum usq; absumendā: in femur verò procidens pubis cuti, & pudendi muliebris sobolem subministrat. Verùm insignem venam per femoris, & tibiæ interiora, sub cute ad pedis usque digitorum summum diffundit, in progressu, sparsim cuti ramusculos depromentem. Aliam quoq; sub cute ad coxendicis articuli anteriora, derivat. Ipse autem penitùs inter musculos submersus, propaginem communicat musculis, & cuti in externa femoris sede locatis, & aliam offert musculis internam interioremque femoris sedem sibi vindicantibus. Atque cùm hac propagine extremum venæ eius coit, quæ per pubis ossis foramen descenderat. Hinc grandis vena, secundùm femoris posteriora retorquetur, propagines eius sedis musculis communicans, à quibus ramuli in cutem pertingunt, tùm sursùm tùm deorsum ad suram usque excurrentes. Inter inferiora verò femoris capita, grandis hæc vena in duos scissa truncos, minorem exterioremque versus fibulam derivat, à quo præter soboles anteriorē genu sedem petentes, ramus discinditur, sub cute externam tibiæ sedem, versus posteriora obtegente, ad digitorum pedis usque superiora diffectus. Quod verò reliquum altius inter musculos externæ fibulæ sedi implantatos occultatum est, ultrà tibiæ longitudinis medium properat. Interior autem truncus insigniter amplus, ramum dispensat secundùm internam tibiæ sedem, versus posteriora sub cute ad pedis usq; digitos dispersum.

persum. Deinde alium depromit, per suram nõnihil reconditum, ad calcem pertingentem. Quod verò huius trunci præcipuum est, musculos posteriorē tibiæ sedem occupantes subit, & ab anteriore ipsius regione, ramum, per ligamentum membraneū demittit, fibulam tibiæ alligās: atq; is sub anterioribus tibiā integentibus musculis absconditus, ad pedis usq; superiora pertingit. Ipsa verò vena secundùm posteriora descendens, & hinc inde cuti, & conterminis musculis ramulos afferens, tandem inter calcem & tibiam pedis inferiora subit, inibi in musculos, & digitos in eum modum distributa, ut duæ soboles, singulis afferantur. Porrò venæ cavæ pars, quæ supra iecur consistit, ita se habet. Sursum ascendens, ac septum transversum cum cordis involucro perforans, duas propagines septo largitur, per universam septi sedem multiplici serie excurrentes. Ad dextram cordis aurem, cava, ampliori orificio in dextrum cordis ventriculum dehiscit, quàm cavæ orbicularis amplitudo uspiam visitur: A posteriore eius implantationis sede, vena alia prodit, cordis basim, coronę modò cingens, quæ ob id Græcis στεφανιαῖα, Latinis coronaria dicitur: & ab inferiori ipsi⁹ sede, ramos deorsum, per cordis superficiem digerit. Cava à corde sursum conscendens, ac cordis involucrum prætergressa, venam promit, quam Gręci, eo quòd coniuge privatur, neq; in altero latere parē, adciscit à cava propaginē, ἄζυγον, Latini venam, absque coniuge, & paris expertem, nominant. Ab hac vena, utrinque geniculatim pullulāt propagines, singulæ ad unam novem costarum inferiorum intervallum, perreptantes. In iugulo autem tota bipartitò scinditur, ab ipsius anteriori sede, pectoris ossi, & interseptientibus thoracem membranis, venas offerens, abdominis superiora perreptantes. A radice verò, alterius trunci, factæ modo in iugulo bipartitionis, insignis derivatur vena, super primam costam, in axillam excurrens: sed priùs in thoracis cavitate ramum promens, in tria superiora

Venæ cavæ supra iecur consistentis distributio.

Coronalis vena.

Vena paris aut coniugis expers.

Cavæ caudicis in iugulo bipartitio.

sui lateris costarum intervalla, absumēdum, & alium, in posteriora thoracis, iuxta cervicis radicē sparsum: Præsens vena thoracem egressa, interdum hic humerariam, (cephalicam nostri nominant) venam, & ramum, musculis, anteriori thoracis sedi instratis: aliū posteriori sedi thoracis, & cavo scapulæ, & lateri thoracis, alium digerit, in axillam inde progrediens. Trunci autem in iugulo, factæ bipartitionis reliquū, in duos impares ramos discinditur. & horū interior, graciliorque internam iugularem constituit venam, duabus propaginibus, duram cerebri membranam adeuntibus, calvariam subit. Exterior verò, ab externo latere propaginem, ex qua humeralis vena constituitur, deducens, sursum conscendit, superficiariam efformans iugularem, variè ad fauces usq; excurrentem, & in linguam, laryngem, palatum, faciem, tempora, & verticem distributam, tribusq; venis, calvariam ingredientem. Humeraria verò, priusquam sub clavicula, & summo humero, in brachium fertur, ramum posteriori cervicis sedi, & alium scapulæ gibbo, & alium summi humeri superiori sedi exhibet, & secundum exterius latus cubitum flectentium anterioris musculi sub cute prorepens, surculosq; graciles cuti depromens, supra cubiti articulum dissecta, aliquando unum ramum penitiùs latētem, & mox absumptum, ad cubiti articulum defert: alium sub cute, obliquè ad cubiti flexus medium, cum axillaris venæ ramo coiturum, communemq; venam constituturū. Tertium sub cute, secundum radium, in posteriora cubiti, ac tandem ad brachialis tadicem, iuxta ulnæ extremum mittit, qui axillaris propagini inibi commistus, parvi & annularis digitorum exteriora conscendit. Axillaris in axilla latitans, & cuti, anteriorem brachii sedem, versus interiora investienti, ramum afferens, surculum præbet capitibus musculorum cubitum extendentiū. & alium, illorum mediæ propemodum longitudini: dein aliam propaginem, cum quarto brachium petente nervo, secundum brachii

Humeraria.

Iugularis interna.

Externa.

Humeralis distributio.

Axillaris series.

brachii posteriora, ad cubiti usque exteriora ablegat. Mox in duas secta venas, toto prorsus ductu venam in profundo submersam, ac arteria semper comitatam, per cubiti articuli flexus medium, deducit, quæ ante cubiti longitudinis medium, in duas secta propagines, unam secundum radium, alteram secundum ulnam, versus brachiale porrigit. Et hæc rursus in surculos dirempta, in internam digitorum sedem ita digeritur, ut singulis digitis duæ offerantur soboles, & surculus quidam inter pollicis primum internodiū, & postbrachialis os indicem sustinens, ad manus externam sedem pertingat. Altera verò vena sub cute semper extensa, & lata, iuxta cubiti articulū in duos dividitur ramos, quorum alter obliquè versus cubiti articuli flexum, contendens, cum humeralis ramo commiscetur, simulque cum illo cōmunem efformat venam, quam vulgus medicorum medianam, & nigram vocat, quæ duabus illis mediis venis cōstituta, obliquè deorsum repens, radiumque tandem conscendēs, in externa cubiti sede instar Y literæ, in duas discinditur soboles: quarum altera, medii digiti potissimùm externam sedem, petit: altera verò pollici & indici offertur, surculum in internam manus sedem spargens, ramulis suis montē Veneris implicantibus commiscendum. At alter axillaris, iuxta cubiti articulum, factæ divisionis, ramus, varias propagines in cubiti internam sedē deponit, quibus crebrò vena accedit, ab altero venam communem constituentium ramo, quem axillaris porrigebat, enata. Hæ propagines, admodum variè modò coëuntes, modò rursus invicem diremptæ, ac internam cubiti sedis cutem, implicantes, tandem in internam manus cutem prorepunt. Cæterùm insignior eius rami propago, ulnæ exporrecta, & in cubiti exteriora etiam surculos promens, iuxta brachialis radicem, humerariæ ramo commiscetur, ad parvum digitum & annularem contendenti, qui Arabib⁹ aliquot ac barbaris Syelen, & Salvatella nominatur. Pleniorem venarum histo-

Communis vena.
Mediana.
Nigra.
Salvatella.

riam reperies lib.3. anatomes nostræ. Ad sinistram ventriculi sedem, secũdum inferiora magis, ac posteriora viscus cõsistit, quod Græcis σπλὴν, Latinis Lien vocatur, ac lutosi & fæculenti sanguinis in iecore cõfecti, est receptaculum. Cæterùm sanguinem, in cavam venam, ex iecore missum, à serosâ & aqueâ humiditate purgant colantq; renes, Græcis νεφροί dicti, qui numero bini sunt, & iecori quàm fieri potuit, proximè coniuncti. Aquei excrementi receptaculũ, natura, vesicã, quæ Græcis κύστις & κύστη dicitur, creavit. Hoc utiq; excrementũ urinam vocant, & à duobus meatibus, qui Græcis οὐρητῆρες, Latinis urinarii nominantur, in vesicam defertur: & tantùm quidem de partibus nutritioni servientibus.

Lien. *Vesica.*

DE INSTRVMENTIS PROPAgandæ speciei famulantibus. Cap. XIII.

INter instrumenta generationi servientia in viro, primùm occurrunt testes, qui Græcis ὄρχεις vocantur, & quòd gemini sint, δίδυμοι. Quamquam interdum unus tantùm, nonnunquam etiam tres reperiantur testiculi. Testes autem pluribus involucris seu tunicis integuntur: ac aliis quidem, utriq; testi communibus, aliis autem, privatim, singulos testes involventibus. Duo enim, utrisque testibus communia sunt involucra: Cutis quidem unum effingit, quod reliqua corporis cute tenuius est, & veluti sutura quadam, rugisque interstinguitur, Græcisq; ὀσχέον, scrotum Latinis, & à nonnullis transpositione literarum scortum nominatur. Alterum verò commune involucrum, membrana carnosa efformat. Vtrumq; autem testem, privatim involventes tunicæ duæ sunt. Vna exterior, valida quidẽ, sed tenuis, venisq; abundans. Hæc Græcis ἐρυθροειδὴς privatim appellatur, quòd scilicet velaminis, seu ovi putaminis, vaginæúe formam

Testes. *Testium tunicæ.* *Communes.* *Scrotum.* *Privatæ.* *Exterior.* *ἐρυθροειδὴς.*

formam habeat. Atticorum enim more ρ pro λ ponitur, ut idem valeat quod ἐλυτροειδής. Quæ utiq; vox ἀπὸ τοῦ ἐλύτρου, quod velamen, receptaculum, & putamē significat, & εἶδος, quod speciem denotat, deducta est. Si quis tamen mavult apud Galenum legere ἐρυθροειδής, ad musculū, illi involucro adnatum, referat oportet: is enim cùm ruber sit, ut reliqua caro, illi involucro, aliquem ruborem conciliat. Altera intima testis tunica, dura, crassa, & valida admodum est, testis substātiam utrinq; mollem & sequacem involvens, Græcisq; veteribus δαρτός vocatur. Primi autem anatomes professores, qui testem δίδυμον nominaverunt, hanc quoque tunicam ἐπιδιδυμίδα, id est, supertestē (huic enim innititur, ac proximè incūbit) appellarunt. Et haud dubiè Galenus caput testis, nihil aliud præter elatiorem huius intimæ testis tunicę partem, nuncupavit.

Intima testis tunica. *δαρτός.* *ἐπιδιδυμίς.*

Ad singulos testes, singulę pertingunt venæ, & arteriæ ortū differentes, quæ medicis seminarię nominantur. Vena dextrum accedens testem, à cavæ venæ trunci anteriori sede, sub venarum in renes exporrectarum exortu, pronascitur. Sinistri verò testis vena, ab humiliori sede venæ cavæ sinistrum renem adeuntis principium ducit. Vtræq; autem arteriæ, humilius quàm dextrum testem petentis venæ principium consistit è directo & sibi proximæ ex elatioris anteriorisve magnæ arteriæ sedis medio, promuntur. Simul atque verò prædicta vasa, peritonæi foramen superarunt, ex dextro quodāmodò latere, rursus obliquè deorsum in sinistra ad dextri testis elatiorem sedem ducuntur, arteria non amplius, venę duntaxat, ut in reliquo processu, accumbit, fibrisq; membraneis tantùm connectitur, sed varia quadam peculiariq; ratione, vena cum arteria congreditur, & ambæ invicem commiscentur, corpusq; unum, pyramidis anterius posteriusq; depressæ instar efformāt: cuius quidem conū, vasa, ubi primùm invicem permi-

Vasa seminaria. *Vena dextra.* *Sinistra.* *Arteria.*

ſcentur, efficiunt, baſin verò ea ſede, qua elatiori teſtis parti committuntur. Per univerſum hoc corpus, ramorum myriades invicem complexi, obſervantur, non quidem omnes rectà deorſum procedentes: ſed alii partim rectà, partim orbiculatim, partim transverſim, alii, alio modo implicantur. Quapropter, cùm corpus hoc, multas varices exprimat, ideò veteres anatomici illud κιρσοειδῆ παραστάτην, quaſi varicoſum ad teſtes aſſiſtentẽ diceres, appellarũt. Ad externum varicoſi illius corporis latus, qua teſti implantatur, aliud corpus album, & durioris nervi modo durum, extimæ teſtis tunicæ adnaſcitur, hincque incipit. Hoc exterius, quà teſti non cõmittitur, gibboſum, & quodammodo teres eſt: qua verò tunicæ illi connatum eſt, ſecundum cõnexum teſtis cavum exiſtit. Per totum autem ductum, quo teſtis tunicæ, corpus id, nectitur, propemodum æqualiter craſſum eruſdemq; figura eſt, quam compacto, vitis aut cucurbitæ capreolo, aſſimilare queas. Quamquam non in orbem, ſed velut in latera huius corporis revolutiones, fiant, ad eum ferè modũ, quo angues, & anguillas, ocyus repere cernimus. Huius namque corporis anfractus, & involutiones admodum invicem continuæ & connatæ conſpiciuntur, ut lignorum vermibus eas aſſimilare integrum ſit. Hoc vas ſurſum ad magnam peritonæi cavitatem conſcendens, qua ſeminalis vena & arteria deſcendêre, nervi cuiuſdam modo, teres efficitur, & deorſum ad pubis os reflexum, ad poſteriorem veſicæ ſedem accedit, ad quam vas à ſiniſtro teſte deferens etiam properat, quod dextro vaſi unitum, ſimul cum illo in veſicæ cervicis radicem, inter glanduloſum corpus cervici obnatum, quod Herophilus ἀδενοειδῆ παραστάτην nominavit, inſeritur, communiſque ſemini & urinæ meatus cõſurgit, qui deorſum modicè ductus, denuò ſurſum ad pubis oſſium commiſſuram foris reflectitur, corporibus penem efformãtibus, ſubnatus. Prodit enim utrinque à pubis oſſe unum, nerveum tereſq; corpus, quod

κιρσοειδὴς, παραστάτης. Vas ſemen, à teſte ad veſicæ cervicem deferens.

Glandoſum corpus vaſorum ſemen deferentium inſertionem excipiens.

quod intùs impensè fungosum, ac crasso sanguine plenum cernitur. Vtrumq; simul connatū unitumq;, penem, qui καυλός, Latinis coles, penis, mentula, virga, & pudendum virile, vocatur, constituit. Ejus certè substantiæ beneficio, quum penis, semen, in uterum missurus est erigi, augeriq; aptus est: aliâs quū nullus suæ proceritatis usus est, flaccidus & gracilis existit. Hinc est, quòd natura ipsum ita fabrefecerit, ut spiritu impletus, erigi produciq; & insigniter turgere possit, & rursus eodem spiritu dissoluto arctari, concidere, flaccescere, & brevior fieri. Penis, ad commodū Veneris usum, summa sua parte & apice glandis modo tumet. Hic Græcis βάλανος, & Latinis Glans appellatur. Cute quoq;, quò tegi & retegi queat, decoratur, quæ Græcis πόσθη, Latinis præputium dicitur. Inferior autem penis, per ejus longitudinem vergens, & protuberans, lineâ, Græcis ῥαφή, Latinis sutura nominatur, distinguitur. Totam exporrectam, extuberantemq; ad anum usq; penis partem, Græci ταῦρον, Latini taurū nuncupant. Spacium inter testium involucrum, (quod scrotum nominatur) & anū, conspicuum, Græcis περινέον, interfeminium Latinis dicitur. Porrò mulier sibi uterum vendicat, semini excipiendo, fœtuiq; continendo dedicatū, qui Græcis μήτρα καὶ ὑστέρα nominatur. Hic, inter vesicam, & rectum intestinum situs est, ac in fundum & cervicem distinguitur. Fundi forma, non prorsus rotunda, verùm anteriùs posteriusq; depressa, superiùs obtusa, & duos, (utrinq; videlicet unum) retusos ostendens angulos, quos Herophilus opportunissimè jam nascentibus vitulorū cornibus assimilans, κεράτα & κεραίας appellavit. Quemadmodum enim vitulorum capita, utrinque, qua pronascuntur cornua, extuberant: ita etiam superior uteri pars utrobiq;, veluti in duos obtusos, ut diximus, angulos desinit, qui reverâ veteribus anatomicis cornuum vice habiti sunt, vasorumque semen muliebre deferentium insertio-

Penis substātia. *καυλός.* *Penis usus.* *βάλανος.* *Glans.* *πόσθη.* *Præputium.* *ῥαφή.* *Taurus.* *Interfeminium.* *Vterus.* *μήτρα.* *Situs eius.* *Cornua.*

Fundi uteri sinus. nem, recipiunt. Fundi simplex est sinus, semen genitale suscipiens, fœtumq; continens. In nō prægnantibus, viscido quodam & subalbo muco illitus, & lævis, & inconspicua propemodū sutura obscurissimâ perinde, ut inversum virile scrotum, ceu extuberantiori linea interstinctus est. Hinc in orificium desinit, *Vteri os.* glandis penis modo, in uteri cervicis amplitudinem, prominens. *Cervix.* Cervix uteri teres est, & in iis, quæ in utero haud gerunt, aliàs non distensa, non multò minus ipso fundo, ampla. In extremo cervicis ore, ubi concidua labra, rimam relinquunt, utrinq; una prominens cuticularis coriaceáve caruncula; sed tenuis, & ex longa basi in mucronem desinens, Grecis νύμφη *νύμφη.* μύτρας ἐπίδερις, & κλειτορὶς nominatur. Ejus utilitas est, ut à pulvere, frigore, & aëre uterum tueatur. Vteri lateribus, utrinque unus accumbit testis, non prægnantibus quidem paulò elatior, quàm fundi superior pars consistit. *Testes muliebres.* Vtero autem gerentibus eamdem certè sedē occupant. Ad hos vasa seminaria, eodem *Vasa seminaria muliebria.* prorsus modo, atque in viris, pertingunt. Verùm hic id privatim accidit, quòd media tantùm seminariæ venæ arteriæq; pars, testi implātetur, altera uteri fundum implicante. Vas, semen tenue & impensè aquosum, paucumque à muliebri teste, deferens, in obtusum sui lateris uteri angulū inseritur. Ceterùm quùm de acetabulis uteri veteres inter se non parùm dissentiant, veluti in cōmmētariis nostris in sect. 5. aph 45. copiosè ostendimus. *Acetabula uteri.* satis sit in præsentia id dixisse, uterum muliebrem acetabulis veris, quæ scilicet acetabulis sepiarum, & polypûm, atque herbæ quæ Grecis acetabulum & Latinis umbilicus Veneris appellatur, similia sunt prorsus carere: quandoquidem ea, *Acetabula vera.* in capris, vaccis, & animalibus, quæ in superiore maxilla incisoriis dentibus destituuntur, tantùm inveniantur. Horum enim uteri, acetabulis consiti sunt. *Hippocrates quid acetabulorum nomine intellexerit.* Hippocrates tamen, acetabulorum nomine impropriè usus, sic appellasse videtur, non sinus illos, neq; tubera, sed oscula vasorum, de novo, ad internam uteri

teri superficiem genitorum, atque ex muliebri utero, in extimum fœtus involucrum, sive secundinam pertinentium: Hæc enim non sunt nisi venarum & arteriarum capita, adeoque cavæ earumdem partes, quibus semen in utero adhæret. Vasa igitur illa, cùm maturorũ fructuum modo, naturaliter ab utero abscedunt, aut aliâs immaturè disrumpũtur, partum sollicitant, & quæ, quum mucoso sanguine, alioquin aliâ fœtui insuper occasione obnoxio, plena sunt promptè, cum tenuia scilicet sint & invalida, divelluntur, & ab utero, ipsiusque vasis decidunt: sicq; abortus causa fiunt. Vasorum hunc connexum, aut continuationem ambit complectiturque carnea substantia, quæ vasorum de novo in utero genitorum collectioni, & robori securitative præficitur, ac utero coaluit, & per eam sensim, illa, sic ad invicem coëunt, ut tãdem umbilici vena, & arteria ex ipsis consurgant Hæc quum rotunda sit, in modum placentæ, nonnullis quoque placenta vocata est. Nequaquam autem inter involucra fœtus est connumeranda, quandoquidem duo tantùm fœtus humani sint involucra. Vnum quidem exterius. quod uterum totum oblinit, & χωρίον, Latinis secunda, vulgò autem secundina, quia scilicet in partu fœtũ subsequitur, & secundis partub. materiam præbet, appellatur. Sunt tamen qui hoc falsò in hominib. ἀλλαντοειδὴς, .i. farciminosum, nominant. Exterius ejus superficies, nervea tota est, & expansam glutinis modo substantiam carneam habet, qua toti utero agglutinatur. Hæc utiq; carnea substantia, unguibus, ac novacula facilè abradi potest: quæ nisi deradatur, in causa ferè est, ut membrana hæc nervea non ita, ut est, lucida appareat. Interius involucrum, quod fœtui proximũ est, & tenuissimũ, lõgeq; quàm exterius involucrum mollius, ac prorsus album, unde à Græcis ἄμνιον, quasi agninum, ab agnellorum mollicie ac teneritudine dictum est. Hoc fœtui obductum est undequaque, ideoque illum simul atque su-

Carnea substantia, sive placenta.

Placenta.

χωρίον.

Secundina.

Interius.

ἄμνιον.

doris excrementum, continet. Sudor autem ille à fœtu emanans, non fine causa penes fœtũ in amnio involucro servatur. Nam in eo sudore, ille innatat, atq; ab eodem fulcitur, ut matri pondere suo minùs molestus sit. Porrò præter duo humani fœtus involucra, quæ totum ambiunt fœtum, cornutis animalibus, quæ veris acetabulis donantur, tertia quædam obtigit membrana, quæ inter duo fœtum ambientia involucra, longæ impensæq; molis, & tenuis admodum cujusdam vesicæ instar, consistit, & urinam tantisper, dum utero fœtus continetur, asservat & colligit. Hæc ipsa membrana, quia farciminis speciem reverâ refert, ideò Græcis ἀλαντοειδής, Latinis farciminalis dicta est. Membrana, illa, in qua urina vituli colligitur, ex urinario meatu, ab elatiore sede, fundi vesicæ per umbilicum excidens, enascitur, qui & ob id ὀραχὸς & ὀραvὸς appellatur; quòd scilicet fœtus urinam deferat, inq; eam, se aperiat vesicam. In hominibus autem, & canibus, inter duo involucra, absque tertia jam dicta membrana, proprioq; conceptaculo, urina vaga continetur. Atq; hæc quidem membrana in vaccis & capris, animalibusque ceteris in superiori maxillâ incisoriis dentibus destitutis, perpetuò. & ut Vesalius in examine observationum Fallopii scribit, nonnunquam, licet rarissimè, in muliere conspicitur. In iis igitur, fœtus urina, non undequaque vaga, ut in aliis mulierib. passim inter duo fœtus involucra diffluere, manareq; cernitur, sed in membrana, quæ farciminis speciem exhibet, asservatur, ac colligitur. Nã in iis animalibus, quorũ uterus acetabulis donatur, venæ umbilici, sunt dispersæ per totum choriũ, nullaque ipsius pars est, in qua non sit aliqua vena & arteria: hâcque ratione chorion in iis brutis, inservire minimè ad continendũ lotium potuit. Quum itaq; in illis, totum chorium sit refertum vasis, natura, vesicam illam farciminis specie donatam, addidit, qua lotium cõtinetur, ne corpora vasorum, præcipuè arteriarum, tangat, atque insigni suâ acrimoniâ lædat.

Tertiũ involucrũ fœtus.

ἀλαντοειδής. Farciminalis.

ὀραχὸς.

Cæterùm urina fœtus, toto tempore quo ille in utero geritur, sensim locis jam dictis non temerè, sed summa Dei providentia colligitur, ne scil. illa fœtum tangat, suaq; acrimonia ac mordēdi facilitate, tenellam fœtus cutem exulceret. Prædicta igitur duo excrementa fœtus, sudor nimirū & urina, dicto modo asservantur, ut mox ante partum ambo profluant, ac uteri fundi os, & ejusdē totam cervicem humectent, atque emolliendo, ut hæc distendatur aptiorem efficiant, fœtuīque faciliorem exitum parent.

Fœtus in lucem editus, lac, familiare ipsius alimentum, è mammillis, quas Græci μαςὺς, τίτθυς, ϰ τίτθια nominant, à nemine edoctus, sugit. Hæ ad ossis pectoris latera, in thorace sibi sedem vendicant, & papilla, quæ θήλη Græcis vocatur, ornantur. Cæterùm mamillæ, glandoso corpore, insitâ vi sanguinem per venas ipsi adductum in lac convertente, extruuntur. Cutis mamillarum, quæ orbiculatim ad papillam nigricat, circulumq; constituit, φῶς Græcis appellatur. *Mamma.* *φῶς.*

DE CORDE, ET INSTRVMENTIS ipsius functionibus ministrantibus.

Cap. XIV.

INter partes, quæ vitali spiritui ministrant hunc cum calore, & sanguine vivifico elaborāt, & intra thoracem sitæ sunt, primum sibi vendicat locum tunica membranáve, quæ Græcis ὑποζωκώς, Latinis succingens, quòd nimirum omnibus costis (demptâ duodecima, quæ septi transversi implantatione obducta est) ab interiori parte subtensa sit, ac universam thoracis cavitatem succingat, sublinatque nominatur. Vulgus pleuram vocat. Ex hac nascuntur duæ aliæ membranæ, utrinque singulæ, secundum thoracis longitudinem procedentes, ac in duas præcipuas amplitudines eam distinguentes. Hinc Græcis διαφράττοντες, Latinis intercipientes & intersepientes, vulgò mediastinum nuncupantur. Fistula, quæ à fau- *ὑποζωκώς.* *Succingens.* *διαφράττοντες.* *Mediastinũ.*

cibus, per collum, deorsum in pulmonis usque substantiam distribuitur ac protenditur. Græcis βρόγχος, & ἀρτηρία simpliciter, quòd aërem contineat, primū est appellata. Temporis verò progressu, quùm & vasa vitalem spiritum, sanguinemq; continentia, arteriæ etiam nomine donata sunt: hæ quidem leves arteriæ, illa verò τραχεῖα, hoc est, aspera, ab inæquali, qua constat, substantia, nuncupata est. Caput huius arteriæ Græcis λάρυγξ, Latinis guttur nominatur. φάρυγξ autē hoc est fauces, Galeno teste, spacium oris internum, quod gulæ ac gutturi præiacet, dicitur. Universum itaq; spacium, quod in profunditate ab interna menti sede, ad cervicis usq; vertebras pertingit: in latitudine verò quicquid inter dextram inferioris maxillæ partem & sinistrā habetur, faucium nomine complectitur. Idem locus, Galen. 3. aphor. Com. 26. teste, Græcis ἰσθμὸς, ab angustia, dictus est: quòd scilicet nulla in universo corpore sit regio æquè angusta, & tot organis donata. Triplex in faucibus, glandularum genus reperitur: Sunt enim glandulæ, alterutra parte, singulæ ad radicem laryngis adnatę, magnæ & fungosæ admodum, carnisq; propemodum coloris, sed magis nigricantes. Deinde in spacio, quod nobis hiantibus, inter narium foramina, & laryngem apparet, utrinq; in laterib. una reponitur glandula, utcunq; insignis, & impensiùs fungosa: in hocq; propria, ut salivam procreet, ac asperam arteriam, & stomachum quoque cum tota oris amplitudine, humectet: Has glandulas, Græci παρίσθμια, & ἀντιάδες Latini tonsillas, barbari amygdalas, quòd nimirum amygdalis fructibus assimilentur, appellant. Græci tamen, vt libro 3. de Sympto. causis, cap. 11. testis est Galenus, harū glandularum etiam phlegmonas ἀντιάδες, partium verò illis adiacentium phlegmonas παρίσθμια nuncupant. Tertium genus inguinum, & axillarum glandibus respondens, sub

Lævis arteria. *Aspera.* *λάρυγξ.* *Guttur.* *φάρυγξ.* *Fauces.* *ἰσθμὸς.* *Glandulæ faucium triplices.* *παρίσθμια.* *ἀντιάδες.* *Tonsillæ.*

aurium radicibus, & universo spacio, inferiori maxilla conscripto, continetur; & cavitates omnes exquisitè adimplet. Hoc genus nullo peculiari nomine donatum est. In externa, oris & palati parte, ubi narium foramina, ad os descendunt, carnosa & fungosa quædam particula, in oris amplitudinem propendula, superiùs ubi palato continuatur latior, inferius pyramidis instar acutior apparet, quę veteribus Gręcis γαργαρεών, hoc est, gurgulio dicta est. Quia verò instar columnæ extēsa est, ideò posterioribus Græcis κίων, Latinis columella, barbaris uvula nominatur. Quùm verò instar uvæ, superiùs angusta, inferiùs autem sphæræ modo rotunda aliquando, ubi phlegmone corripitur, propendet, ut libro 6. de Compos. medica. localium, capite 3. autor est Galenus, σταφυλή appellatur. Pulmo qui Græcis πνεύμων dicitur, quatuor fibris, quas Græci λόβους vocant, magna ex parte distinguitur. Ex utraq; enim parte duas habet. Membrana, quæ universam cordis substantiam, cum suis auriculis, ac vasorum initiis veluti arcula aut theca cooperit, Græcis περικάρδιον, Latinis involucrum & casula, vulgò capsula, quòd veluti domus quædam cordis sit, nuncupatur. Cor autem, quod Græcis καρδία dicitur, in homine, sua basi, (quæ ipsius nobilissima pars est, cùm vasorum sit origo) exactè, ut in reliquis animantibus, dextræ sinistræq; sedis medium obtinet locum. Vtraque ad basim ipsius parte superiore appendices obtinet, quas dissectionum periti auriculas nominant, quòd aurium propriè dictarum similitudinem referant. Humanum cor intùs duas insigniter amplas cavitates, quas Græci κοιλίας, Latini sinus, ventriculósve appellāt, in cordis lateribus sitas habet, unam dextram, alteram sinistram. Dextra quidem, sinistræ, cavitatis amplitudinē vincit: ambæq; forma plurimùm variant. Dextra enim magis deorsum ad cordis mucronem, quàm sinistra de-

γαργαρεών.
κίων.
Columella.
σταφυλή.
Pulmo.
Fibræ pulmonis 4.
περικάρδιον.
Cor.
Auriculæ cordis.
Cordis sinus duo.

ſcendens, cavitatem inſtar creſcentis lunæ paratam adipiſcitur: Siniſtra verò ampla etiam baſi incipit, ſenſimq; in arctum verſus cordis mucronem deſinit, cavitatem inſtar coni obtinens. Vtriuſq; cavitatis ſuperficies perquàm inæqualis eſt, & multis quaſi foveis in carneam ſubſtantiam, penitiùs impreſſis, ſcatet. Ex iis foveis nullæ, quod ſenſu ſaltem comprehendi liceat, ex dextro ſinu, in ſiniſtrum penetrant, adeò ſanè ut mirifica Dei induſtria per meatus viſum effugientes ex dextro in ſiniſtrum ſanguis reſudet.

Cordis vaſa quatuor.

Vena cava.

Cæterùm quatuor ſunt cordis vaſa, in utroq; ſinu bina, vena nimirum cava, vena arterialis, arteria venalis, & arteria magna. In dextrum enim latus baſis dextri ventriculi, ad humiliorem eiuſdem baſis ſedem, vena cava, amplo patentiq; orificio ingreditur, atq; ex iecinore ſanguinem defert, ut vena cava ei inſerta, primum cordis vas ſit.

Vena arterioſa.

Ex eodem ſinu egreditur aliud vas, quod venam arterioſam nuncupant, & ſanguinem, ex iam dicto ſinu in pulmonem defert. Venam, ab uſu appellarunt, quòd venæ ſcilicet uſum gerat. Arterialem verò, quòd arteriæ corpus, duplicemque tunicam nacta ſit.

Arteria venoſa.

Siniſtro cordis ventriculo, vas tertium, quod arteriam venoſam nominant, implantatur, & ex pulmone aërem cordi communicat, fuliginoſaque cordis excrementa educit. Arteria, ab uſu, quòd ſcilicet, aërē cōtinet deducitq;, dicta eſt. A ſubſtantia autem, quòd venarum corpori reſpondeat, & unicam tantùm tunicam habeat, venoſa nominata eſt.

Magna arteriæ nomina, & appellationes.

Quartum vas magna eſt arteria, ἀορτὴ Ariſtoteli vocata. Nōnulli Græcorum μεγίστην, alii παχεῖαν, alii ὀρθὴν appellant. Ex dextro, elatiſſimæ ſiniſtri ventriculi ſedis, latere, enaſcitur, aliquouſque rectà ſurſum ſub venæ arterioſæ caudice, tantiſper prorepens, donec cordis involucrum permeans, in duos ſcindatur ramos, quorum unus corporis ſuperiora, alter inferiora petit. de quibus paulò pòſt dicemus, ubi prius membranarū cordis numerum expoſuerimus. Membrana

branę autē sive valvulę cordis, non sunt nisi corpora, quæ cordis vasorum radicibus, ipsorumq; exortibus adnata, colore, substantia, crassitie prorsus membraneę existunt, materierum regurgitationibus præfixę. Sunt autē omnes cordis membranæ, numero undecim: ac tres quidem, singulis trium vasorum orificiis, duæ autem duntaxat, uni, tertioq; adnascuntur. Cava vena seu primum dextri ventriculi vas, tres membranas obtinet, quæ quia quùm clauduntur & invicem connivent, spiculorum sulcis structura quàm simillimæ sunt, Græcis τριγλώχινες, quasi trisulcæ, aut tricuspides appellantur. Venæ arteriali itidem tres sunt membranæ præfixę: quę quia semicirculū ad amussim exprimunt, Gręcis σιγμοειδεῖς, à (literæ σ. imagine) nominantur. Venalis arteriæ orificio duæ duntaxat membranæ præficiuntur, quæ mitræ episcopali non ineptè assimilantur ab anatomicis. In magnæ arteriæ ostiolo, tres sunt membranæ, in nullo à tribus venæ arterialis membranis, distantes. Cæterùm arterię magnæ truncus, superiora petens, statim à sinistro ipsius latere ramum promit obliquè sursum, ad primam, sive elatissimā thoracis sui lateris costam protensum, à quo primum propago superioribus costis offertur, & dein alia prius commemorata multò amplior, transversis vertebrarum cervicis processibus. Quod eius reliquum est, per foramen occipiti insculptum calvariam subit, atq; in sinistrum, duræ cerebri membranæ, sinum se se exonerat. Dein alia, sinistro, pectoris ossis, lateri exhibetur, & verarum costarum cartilaginum intervallis, ramos offert. Ab hac etiam propagine, in sui lateris membranam, quæ thoracis amplitudinem intersepit, surculi mittuntur. Quod autem ipsius est reliquū, secundum sinistrum mucronatę cartilaginis latus, thoracis cavitatem ingreditur, & recto hic abdominis musculo subnatū, ad umbilici quodā modo regionē procedit, in progressu utrinq; ad partes abdominis ramulos offerēs. Vbi verò ramus ille thoracē supavit, surculū, posteriorē cervicis sedē

Membranæ cordis.

Cava vena.

Venæ arteriales.

Venalis arteriæ.

Magnæ arteriæ.

Arteriæ magnæ diductio, & divisio.

occupantibus musculis, transmittit, & similiter vt axillaris vena ad digitorum usque extrema digeritur, si axillaris ramos cutem subeuntes exceperis, ac in alto latitantes solum intellexeris. Cæterùm insignior portio, dicti paulò antè magnæ arteriæ trunci, ad iugulum ascendens, in duos impares dividitur ramos. Sinister, qui gracilior est, nonnihil obliquè in lævum deflexus, sursum, cum interiori iugulari, iuxtà asperæ arteriæ sinistrum latus, per cervicem exporrigitur, soporalisq; sinistra nominatur. Dexter verò ramus, sinistro crassior, similiter sursum tendit, & simul atque primam thoracis costam contingit, ex dextro ipsius latere, arteriam promit in easdam prorsus soboles discissam, quas à ramo, qui sinistræ manui offertur, pullulare constat, ad superiorum scilicet costarum intervalla, ad transversos cervicis vertebrarum processus, ad pectoris os, ad posteriores in collo locatos musculos desinens. Quod verò maioris dextriq; rami adhuc reliquum est, secũdum asperæ arteriæ dextrum latus, sursum conscendit, ac huius lateris soporalem constituit arteriam dextrã. Hæc, ubi ad fauces usque pertingit, in duos finditur ramos: quorum grandior idemq; interior, surculum porrigit in faciẽ penitiùs, & in temporum cutem, ad verticem usq; absorbendum. Ipsa verò, laryngi, & linguæ, & triplici hic reposito glandularum generi, soboles offerens; calvariam adit, & in duas divisa propagines, minorem, in dextrúmve duræ membranæ sinum exonerandum mittit. Grandior, absq; venæ coniugio per proprium foramen ad narium amplitudinem, versus nasi extremum, contendit. Ipsa autem propago calvariæ basi instrata, & in nullum tamen plexum retticularem divisa, antrorsum fertur, & ramum, cum secundo pari nervorum cerebri, ad oculũ depromens, sursum ascendit, duram cerebri membranam perforans, & partim in tenuem membranam hic absumpta, partim verò in dextrum cerebri ventriculum repens, plexus eius, in hoc ventriculo repositi, ac extimo

Soporalis arteria sinistra.

Dextra.

mo

mo fætus involucro similes, portionem efformat, vitalemq; spiritum cerebro offert, ut ex illo, cerebri virtute, & beneficio, animalis præparetur. Porrò magna arteria grandiorem truncum, sinistrorsum ad spinam detorquet, à quo, utrinq; rami ad octo humiliores costas exporriguntur & mittuntur. Quũm verò is sub septo deorsum fertur, huic quoq;, propaginem unam offert, quæ in plures secta surculos, in humiliorem, septi, iuxtà vertebras sedem præcipuè deperditur. Post cōmemoratas propagines suas, ex elatiori sui corporis sede unum promit truncum; qui ramos in ventriculum, iecur, bilis vesiculam, lienem, omentum, duodenum intestinum, & colon offert, venæ portæ ramis, comitatos. Dein aliam radicem, truncus hic, in superiorem mesenterii sedem, in plurimas soboles diffusam, dispensat. Post hanc inferiùs paululùm ab utroq; magnæ arteriæ latere, ampla exurgit arteria, in sui lateris renem, transversim prorepens. Prætereà ab arteria, sinistrum renem accedente, ac demissius plerunq;, quam ea, quæ sinistro reni offertur, vena, principium sumente, seminalis arteria non enascitur: sed frequentissimè, ut dextri testis arteria, ab arteriæ magnæ corpore originem ducit. Iam dictis propaginibus alia succedit inferius, quàm seminales arteriæ, ab anteriori etiam magnæ arteriæ sede, principium ducens, & in humiliorem mesenterii sedem distributa. A posteriori autem, atque inferiori magnæ arteriæ sede, qua hęc vertebris committitur, geniculatim vtrinque ad singulas lumborum vertebras, ipsiq́ue accumbētes musculos, surculi depromuntur. Ad sacri ossis initium, etsi arteriæ prius cauæ in sinistro latere subijcitur, eam quo tutior prorepat, conscendit, & eodem cum caua modo hic bipartitò scinditur instar Λ. parem, cum illa, ad extremum usque pedis distributionem, in profundo faciens. Quippe nullũs huius arteriæ magnæ trunci ramus, cutem subit. Verùm id privatim huius trunci propagini, per pubis ossis foramen procedenti acci-

Animalis spiritus procreatio.

Renum arteriæ.

Seminales arteriæ, unde exoriantur.

dit, quod illi arteria committitur, quæ ab umbilico secundum vesicæ latus descendens fœtui propria cēsetur. Exquisitiorem arteriæ magnæ delineationem reperient studiosi in cap. 13. & 14 lib. 5. nostræ anatomes, quò eosdem ablegantes ad animales partes, nunc accedimus.

DE CEREBRO ET INSTRVmentis ipsius functioni famulantibus. Cap. XV.

Cerebrum. CErebrum, quod Græcis ἐγκέφαλος dicitur, animalis ac principis faculatis sedes, ac domicilium, in calvaria reponitur, formam cavitatis, quam occupat, concinnè referens, exactè hanc adimplens. Dividitur in anterius, quod propriè cerebrum, & in posterius, quod cerebellum Latinis, παρεγκεφαλὶς Græcis dicitur, decuplo, aut undecuplo minus cerebro existens. *Cerebellum.* Anterius autem, in dextrum & sinistrum dividitur. In ipsius medio, iuxtà basim continuum est planè, & integrum. Porrò universa calvariæ cavitas, cerebro excipiendo, adaptata quadam, membrana fortissima subducitur, quæ propter crassitiem, qua cæteris, non modò cerebri, verùm etiam totius corporis præstat membranis, Græcis παχεῖα μῆνιγξ, hoc est, crassa membrana, & ab insigni duritie, vulgò dura mater nuncupata est. *Membrana crassa.* *Dura mater.* Præsens membrana quatuor sinus obtinet, qui non solùm venarum, sed & arteriarū quoq; usum cerebro præstāt. *Quatuor duræ membranæ sinus, & ventres.* *Primus.* Primus, ad latus dextrum, maximi, in occipitis osse, foraminis, quo, dorsali medullæ, via præbetur, incipit, & sursum modicè instar quartæ circuli partis protenditur, quousque elatissimam cerebelli partem, occipitis ossi contiguam, attigerit. *Secundus.* Secundus ad sinistrum latus iam dicti ossis, initium sumit, & sursum, eodem, quo primus modo, usque ad elatissimam cerebelli partem, conscendit. Qua sanè in parte

parte dexter ſinus cum ſiniſtro coit, atque ex ambobus una communis efficitur cavitas. Iſte, amborum iam dictorum ſinuum congreſſus, Herophilo. ut lib. 9. ana. admi. & de uſu par. cap. 6. autor eſt Galenus, ληνὸς, id eſt, torcular, dictus eſt. Recentioribus lacuna, puteus, fovea, & conductus ſanguinis, appellatur. Torcular, quod concurſus ille ſinuum ſanguinē, tanquam vinum è torculari promit. Ex mutuo hoc amborum ſinuum congreſſu alii duo exoriuntur ſinus, longitudine & cavitatis forma invicem variantes, tertius ſcil. & quartus. Tertius, longior eſt & calvariæ, quemadmodum priores duo, contiguus, per capitis longitudinem antrorſum procedens. Quartus ab anteriori ſede, communis primi ſecundique ſinuum congreſſus, recto tramite verſus priora cerebri, nuſquam deorſum neq; ſurſum vergens, progreditur. Conſiſtit enim in dura membrana, ubi per cerebelli longitudinem, id eſt cerebrum, ad eas uſq; cerebri ſedes intercedit, quæ teſtium & clunium imagini ab anatomicis aſſimilantur. Hic itaq; quartus ſinus, ſuo ductu cerebelli longitudinem, & duræ cerebri membranæ, inter cerebellum & cerebrum implicationem haud excedit. Ac proinde id ſibi privatim vendicat, quòd ſit breviſſimus, & nuſquam calvariæ contiguus. Per ſuturas calvariæ, fibras dura membrana porrigit, quæ in peculiare involucrum, quod Græcis περικράνιον dicitur, degenerant. Altera membrana cerebri interior, & penitiùs imò proximè, & immediatè cerebro cōiuncta, Græcè λεπτὴ μήνιγξ, Latinè tenuis membrana, vulgò pia mater nominatur. Cerebri & cerebelli eſt involucrum, & ipſorum ſubſtantiā proximè continet, ac firmat. Dicta eſt alio nomine χοροειδής: quod ſcilicet inſtar extimi fœtus involucri, plurima vaſa deducat ſuffulciatq;. Pars cerebri in externa ipſius ſuperficie ad elatiſſimam dextri & ſiniſtri ventriculorum ſedem ſe offerens, tenui mēbrana nō obvoluta, ſubdurior & magis candicās,

Primi & ſecūdi ſinuum congreſſus.

ληνός.

Torcular unde dictum?

Tertius.

Quartus.

περικράνιον.

Membrana tenuis.

χοροειδής.

Calloſum corpus.

vetustissimis Grecis τυλλῶδες σῶμα, hoc est, callosum corpus appellata est: cerebrum verò tribus insignibus, & impensè albis donatur cavitatibus seu ventriculis, quorum unus per cerebri longitudinē in dextra cerebri parte consistit, qui ex posteriori sede deorsum per cerebri substantiam reflexus, ad medium usq; basis cerebri perfertur. Secundus huic prorsus respondens, in sinistrà cerebri parte collocatur, & ambo his, qua internis lateribus se invicem spectant, superiori sede, tenui quadam cerebri substantia mutuò distinguuntur, quam Græci διάφραγμα, Latini septum vocant, anterioresq; dicuntur. Communis autem dextri & sinistri ventriculorum cavitas, tertius cerebri est ventriculus, quæ binos à se educit meatus, quorum unus ex humiliori ipsius sede, ubi acutum angulum, per totam sui longitudinem vallis cuiusdā ritu exprimit, rectà deorsum versus glandem, & pelvim porrigitur, cerebri pituitam excipientem. Alter autem meatus, qui posterior est, tertii ventriculi non minima pars censendus venit, qui inter cerebri testes & nates, ac super dorsalis medullæ initium declivis, ad quartum ventriculum à nonnullis appellatum contendit, qui communis est cerebello, & dorsalis medullæ initio, calami scriptorii effigiem exprimens. Quartus itaq; ventriculus, ad quem posterior meatus tertii ventriculi pervenit, & extenditur, ex dorsalis medullæ, & cerebelli finibus componitur, non secùs, quàm si utraq; manu unam cavitatem fingeres. Ex posteriori, dextri & sinistri ventriculorum sede, qua hæc deorsum in priora reflectitur, statim in ipso reflexu, corpus quoddam ampla basi enascitur, similis prorsus substātiæ cum cerebri ventriculorum substantia, candidioris tamen duriorisq; essentiæ, dein sensim antrorsum procedens, veluti in acutum trianguli verticem coarctatur. Hoc quidē corpus, eo quòd fornicis seu testudinis modo extructum est, vel veluti domus, tectum quoddam, ut sphæræ superficiem concavam circumactum & fabricatum, Græcis καμά-

Cerebri ventriculi quatuor.
Primus.
Alter.
Septum cerebri.
Tertius.
Quartus à nonnullis appellatus cerebri ventriculus.
Fornix.

καμάριον, & ψαλλιδοειδὴς, hoc est, testudo fornixve, & camera nuncupatur. Nam eius generis ædificia, qui architecturæ sunt periti, καμάρας & ψαλλίδας appellare solent. Iuxtà posteriorem, testudinis modò formati corporis, sedem glandulam natura cōdidit, nuci pineæ, aut turbinatæ, figuræ similem, ac proinde veteribus anatomicis Græcis κωνοειδὴς, & κωνάριον dicta hæc glandula. Reponitur autem sub vasis venosi, ex quarto duræ membranæ sinû, in tertium cerebri ventriculū porrecti initio, mucrone suo sursum spectans, basi verò sua cerebri substantiæ incūbit. Ad hæc pars quædā cerebri reponitur inter anteriorē cerebelli sedem, & posteriorē tertii ventriculi partē subflava, quæ effigiem quandā exprimit duab⁹ sibi cōmissis natibus, quàm simillimam, quapropter hanc Græci γλούτιον, & δίδυμον, Latini nates, clunésve, ac testes appellāt. Ceterùm cerebelli pars una, à prioribus in posteriora, veluti in orbē ducitur, eaq; talib⁹ implexa est revolutionibus, ut vermis in ligno nascētis effigiē, appositissimè & evidenter ostendat. Duo itaque huius partis apices, quorum hic anteriorem ventriculi cerebello & dorsali medullæ communis sedem, respicit: ille verò posteriorem à iam dicta similitudine veteribus Græcis σκωληκοειδὲς ἐπιφύσεις καὶ ἐκφύσεις, Latinis excrescentiæ vermiculares vel vermiformes dicuntur. Neq; enim aliud sunt, quàm prominentior cerebelli substātia, σκώληκα, id est, vermem referens. Tenuis membrana, cerebelli basim succingens orbiculatim à se educit sui portionem, processúmve, substantia prorsus cum reliqua tenui membrana similem, nisi quòd gracilibus venis intexitur. Eius processus initium, accuratè refert elatissimam regionem infundibuli, quo in angustioris orificii lagenas, vinum transfunditur. Est enim amplū & orbiculare. Ab exortu verò, sensim in arctū infundibuli instar cogitur orificium, donec tandem veluti in angustam oblongamque fistulam similiter

καμάριον. ψαλλιδοειδὴς.

Glandula.

κωνάριον.

Nates cerebri.

Vermiculares excrescentiæ.

Infundibulum.

atq; infundibulum finiat, quę deorsum protensa per peculiare sibi in dura cerebri mĕbrana excisum foramen, descendit, suo mucrone ad glandem, qua cerebri pituita excipitur, desinens. Hinc universum hoc membraneũ infundibuli corpus, Græcis ab imagine χοάνη nuncupatur. Quamquã etiam à scyphi vel labri forma, quam superior huius corporis pars exprimit, πύελος, hoc est, pelvis nominatur veteribus. Porrò reticularis plexus, cuius multis in locis Galenus meminit, in boũ, non hominũ cerebro, reperitur. In dextrum autĕ cerebri humani ventriculũ, similiter & in sinistrum, per ipsius posteriorĕ inferioremq; sedem, soporalis arteriæ insignior ramus cõscendens, plexũ efformat, qui Græcis, quòd extimũ fœtus involucrũ refert, χοροειδὴς dicitur. Ex vitali spiritu, in illo plexu cerebri muniis, ut diximus, aptato, ac ex aëre, quĕ inspirãtes in cerebri ventriculos allicimus, cerebri substantiæ insita vis, spiritum animalem conficit, quo spiritu cerebrũ, ad animæ functiones principes partim utitur, partim per nervos ad alias corporis partes transmittit eundem ad sensitivas, & motrices functiones obeundas. De olfactus organo abũdè lib. 6. nostræ Anatomes, capite decimotertio egimus. Et infrà sectione 6. capite 3. de hoc quoq; plura dicemus. Ad hunc igitur locum ablegamus lectorem, ne hic iustò longiores simus. Cæterum nervorum è cerebro prodeuntium septem sunt paria, seu coniugia, quæ Græcis συζυγίαι appellantur. Primum par, à cerebri basi, qua sinui innititur, cui glandula insidet, cerebri pituitam excipiens, initium ducit, & antrorsum nonnihil obliquè fertur, dextro quidem nervo sinistrorsum, sinistro autĕ dextrorsum protenso. In progressu mox ab ipso ortu, ambo invicem coëunt, atq; ad eum permiscentur modũ, ut dextrũ, à sinistro, nulla prorsus ratione, queas discernere. Hi sanè nervi à cõgressu è calvaria ducĕdi, invicĕ mox dirimuntur, & per foramina ipsorũ causa, capitis ossibus insculpta, in-

πύελος. Pelvis.

Reticularis plexus non reperitur in homine.

Plexus choroides.

Animalis spiritus generatio.

Olfactus organum.

Septem nervorũ cerebri paria.

Primũ par, nervorum cerebri mollium.

in oculorum ſedes, extra calvariæ cavitatem procidunt. In oculos ubi ſubierūt, in latam degenerant expanduntúrve tunicam, quam à retis ſimilitudine Retiformē vocant, de qua interim paulò pòſt fuſiùs diſſeremus. Inter reliquos autem corporis nervos, hi optici ſoli meatu, qui ſenſu dijudicari poſſit, perforati creduntur: hincq; adeò Herophilo & Eudemo πόροι ὀπτικοί, id eſt, meatus viſorii, aliis nervi viſorii, appellati ſunt. Secundū par, paulò poſteriori mage cerebri parte, quàm viſorii ex cerebri baſis lateribus principium ducit, & ad foramen in oculorum ſedis radice, ſibi cum aliis quibusdā vaſis cōmune proripit. Simul atq; verò è calvariæ excidit amplitudine, diſſectus, in ramos ſeptem, oculi muſculorum motus efficit, & abſolvit. Tertium, duabus radicibus invicem diſtantibus utrinque enaſcitur: una quidem craſſiore, cui opportunè tertii paris nomen accōmodaveris: altera tenuiori, & duriori. Gracilior hæc tertii paris radix, exoritur à latere baſis cerebri, ubi dorſalis medulla ab ipsâ cerebri ſubſtantiâ, initiū ducit. Hinc rectò tramite ſub cerebri baſi antrorſum progrediēs, durā cerebri membranā perforat, & ſecūdo nervorū pari attenſa, cū ipſo per cōmune foramen in oculi ſedē procidit, in quatuor diſſecta propagines, quarum prima, per peculiare foramen, ad frontis cutē, & muſculoſam huius ſedis ſubſtātiam digeritur. Altera, in anteriorem ſuperioris maxillæ ſedē prolabitur, multipliciq; ſerie in muſculos ſuperius labrum, & naſi alam extrorſum in ſuo latere moventes, & demū in ipſum labrū, & inciſoriorum dentiū gingivas, diſpenſatur. Tertia, narium adit amplitudinē, inibi in narium tunicam degenerans. Quarta, ad internam temporalis muſculi ſedem contendit, tota in eum muſculum abſumenda. Craſſior maiórve à latere baſis cerebri, anterius tamen, principium ſumit. Hæc ſtatim ab egreſſu propaginē de ſe ſe mittit, quæ vitis, aut cucurbitæ capreoli ad inſtar involvitur, ac binos tandem quinti paris nervorum cerebri ramulos, in conſor-

Secundum.

Tertium.

tium admittens, ipsisque unita in temporalem musculum inseritur, ac in mansorium ramulos porrigit, deinde & musculis buccas moventibus, ipsisque demum faciei cuti, in buccis, surculos offert distinctos. Postquàm verò crassior hæc radix propaginem iam dictam de sese prompsit, nonnihil deorsum descendens, surculum in gingivas molarium dentium derivat, ipsisque adeò dentibus seriatim soboles distribuit plurimas, ad exquisitum eorundem absolvendũ sensum. Dein priusquàm declivis linguam contingat, ramum posteriori ex parte, promit, qui musculo in ore delitescenti, & maxillam inferiorem attollenti insertus, inferioris maxillæ foramen adit. In foramen delapsus, tantisper antrorsum fertur, quousque sui lateris dentium inferioris maxillæ radicibus, singulas offerat soboles. Non minima verò ipsius portio, dextri sedi inferioris labri, complures surculos derivat, & communicat. Maior verò portio, crassioris huius radicis, quando linguæ basi committitur, cum alterius lateris nervo, linguæ tunicã efformat, aptũ saporib. dignoscendis instrumentum proximũ. Deinde & exiguos quoq; surculos, penitiùs in linguæ substãtiam dispensat. Proinde ut primũ par, visus, ita hoc, tertium cerebri nervorum par, gustus cẽsetur instrumentum. Quartum, à dorsali medullæ principio, posterius paulò quàm tertiũ par exoritur, sed antrorsum modicè tensum, posteriori tertii paris sedi, committitur, atq; unà cum illo, per cõmune ipsis foramen, ex capitis amplitudine, ad palatum elabitur, quò simul atque pervenit, in surculos quosdam divisum, in palati tunicam degenerat Quintum par, nonnihil quarto crassius, ac veluti pluribus enatum surculis, invicem mox ab ortu connexis, principium ducit ex media propemodum dorsalis medullæ sede. Hoc par universum, potumq; per foramen fertur impensè tortuosum, & præcipuè ipsi incisum, quousque in cavitatem pertingat auditus organo præparatam : ubi naris scinditur, & propagines membranæ modo latas,

Instrumentũ saporum.

Gustus instrumentum.

Quartum.

Quintum.

tas, insignes huius cavitatis sedibus affert, auditus organi non minimam partem constituens. Præter has propagines, binos educit nervulos, qui seorsim per proprium foramen elabuntur. Vnus non procul ab egressu, tertii paris ramo, commiscetur, instar vitis capreoli involuto. Alter verò per foramen repit impensè arctum, & insigniter quoq; tortuosum, & immissam illi setam non admittens: ob idq; etiam cæcū appellatū. Is nervulus, transversim super musculum ducitur, qui à iugali osse pronatus, inferiorem maxillam movet. Vbi verò ad anterius usque eius musculi latus, antrorsum prorepsit, dicto tertii paris ramo commiscetur, in genarū cutem, & musculos buccæ motuum autores, digerendus & absumendus. Cęterùm iuxta quintum nervorum par, interius paululum alia exoritur radix, quinti paris radice, multò gracilior, sed quodammodo durior. Hæc sursum, versus priora cerebri, sub basi aliquandiu protensâ, duram cerebri membranam perforat, ac per propriū foramen, sub secundi paris foramine exculptum, è calvaria procidens, in temporalem musculum, illúmque, qui in ore delitescens maxillæ ad superiora motus author censetur, diffunditur. Hanc radicem, cum sua coniuge, liceret utique nobis peculiaris coniugii loco recensere. Verùm ne aliorum anatomicorum numerus perturbetur, eum quinto pari adscribemus. Sextum par nervorum cerebri mollium, paulò inferius, quinto pari, aliquot distinctis, & à se invicem diremptis surculis initium sumit, qui mutuò mox ab initio commissi, unum efformant nervum, qui non procul ab egressu, in musculos posteriorem cervicis sedem occupantes, ramum diffundit, numerosa utcunque serie in soboles digestum: quarum præcipuæ, musculo exporriguntur scapulam moventium, secundo. Ipse autem sexti paris truncus, soporariæ arteriæ & septimo pari cohæret, & simul cum ipsis membranæ interventu connexus, ad laryngis usque latera expanditur, inibi portionem, à septimo pari

Cæcum foramen.

Sextum.

assumens, illaq; se augens. Dein quum hanc ascivit portionem, laryngis musculis, ramulos transversim exhibet. Hinc soporali arteria, & interna iugulari cōcomitatum hoc nervorum par sextum, ad thoracis usque elatiorem sedem descendit, ac mox insignem utcunq; propaginem ad primæ thoracis vertebræ latus, seu potiùs ad anteriorem primæ thoracis costæ radicis sedem, derivat. Preter hanc propaginem iuxtà superiorem thoracis sedem, ramulos, musculo offert, à pectoris osse, & clavicula ad mamillarē capitis processum deducto, & ab eo, qui capitis motibus inservit, ac musculo, qui os veluti referens, hinc à pectore accedit Prætereà, & illi, qui hinc, ad infimam primæ cartilaginis laryngis, sedem, perfertur. Ita hactenus uterque sexti conjugii nervus, priusquàm cavitatem thoracis subeant, distribuitur.

Dexter nervus recurrens.

Quùm autem, dexter sexti paris, nervus, thoracis cavitatem ingressus est, atque inter arterias & venas in iugulo repit & disseminatur, ab interiori ipsius latere, modò tres, modò duos, invicem mox succedentes ramulos, diffundit, qui ad arteriam, quæ in dextrā alam exporrigitur, veluti ad trochleæ rotulam revoluti simul coëunt, nervumque unum efformant, ad dextrum asperæ arteriæ latus sursum excurrentem, qui ob id nervus dexter recurrens nuncupatur.

Sinister recurrens aliàs vocalis dictus.

Sinister iam thoracis cavitatem ingressus, arteriæ in sinistrum propagatæ ramulos, qui sursum reflecterentur, de se porrigere nequit, quòd ea obliquè sursum, non autem arteriæ dextræ modo, transversim in axillam contendit. Proinde hic sinister nervus tantisper versus cordis basim descendit, quousque extra cordis involucrum arteriæ magnæ contingat truncum, qui deorsum ad spinam explicatur. Atque hic mox tres, aut etiam pauciores à nervo educuntur surculi, qui ad arteriæ truncum, qua is ad spinam deflectitur, revoluti, invicem uniuntur, sinistrumque nervum recurrentem constituunt. Qui sursum properans, membranæ beneficio asperæ arteriæ sinistro

lateri commiſcetur: ac quùm primùm laryngem cõtingit, non minus quàm dexter nervus in ramos derivatur, qui omnes in ſui lateris muſculos deorſum capita, fines autem ſurſum habentes, ceſſant. Poſtquàm iam reverſivos exprompsêre, ſexti paris nervi, ac cordis baſim ſpectant, ramulos duos, notatu dignæ craſſitudinis, in pulmonum tunicas, cordisque involucrum diſpergunt. Quod reliquum eſt, deorſum ad ſtomachum fertur, ac dexter, dextro ipſius lateri, attenditur: ſiniſter autem ſiniſtro. Mox verò atque hi nervi, ſtomacho, membranæ interventu, laxè adnectuntur, ſinguli in binos dividuntur ramos, adeò obliquè ſecundum ſtomachum convolutos, ut dextri nervi rami, ſiniſtram ipſius ſedem in progreſſu obtineant, ſiniſtri autem rami, dextram ſedem amplexentur, Atque ita quatuor præſentes rami, ſeptum transverſum unà cum ſtomacho permeant, ac ſparsâ admodum ſerie, ſuperius ventriculi os ambiunt, contexuntque, propagines, in priora ac poſteriora ventriculi latera ſpargentes. Deinde propaginem inferiori omenti membranæ offerunt, transverſim in iecoris & lienis cavũ porrectã. Item colo inteſtino, duodeno, ac ieiuno inteſtinis, item bilis veſiculæ, meſenterio, renibus, veſicæ, & utero, ſurculos præbent. Septimum ac ultimũ par, ut cæteris paribus duriùs eſt, ſic quoque ex duriori & ſicciori naſcitur principio. Incipit enim aliquot invicẽ diſtantib. ſurculis, à dorſali medullâ, ubi iamiam calvariã eſt egreſſura. Hoc prçterquàm quòd ſextum par impensè auget, præcipuè in linguæ & oſſis *v* referentis, & laryngis muſculos, abſumitur. Priusquã verò reliqua nervorũ paria attingamus, oculi cõſtructionẽ interſeremus. Conſtituitur aũt oculus: ex ſeptem tunicis, & tribus humoribus. Prima tunica, in quam viſorius nervus expanditur, mediam oculi ſedem in anteriora duntaxat ambit, vitreiq; humoris poſteriori ſedi ꝓximè obducitur, illũ integens, & dilatatæ ſubſtantiæ admodum ſimilis, ac proinde mollis, & veluti mucor

Nervi phrenici diaphragmatici & ſtomachici.

Septimum.

Oculi conſtructio, hoc eſt tunicæ & humores.

Prima retiformis.

aliquis è naribus procidens, nihilque minus quàm membranea existit: ut hoc nomine Anatomicorum nõnulli hanc tunicam appellare haudquaquam voluerint. Hæc forma, dimidiato tantùm ovo comparatur, aut minori piscatorum reti, quod uni accommodatur baculo, & ex amplâ basi dimidiati globi modo in obtusum mucronem fertur. Ab hujus itaque retis imagine præsens tunica Græcis ἀμφιβληστροειδὴς, Latinis retiformis dicta est. Altera tunicula, universæ anteriori sedi, crystallini humoris, instar tenuissimæ ceparum pelliculæ obnascitur: durior tamen priore tunica, nulla parte posteriorem ipsius sedem contingit, sed inibi finit, ubi crystallinus humor amplissimus cernitur. Hanc à continuarum araneæ telarum imagine, & quòd tenuissima ac pariter pellucida sit, Græcis ἀραχνοειδής, Latinis araneiformis appellatur. Tertia tunica, ex tenui procreatur membrana. Quippe hæc, simul atque cum nervo oculum subit, in tunicam degenerat, ad omnes oculi sedes, globi modo pertinentem. Non enim, uti primam, posteriorem tantùm oculi sedem occupat, verùm & anteriori quoque oculi parti obducitur, & in tota posteriori oculi sede primam tunicam proximè investit. Quà verò anteriori oculi sedi obducitur, interna sua superficie undiq; aqueum sive albugineum vocatum humorem contingit & complectitur. In anteriori regione nonnihil introrsum comprimitur, & in hujus compressionis medio, foramine quodam pervia est, quod nobis pupilla, Græcis autem κόρη nominatur. Adeò ut hæc tunica, uvæ folliculo, à quo pedunculus, quo firmatur, extractus est, quàm simillima existat. Hinc Græcis ῥαγοειδὴς, Latinis uvea dicitur. Quoniam verò ex tenui cerebri membrana hæc tunica cõstituitur, & quòd oculi venas & arterias sustinet, perinde atque tenuis membrana cerebri vasa suffulcit, aut quòd multorum vasorum involucri fœtus instar est vinculum, Græcis etiam χοροειδής, nostræ

Retiformis tunicæ figura.

Secunda Arachnoides.

Tertia tunica.

Quarta secundina.

ætatis

ætatis medicis Secundina nominatur. Atque eam quidem partem, quæ poſteriorem oculi ſedem occupat, & nigra eſt, quartam eſſe tunicam recentiores arbitrantur. Quinta à durâ cerebri mẽbranâ viſorium nervum inveſtiente naſcitur. Quum primùm enim, hæc membrana oculi poſteriori ſedi adjungitur, dilateſcit, & craſſior ac durior evadẽs, orbiculatim undique oculo obducitur, tàm in anteriora, quàm in poſteriora pertingens. Hæc autem, perinde atque prior, non ſimplici donatur nomine. Qua enim parte poſteriorem oculi ſedem conſtituit, & in anteriori ſede, ad Iridem usque, (quæ non eſt niſi major oculi circulus, quo album oculi, à nigro diſtinguitur) pertingit, craſſa & dura eſt, unde Græcis σκληρότης, Latinis dura nuncupatur. Ea verò ſede, qua oculi nigrum contingit, hæc tunica, in cornu quodammodo ſubſtantiam degenerat, quod in laminas diviſum, & exactè lævigatum, vitri alicujus lucernæ accommodatur, pellucidumq; eſt. Atque hinc eſt, quòd Græcis κερατοειδής, Latinis verò Cornea vocatur. Septima tunica eſt ea, quæ anteriori quoque, duræ tunicæ parti, ad Iridem usque obducitur. Hæc quia oculum continet, & vicinis partibus committit, Græcis ἐπιπεφυκώς, Latinis adhærens, Barbaris coniunctiva appellatur. Alba quoque à colore, quem obtinet, nuncupatur. Hactenus oculi tunicas enarravimus. Inter tres ejusdem humores, oculi cẽtrum, eſt humor, qui Græcis κρυσταλλοειδής, Latinis Glacialis & cryſtallinus vocatur, à ſimilitudine, quam cum lucidiſſima glacie obtinet, non quidem in conſiſtentia, & duritie, verùm in colore. Albus enim, clarus, lucidus, ſplendens, & mediocriter durus eſt. Ab oculo exemptus, non eſt exactè rotundus, ſed anteriori & poſteriori parte leviter cõpreſſus, ad lentis ferè ſimilitudinem, unde etiam Græcis φακοειδής dictus eſt Alter humor in poſteriori oculi ſede reponitur, vulgari quidem albo vitro jam refrigerato, colore & luciditate reſpõ-

Quinta dura.

Iris.

Sexta cornea.

Septima adhærens.

Humores oculi tres.

Cryſtallinus.

Vitreus. dens, hinc Græcis ὑαλοειδής, Latinis vitreus aut vitriformis dicitur. Hic humor multis numeris copiam cryſtallini humoris ſuperat, & quum adhuc in oculo ineſt, ſemiglobo ſimilis eſt, cujus plana ſuperficies, oculi anteriora ſpectat, rotunda verò in poſteriora protendit. Conſiſtentia ſua humore cryſtallino longè mollior viſitur, & ab oculo exemptus, ſuam formam neutiquam ſervat, quamvis interim aquæ modo non defluat, ſed ita cōſiſtat, quemadmodum vitrum in fornacibus fuſum. Cæterùm univerſum illud ſpacium quod inter anteriorem cryſtallini humoris ſedem & pupillam habetur, humore adimpletur, qui aquæ modò tenuis & pellucidus eſt: & ob id Græcis ὑδατοειδής, Latinis verò aqueus, quaſi dicas, aquæ inſtar fluxilis vocatur. Quamquam nonnulli hunc, ovi albo comparantes, albugineum etiam nūcupant. Iam reliquum eſt, ut alia quoque nervorum paria commemoremus. Nervi autem à dorſali medulla, in vertebris concluſa principium ducentes, triginta complectuntur paribus, quorum ſeptem cervicis à vertebris exiliunt, duodecim à thoracis, quinque à lumborum, ſex à ſacri oſſis, nullo interim nervo à coccyge oſſe proſiliente. Quæ à cervicis vertebris prodeunt, nervorum paria in muſculis ipſis adnatos, proximosq; digerūtur: & à quarto, quinto, & ſexto, parium ſurculis utrinque unus efficitur nervus, ſepto transverſo proprius. A quinto, ſexto & ſeptimo paribus, varius nervorū conſurgit textus: quemadmodum alibi fuſiùs in Anatomicis noſtris docuimus. A jam dictis verò paribus, & dein à primo & ſecundo thoracis, ſex in brachium pullulant, præter varias ſoboles, ſcapulæ cavo, & gibbo, diſperſas. Ac primus brachium ſubiens nervus, ejus quinti paris nervorum rami ſoboles eſt, qui in muſculi brachium attollentis ſedem, à ſcapulæ ſpina pronatam, digeritur. Atque hæc ſoboles impensè gracilis in cutem brachii externæ ſedi obductam diffunditur. Secundus per axil-

Nervi à dorſali medulla orti.

A cervicis vertebris.

A thoracis.

Primus brachiū ſubiens nervus.

Secundus.

lam.

lam, brachium ingrediens, ramulosque priori cubitum flectentium musculo præbens, insignem ipsius portionem, tertio accedenti brachium nervo impartitur. Ipse verò in cubitum festinans, & ramulum, primo, radium in supinum ducenti musculo, exhibens, cutem subit, ac in varias dissectus propagines, superioris interiorisque cubiti sedis cutem ad extremam usque manum implicat. Tertius per axillam *Tertius.* quoque descendens, & anterioris brachij sedis cuti ramulos depromens, ac secundi nervi portione adauctus, propaginemque communicans, posteriori cubitum flectentium musculo, per interiorem sedem interioris tuberculi ossis brachii, in cubitū properat, musculis hinc principium ducentibus, surculos unà cum quinto nervo spargens, & secundum radium exporrectus, atque in manus volam ductus, duas soboles, pollicis internæ sedi, & totidem indici quoque, & unam tantùm externo lateri interioris sedis medii, elargitur, nō infrequenter etiam medio, binos ramulos, & unum annulari afferens. Quartus *Quartus.* brachii nervus, cæteris multò crassior per axillam ingrediens, & ramos musculis cubitum extendentibus disseminans, per brachii posteriora, ad externum ossis brachii tuberculum contendit, in cutem priùs duas diffundens soboles. Nervus ad hanc externam articuli cubiti sedem positus, ramum in cutem externæ cubiti sedis ad brachiale usque spargens, & mox in duos veluti truncos divisus, musculisque ab externo brachii ossis tubere pronatis, soboles dans, unum truncum ulnæ exporrigit, à quo ramuli in musculos ab externa ipsius sede pronatos, digeruntur: ipse autem truncus juxtà brachialis radicem cessat. Superior verò truncus, radio exporrigitur, & præter surculos graciles, quos accumbentibus præbet musculis, brachiale petit, & duos ramulos externæ pollicis sedi, ac duos item indicis, & unum medii digiti interno lateri, impartit. Quintus nervus arteriæ brachii proximus in axilla latitat, *Quintus.*

& nullas omnino soboles in brachio à se deducens, in cubitum per posteriorem interioris tuberculi ossis brachii sedem pertingit, ac musculis hinc pronascentibus, unà cum tertio nervo ramos communicãs, per ulnam ad brachiale excurrit, in medio ductu ramum diffundens, qui duobus surculis, in externam parvi digiti sedem, & duobus item in annularis, & uno in medii exterioris sedis externũ latus absumitur. Quicquid verò quinti nervi internam brachialis sedem adit, interiori parvi digiti sedi & annularis & medii ramulos offert. Sextus nervus insigniter gracilis, per internam brachii sedẽ sub cute deducitur, & in progressu ramulos quosdam in cutem diffundẽs, ad cubitum pertingit, in cujus cutem, per ulnã ad brachiale usque crebris surculis disseminatur. Porrò à nervis è thoracis vertebris prosilientibus, præter ramos, qui retrorsum ad spinas vertebrarum, & hinc in musculos, ab illis principium ducentes porrigũtur, singula costarum intervalla, singulos sibi ramos vendicant, ad pectoris & abdominis usque medium orbiculatim pertingentes, & musculis thoraci instratis, abdominisq; musculis, & demùm cuti surculos dispergentes. Ad hæc ab intercostalibus nervis, portiunculæ digeruntur, quæ sexti paris nervorum cerebri propagines, costarum radicibus exporrectas adaugent. Cæterùm distributio è lumborum vertebris progredientium, thoracis nervis magna ex parte respondet, quòd è singulis, rami retrorsum ducantur, in musculos vertebris adnatos disseminati, & per ilia ad abdominis medium circulatim ascendunt, ramulos proximis musculis, & cuti elargientes, verùm à primo horum pari, ad testes, cum seminalibus arteriis propagines quàm minimæ pertingunt. A quatuor autem humillimis paribus, nervi in crus procidentes principium sumunt. Primum insuper sacri ossis nervorum par, similiter ac thoracis, & lumborũ paria, è vertebris elabitur. Quinque autem humiliora sacri ossis paria, nõ à lateribus prosiliunt, verùm una

Sextus.

E lumborũ vertebris.

A sacro osse.

radice

radice antrorſum, altera retrorſum egrediuntur, & poſterioribus radicibus, in muſculos ſacro oſſi, & ilium oſſibus adnatos, & cuti ſparguntur. Anterior verò primi paris ramus, unà cum anterioribus, trium ſuccedentium parium radicibus, omnium maximum nervum in crus diſſeminatum conſtituit. Humiliorum autem parium radices, in veſicam, anum, & penem, aut mulieribus in uteri cervicē, & pudendi colliculos deperduntur. Cæterùm quatuor nervorum in crus progredientiū primus per ſextum femur moventem muſculum, deducitur, ac in externam femoris cutem ramum diſſeminans, in muſculos abſumitur externum femoris latus occupantes. Secundus ſimul cum grandiori femoris vena, & arteria femur ſubit, mox ramum depromens, per internum femoris & genu articulū, & tibiæ regionem ad ſummum usque pedis, digitorumque extrema, ſub cute ſimul cum vena deſcendens, huc illucque ramos digerens. Quod verò ſecundi nervi eſt reliquum, in muſculos ceſſat anteriorem femoris ſedem contegentes. Tertius nervus pubis oſſis foramen perreptans, nono & decimo femur moventibus muſculis ramulos offert, ſobolemque derivat in internam femoris cutem aliquousq; ſparſam: reliquum autem ejus nervi in ſecundum tibiam moventem muſculū, & quintum femur moventem ſpargitur, in interna femoris ſede ibi locatus. Quartus omnium corporis nervorū, qui ex pluribus nervis conſtruuntur craſſiſſimus, ubi coxēdicis os à ſacro dehiſcit, in poſteriora femoris ducitur, ramum in cutem femoris poſteriorē ſpargens, qui paulò ſub media femoris longitudine ceſſat. Humiliori enim ſedi, alius offertur ramus, à quarto propagatus nervo, qui etiam muſculis à coxendicis oſſis infima poſteriorique ſede pronatis, ſoboles exhibet, uti & muſculis ab inferioribus femoris capitibus, exortis. Dein in poplitis regione, in duos diſſectus truncos, graciliorem exteriorémve ad fibulæ cum tibiæ oſſe juxtà genu articulum defert, à quo ramus ad

Quatuor nervi crus petentes.

2 [Secundus]

3 [Tertius]

4 [Quartus]

externam tibiæ cutem, dispergitur. Ejus verò trunci reliquum fibulæ exporrigitur, ubi septimi & octavi pedem moventium musculorum pendet origo. Porrò grandior interiórve truncus ramum in internam tibiæ cutem, & in suræ pariter cutem, ad calcem usq; porrigit. Ipse verò in musculis suram constituentibus occultatus, ramum per ligamentum membraneum mittit, quo fibula tibiæ alligatur. Hic ramus musculis anteriorem tibiæ sedem obtinentibus reconditus, tandem in pedis superiora contendit, inibi digitis oblatus. Præcipua ejus grandioris trunci portio, secundum tibiæ posteriora, deorsum properans, & nonnullas soboles huc illuc musculis exhibens, inter calcem, interioremq; malleolum pedis humiliora adit, & exiguas admodum soboles, musculis inibi repositis offerens, inferiori singulorum digitorum sedi, duas propagines communicat.

DE FACVLTATIBVS.
SECTIO VI.

QVID FACVLTAS.
Cap. I.

Facultas.



Acultas, quæ Græcis δύναμις dicitur, Gal. lib. 1. de Naturalibus facult. teste, non est nisi causa, à qua procedit actio. Vel, ut aliis verbis, lib. 1. de Simplic. medicam. facult. cap. 1. idem definit, causa quædã effectrix. Ita quoque in libro de Plenitudine facultatem appellat causam effectricem, nihilque referre arbitratur, δραστικὴν, an ποιητικὴν dicas. Nec aliter definit facultatem in libello de Facultatum substantia, item in libro de Causis pulsuum primo, multisque aliis locis; quæ nihil attinet referre. Vt in promptu sit, Galeno nihil aliud

aliud facultatem dici, quam efficientem rei cujusque causam, quæcunque tandem ea sit. Facultas autem ideò est appellata, Galeno in libro de Facult. essentia, teste, quòd quæ facit facere possit: vel, ut alii dicunt, quòd agendi operandive potestatem habeat. Verbi gratia, aloën tot facultates habere dicimus, quot res facere potest. Itaque hanc purgare posse, & stomachum roborare, & vulnera glutinare, ulcera plana, cicatrice inducere, & humentes oculos siccare, cùm omnibus constet: ideò aloën purgandi facultatem, & stomachum roborandi, & vulnera glutinandi, & ulceribus inducendæ cicatricis, & oculorum humores exiccandi: in summa, aloën tot habere facultates, quot actiones dicimus. Facultas verò hæc, sive causa & principium actionis, Galeno non est nisi naturalis constitutio, seu rerum nativa temperies. Quamquam enim alicubi, præsertim lib. de Causis pulsuum primo, disertè se ignorare facultatum essentiam fatetur: tamen in libro primo de Simplicium medicamentorū facultatibus, capite primo, non aliud, nisi certam quandam elementorum temperiem, aut temperamenti proprietatem, id est, proprium singularum partium temperamentum esse affirmat, quo nomine naturam 2. sect. Aphoris. Comment. 51. & lib. 2. de Sympt. causis, cap. 1. multisque aliis locis appellat temperiem. Et in lib. 1. de Præsagatione ex pulsibus idem asserit, ubi in hunc modum scribit: Facultatis essentia in singularū partium commodo temperamento est posita. Nam tùm demum suum quæque munus obit strenuè, ubi est temperatissima: contrà malè fungitur, si intemperata est. Prætereà, in li. 2. ejusdem Operis: Nihil, inquit, in illis commentariis attulimus de facultatis essentia: neq; enim prius hoc decretum, quàm undique reperissem constans, pronunciare fui ausus. Nunc verò essentiam facultatū, adducti sumus, nihil esse præter qualitatem temperamenti. Hæc ille: Quæ sanè verba ideò recitanda nobis esse duxi, quòd Galeni eâ de

Facultas cur, & unde dicta?

Aloes facultates quæ.

Essentia facultatis quæ.

Natura.

re sententiam perspicuè ostendant, & causam cur de facultatum essentia aliis in locis dubitaverit, exponant. Denique in libro de Plenitudine, manifestis verbis, facultatum gubernantium corpus essentiam, temperamenti proprietatem existere asserit. Læsam igitur esse alicujus partis facultatem, nō est, nisi temperamentum ejus esse alteratum. Vt magna intemperies, non sit nisi læsa facultas. Contrà, bona & legitima substantiæ partium temperies, est ejusdem facultas. Natura igitur architectrix corporis, in ipso statim structuræ nostræ initio, summa quadā & admirabili arte facultates quasdam indidit corporibus, quibus servari creata à natura animantia cuncta possent. Nisi enim à natura facultates quædam, ab initio statim insitæ essent, durare hæc ipsa non possent. Ideò factum est, ut partes suis quæq; facultatibus insignitę, totum ipsum integrum servent, iis actionibus quæ ad animalium conservationem conferre plurimùm videntur. Atq; hæc planè de facultate loquendi ratio medicis est accōmodatissima, ut qui in profligandis morbis, & tuenda sanitate aliò non respiciunt, nisi ad hanc temperamenti proprietatē: quam, si temperata est, omni studio sartam tectam conservare nituntur: sin intemperata est, ad mediocritatem & convenientem temperaturam reducere student.

Quando, & quo significato partium facultates læduntur.

Quod monendum esse putavimus propter eos, qui facultatem esse vim illam & potestatem dicūt, quam anima ex se profert, & tanquam de sinu suo promit, actionesque edit. Quorum certè sententia, facultas non est nisi insita & ingenita animę vis, & proprietas, quæ ipsa quidem est accidens, & nulla essentiæ portio, sed intimum quiddam & ingenitum. Verùm hic loquendi modus Philosopho magis, quàm medico convenit ideoque Galeno neglectus. Nam Philosophis facultas seu potentia non est, nisi vis animæ alicujus actionis causa effectrix. Galenus in temperamentum actionis causam refert, ut qui animam non esse nisi temperamentum statuat. Ab hac itaque seu facul-

Aliorum de facultate opinio.

facultate, seu temperie fovetur, perstat animantium, stirpium & metallorum omne genus, & quicquid usquam consistentiam, in suo genere quandam habet, qua tale esse dicitur.

FACVLTATES CORPVS NOSTRVM gubernantes tres. Cap. II.

CVm Galeno facultas non sit, ut demonstratum est, nisi effectrix causa, tot certè eidem Galeno erunt facultates, quot efficientium causarum propriæ insunt corpori differentiæ. Sunt autem efficientium causarum tres differentiæ: igitur tres quoque animal gubernantes facultates erunt, diversi inter se generis, & sedibus disclusæ, totique corpori ex suo quodam veluti fonte, quæque distributa, naturalis scilicet, vitalis & animalis. Plato, in quarto de Republ. Galenus etiam libr. 9. ther. Meth. cap. 10. animas nominat. Esse autem diversi generis, hinc maximè patet. Cùm enim unamquamque temperamenti proprietatem, sua sequatur facultas, unamquamque verò facultatem sua actio: ut diversæ inter se cujusque partis sunt actiones, ita diversæ ejus sunt etiam facultates. Et ut hæ ipsæ inter se sunt diversæ, ita temperamenta quoque diversa sint, oportet. Animalis est, quæ ex cerebro, per nervos, ceu canales, sive rivulos quosdam, sensum & motum in universum corpus transmittit, ac intellectum fovet. Hinc Galeno, & aliis Græcis λογιστική, hoc est, ratiocinatrix alio nomine dicta est. Sic verò nominata est, quòd solis animalibus insit, non etiam stirpibus. Ea quidem volũtariis actionibus unà cum sensibus præsidet, & in crebro domicilium habet, & inter tres facultates primum & summum obtinet locum. Vitalis est, quæ ex corde, in quo sedem habet, ceu quodam insiti caloris fonte, per arterias, veluti canales, vitam toti corpori impertit. Hæc non

Tres facultates animal gubernantes.

Facultates sunt diversi generis.

Animalis.

λογιστική.

Vitalis.

modò ut stirpibus, aut vita præditis, sed etiam ut animantibus nobis insita est. Græcis tùm medicis, tùm philosophis, Stoicis maximè, alio nomine θυμοειδής, hoc est, irascibilis, quòd ira à corde procedat, seu animosa vocata est. Irascibilem autem facultatē in corde sedem obtinere, multis veterum poëtarum testimoniis Gal. lib. 3. de Placitis Hippoc. & Platonis confirmat, quæ brevitatis ergò præterire placuit. Atque hæc secunda, & quasi media, aut in medio corporis sita est facultas. Naturalis est, quæ ex jecore, per venas omnibus partibus corporis, alimoniam præstat. Græcis alia appellatione ἐπιθυμητική, id est, concupiscibilis, seu appetitrix, & θρεπτική, hoc est, altrix vocatur. Appetitricem autem hanc facultatem jecur pro fonte habere, Homerus Odyss. Λ, & inter Latinos poëtas Ovid. eleganter ostenderunt, ubi Tityi propter stuprum, quod Latonæ offerre conatus est, jecur vultures rodere finxerūt, utpote in eam partem illato supplicio, unde injuriæ origo extiterat. Hæc tertia & infima est facultas. Ex jam dictis tribus illis facultatibus, animalis & vitalis, influentes dicuntur: naturalis vero, insita, ingenita, innata. Cæterùm hæ facultates tres, à medico non solùm in sanis, sed & ægris magno studio cōservandæ sunt. Nam has servare, ut Galeni lib. 9. Therap. metho. cap. 10. verbis utar, nihil planè aliud est, quàm vitam servare. Cùm autem vita, Galeno ibidem teste, non sit nisi ipsæ vires, aut earū actiones, maxima mehercle virium erit dignitas, quando vivere ipsum nobis ex harum custodia constet. Virtus igitur omnium prima custodienda est, adeoque si in morbo aliquo extrema imbecillitate laborant vires, priusquam morbo medeamur, vires instaurandæ sunt. Proinde toto hoc tempore, quo vires ac facultates reficiuntur, eorum quæ morbum sanant, nihil planè ægroto exhibendum erit, ut lib. 5. fusiùs dicetur.

θυμοειδής. *Naturalis.* *ἐπιθυμητική.* *θρεπτική.* *Influens.* *Insita.* *Facultates corpus nostrum gubernantes à medico conservandæ.* *Vita quid.*

ANI-

ANIMALIS FACULTATIS genera. Cap. III.

Animalis facultatis tres differentiæ.

VNiverſum animalium facultatum genus Galenus in tres partitur differentias facultatem, ſentientem ſenſúsve effectricem, moventem, & principem. Sentiens, quæ Græcis αἰσθητικὴ dicitur, quinq; in ſpecies diſtribuitur, nempe facultatem videndi, audiendi, odorandi, guſtandi, & tangendi.

Sentiens.

Qua enim videt animal, ea ipſa facultate nec audit, nec odoratur nec guſtat, nec tangit: tanta ſcilicet eſt inter eas diverſitas, quàm & inſtrumentorum, & ſubiectorum in quę incumbunt, varietas peperit.

Videndi facultas.

Videndi facultas eſt, quæ in oculo ſita colores per medium excipit. Conſedit autem in cryſtallino humore, qui pellucidus, primum eſt videndi inſtrumentum, humoribus circunfuſum, tunicisq;, de quibus ſuo diximus loco, ſeptum, quæ uſum ei conferunt. ut melior perfectiorq; fiat viſio.

Audiendi.

Audiendi facultas in auribus ſita eſt, ſonos percipiens, eiusque diſcrimina dijudicans. Audiendi autem inſtrumentum præcipuum eſt quinti paris cerebri nervorum alter, qui cavitatem temporis oſſi inciſam membranæ modo oblinit, non quidem univerſam, at quibuſdam tantùm ſedibus, quaſi ea nervi portio, in plures divideretur membranas, aliquot eius cavitatis regionibus obductas.

Inſtrumenta auditus.

Non temerè verò dictum eſt Præcipuum: non enim ſolùm nervus ille membranæ modo dilatatus, ſed & oſſicula tria, quorum unum incudi, alterum malleolo, tertium ſtapedi aſſimilatur, cum aëre quodam prætenui auribus ingenito, & membrana obvoluto, ad aurium imam capacitatem poſito, quo auditorii nervi extremum pertingit, auditus inſtrumenta ſunt. Nec abs re dictum eſt, Cum aëre ingenito ſeu interno: exterior enim medium eſt, per quod auditio fit.

Odorandi facultas.

Odorandi facultas odores percipit, eorumq; diſcrimina dijudicat.

Inſtrumenta olfactus.

Eius proprium inſtrumentum extra calvariam non excidit, ſed ſunt proceſſus quidam cerebri albicantes, nervis non abſimiles, in an-

teriori cerebri parte ducti, ad sinus octavi cap. ossis, qui horum gratia parati sunt, pertingentes. Oriuntur autem, non ab anterioribus ventriculorum cerebri sedibus, quòd ventriculi cerebri, qua maximè in anteriori cerebri parte consistunt, antrorsumq; spectant, ampli & lati, neutiquam in angustum cogantur: sed à posteriori potius eorundem sede, cornu modo per cerebri substantiam deorsum descendentes, atque antrorsum porrecti à cerebro abscedunt, neq; amplius tenui membranæ connati, in suum singuli porriguntur sinum: & adhuc antrorsum magis protensi ad sinuum finem, seu anteriorem ipsorum sedem desinunt, finibus suffulti, ac cerebro interim proximè accumbentes. Illic itaque constituta odorandi facultas per narium ductus, ossaq; cribri modo perforata, unà cum aëre haustos rerum odores comprehendit. Gustandi facultas rerum sapores internoscit. cuius quidem instrumentum esse linguam oris amplitudini ad amussim congruentem, medicis iuxtà ac philosophis concessum est omnibus. Gustus enim occasione à tertio pari nervorum cerebri, nervus linguæ offertur, qui hoc nomine gustatorius anatomicis appellatur. Maior enim portio crassioris radicis iam dicti nervorum paris, simul atque, linguę basi committitur, cum alterius lateris nervo, linguæ tunicam efformat, aptum saporibus dignoscendis instrumentū, ut suo quoque loco monstravimus. Tangendi facultas, tangibiles qualitates differentiásve animadvertit, ut sunt durities, mollities, lentitia, friabilitas, levitas, gravitas, densitas, raritas, asperitas, lævitas, crassitudo & tenuitas. Vt autem reliquæ facultates, propriis conclusæ sunt instrumentis, ita tangendi facultas nullo proprio coëcetur organo. Cùm enim tactus ad animantis vitam sit maximè necessarius, toto corpore æquabiliter, nervorum ope, fusus est. Vt toto cælo erret Aristoteles, qui in libello de Sensu, organum tactus in corde locare videtur. Porrò iam ordine commemoratas facultates, alii quinque

Gustandi facultas.

Tangēdi facultas.

Tangibiles differentię.

Aristotelis error.

que ſenſus externos nominant,non certè quòd foras expromti ſint & promineant: id enim falſum eſſe, vel unus odorandi ſenſus ſatis oſtendit: ſed quòd externarum rerum propriis inſtrumentis cognitionem capiant. Atq; hæc de prima animalis facultatis differentia dixiſſe ſatis ſit. Movens facultas ut unum, idq; certum ſibi vendicat inſtrumentum, muſculum nimirum: ita & motionis modum ipſum obtinet unũ, voluntarium ſcilicet. Hęc ſanè facultas, quæ voluntatis imperio movet, alio nomine καθ' ὁρμὴν, & πρακτική propriè vocatur, quaſi factricem dicas. Tertia animalis facultatis differẽtia princeps, quòd à principe parte prodit triplex eſt, Galeno authore, nempe imaginatrix, ratiocinatrix, & memoratrix. Ariſtoteles, Theophraſtus, Themiſtius & Peripatetici ferè omnes, quartam adijciunt, quam ſenſum communem nominant. Hanc autem Galenus ſub imaginatrice complexus eſt. Nam hæc imagines ab exterioribus ſenſibus oblatas apprehendit, & ſingulorum ſenſuũ obiecta diſcernit. Quod dum facit, neceſſe eſt, ut formas & imagines quas ſenſus præbent, & renunciant, retineat: adeò ut digreſſis iis, quæ ſenſus ciebant, illorum tamen veſtigia, & effigies diutiùs hæreant, & cunctentur in nobis. Quapropter ſub imaginatrice facultate id etiam, quod alii ſenſum communem nuncupant, Galenus meritò complexus eſt. Cõmunis enim nulla alia de cauſa vocatus eſt, quàm quòd externis ſenſibus ceu famulatu multiplici ac vario utatur: ipſeq; inſtar regis ac principis, & tanquam iudex pro tribunali ſedens, ut Themiſtii utar verbis, de omnibus, quæ quinq; illi ſenſus ſuis quiq; officiis perfuncti annunciarunt, pronũciet, cenſeat, & iudicet. Vt igitur Philoſophi, ſenſum communem veluti è ſuggeſtu rerum omniũ imagines, à miniſtris, & nũciis ſenſibus extrinſecùs allatas, & antè ſe poſitas contemplari, apprehendere, adeoq; externarum rerum varietates diſcernere, internoſcere, iudicare, continere, & recondere ſtatuunt: ita quoq; Ga-

Senſus quinque externi.

Movens facultas.

πρακτική.

Princeps facultas.

Imaginatrix facultas.

Galenus ſub imaginatrice facultate ſenſum communẽ quare complexus.

Communis ſenſus cur dictus.

senus hęc omnia imaginatrici facultati tribuit. Quòd si igitur hæc ob cerebrū læsum depravatè movetur, imaginatio læditur, ut Theophilo medico accidit, cuius in l. de Sympt. differ. Galen. meminit. Altera principum facultatum est, quam Galenus διανοητικὴν, Latini cogitatricem, & ratiocinatricem appellant. Hæc utique conceptas species & imagines sub censum & iudicium revocat, ac quæ qualesque illæ sint, iudicat, adeoque ratiocinatur aliud ex alio eliciens, componit denique, & dividit. Omnes verò ratiocinandi notiones ab imaginibus & spectris rerum externarum, & quæ sub sensum cadunt, proficisci, hoc argumento colligitur: quod quem natura cæcum surdumque progenuit, is non possit Geometriam edoceri: neque qui odoratu destitutus est, aut gustu, possit ullam de odoribus & saporibus cognitionem animo concipere: & qui non sentit, nihil discere, vel intelligere potest. Hæc facultas, quæ de singulis ratiocinatur, contemplatur, consultat, ac iudicat, Hippocrati γνώμη, hoc est mens, Galeno διάνοια, id est, ratio, Philosophis intelligentia nominatur. Quòd si itaque cerebrum ita læsum est, ut imaginatione illæsa, tamen de conceptis imaginibus non rectè iudicet, adeoq; aliud ex alio elicere haud possit, ratiocinatrix facultas læditur. Cuius rei exemplum extat lib. 4. de Labo. locis, cap. 1. Memoratrix facultas, quæ Galeno μνημονευτικὴ appellatur, quod à prioribus est receptum, & elaboratum, ceû fidissima tutrix, conservat, retinet, ac veluti in horreum condit: & quod firma contentione servavit, in usus tùm expromit, quùm cæteræ iam cessant. Quare si cerebrum ita affectum est, ut ea, quæ à prioribus sunt recepta, & elaborata conservare nequeat, memoria lęditur. Proinde principes facultates totius sunt cerebri, in cuius toto corpore fusæ sunt, ideoq; suas actiones nō certis ac diversis cerebri locis exercēt, sed in toto potius cerebro. Vnde palàm fit, iuniores ab antiqua & cele-

Ratiocinatrix facultas quid?

γνώμη. διάνοια.

Memoratrix.

Sedes principum facultatum.

Error iuniorū detectus.

bri philoſophia, atq; medicina prorſus defeciſſe, qui imaginatricem facultatẽ priore cerebri parte, ratiocinatricem media, memoratricẽ poſteriore collocarunt: vel, ut ipſi loquuntur, imaginationem in anterioribus cerebri ventriculis, cogitationem in medio, memoriam in poſtremo ventriculo hærere putant. Hæc enim opinio ex Arabum factione primùm nata, nullis rationibus ſtabilita, partim ficta pueriliter, partim effutita temerè, ita demum iactationem habuit in populo. Siquidem non eſt neceſſe, principes illas, & interiores, ut alii vocant, facultates, ſedibus & inſtrumentis diſiungere, quum una eademq; eſſentia contineantur, ſede una firmentur, ſimilique utantur inſtrumẽto corporeo, quanquam efficiendi ratio eſt diverſa. Hinc eſt, quòd Galenus nuſquã iſta domiciliorum diſtinctione uſus ſit, ſed ſimpliciter principes facultates ſedem in cerebro habere tradit, idq; non ſolùm de ſua, ſed & Hippocratis, atq; Platonis ſententia. Vt inde perſpicuum fiat omnibus, librum de Corde inſcriptum, non eſſe ad Hippocratem authorem referendum. Nam in eo manifeſtè docetur, γνώμην, hoc eſt, rationem in ſiniſtro cordis ventriculo habitare. Verùm ſunt etiam alia multa in hoc libello dogmata Hippocrate indigna, & à ratione plurimùm abhorrentia. Vt hoc nomine nihil, aut parum illi libello fidendum ſit. Si itaque Hippocratis, Platonis, & Galeni rationibus iuniores non credunt, audiant ſaltem univerſam Græcorum medicorum familiam, qui omnes ad unum iiſdem principiis informati, læſa memoria non modò occipiti, ſed toto capiti ac cerebro, remedia adhibere præcipiunt.

Liber de Corde nõ eſt Hippocratis.

DE VITALI FACVLTATE, Cap. IV.

Vitalis facultas cur dicta.

Altera facultas, cuius unius ſedes eſt in corde, vitalis, quòd vitam in univerſum diffundat & derivet corpus, dicitur. Nam cæteras omnes, quùm adhuc rudes & inchoatæ ſunt, perficit,

easdemq; quoad vivit animal tuetur, & ad agendum impellit. Id planè declarat syncope, in qua tantisper dum vitalis facultas corporis partes non gubernat, reliquæ quoque facultates omnes pariter intermissionem faciunt. Mox autem ut ea excitata revixerit, ac seipsam collegerit, omnes illæ quasi recreatæ recurrunt. Proinde tanta est vitalis facultatis necessitas, ut citrà illius opem reliquæ ne minimùm quidē efficiant. Hinc rectè, ut comprehensum est, vitalis nomen ei impositum est, quòd præstantiore magisq; salutari vitæ genere, corpora illustret, unaq; reliquarum omnium perseverantiam, & firmitatem contineat. Est enim animantium vita, facultatum actionumque earūdem conservatio, à corde cum influente innato calore profecta. Cæterùm quum hic obiter caloris innati & influentis fit mentio, rectè nos facturos arbitror, præsertim quum ea in re Galenus varius esse videatur, si quid sit calor innatus, paulò clariùs explicaverimus. Galenus quidem in libello adversus Lycum, calidum innatum esse semen & sanguinem scribit. In sectione prima Aph. comm. 14. idem illud esse aëream & aqueam substātiam tradit, libro quinto, de Simplic. medic. facult. capite 8. de Hippocratis sententiâ, spiritum esse, aut spiritum unà cum sanguine affirmat. In com. 14. sect. 1. Aphoris. Hippocratis, substantiam insitam, & influentem, simul iunctas calidum innatum esse inquit. Vt igitur quis se ex hac varietate ac difficultate explicare possit, animadvertendum erit, Galeno calidum innatum quadrifariam sumi. Primò namque ei sic appellatur, & quidem propriè, quòd nostræ generationis primum est principium. Constat enim nullum corpus innatum esse, aut dici posse, nisi quod nobis, in ipsa prima generatione est insitum. Quùm verò corporum quæ generantur substantia ex duobus tantùm principiis, semine nimirum & sanguine menstruo, constet: ex iis namque partes omnes primò constituuntur: ut hæc ipsa duo revera sint insita & innata corpora, necesse est.

Vitalis facultatis necessitas.

Vita quid.

Vitalis facultas à reliquis diversa.

Calidum innatum quid.

Calidum innatum quadrifariā sumitur à Galeno.

eſt. In libello itaque, quem adverſus Lycum ſcripſit Galenus, ſemen & ſanguinem, calidum innatum, à calore quidem qualitatéve calidà, quæ iis duobus corporibus, ſive ſubſtantiis inſita eſt, vocat. Quum enim qualitas accidens ſit, quod per ſe ſubſiſtere nequit, ea præſtantia & vi ornari non poteſt, ut ſola, nullique ſubſtantiæ innixa vitam ſuſtentet. Ac proinde hoc ipſum vitæ conferendæ munus, ei potius ſubſtantiæ tribui debet, cui calor ille inſederit. Hanc itaque ſubſtantiam meritò, loco iam monſtrato, Galenus calidum innatum appellat. Porrò ea nativi caloris ſubſtantia, benefici cuiuſdam humoris temperatione perfunditur, ut in ea vita conſiſtere probè poſſit. Vt autem calor innatus, & ſingulis partibus ex primis principiis inſitus, tepidus ac temperatus: ita quoque humidum hoc, in quo, ille continetur, temperatum exiſtit. Quod Galenus libro 2. de Natura humana, commentar. 13. confirmat, inquiens: τὸ γὰρ ἔμφυτον θερμὸν, οὐ μόνον εὔκρατον θερμὸν, ἀλλὰ καὶ ὑγρόν, id eſt: Innatum calidum, non modò temperatũ calidum, ſed etiam humidum eſt. Atque hinc eſt, quòd dictum illud veterum, Vita in calido & humido conſiſtit: non de quovis calido & humido, ſed de innato utroque temperato, exaudiendum ſit. Cõſtat enim utrumque hoc quum intemperatum fuerit, vitæ noſtræ adverſari, quod febrium & putredinum exemplo fit manifeſtum. Contrà, innatus calor noſter, ceu vitæ dux & moderator, nos in extremum uſque finem tuetur, regit, vitamque in nobis conſervat. Vt autem in longum vita protrahi poſſit, par eſt, ut calor ille, in ſtabili aliquo ac multo tempore durante humido conſiſtat. Humidum autem hoc partibus ſimilaribus à primordio generationis ingenitum & inſitum eſt, & à ſemine prodiit ac derivatum eſt. ob id à quibuſdam primogenium, ab aliis humidum radicale, quòd ſcilicet caloris, & totius vitæ noſtræ radix & fundamentum ſit, appellatur. Galenus hocce lib. 7. Meden. methodi, cap. 6. ubi quatuor

Semẽ & ſanguis calida innata corpora.

Calidum & humidũ innatum temperatum eſt.

Vita in calido & humido conſiſtit.

Humidũ radicale & primogenium.

Solida similarium partium substantia.

ficcitatum genera recenset, solidam similarium partium substātiam vocat, quòd scilicet in solida earundem partium substantia fixus & firmatus sit calor primigenius. Vltimam igitur ac consummatam siccitatem fieri idem tradit, ubi solida hæc iam dictarum partium substantia reddita est siccior, ideoq; quòd à semine ortum suum habeat substātia illa, sarciri haud potest, veluti supra, Sectione nimirum huius libri 4. capite eiusdem numeri, pleniùs ostendimus. Cæterū quum semen & sanguis nostræ generationis prima principia, substantiæ aëreæ & aqueæ plurimùm in se contineant, factum est, ut Gal. sect. 1. Aph. comm. 14. aëream aqueamque substantiam illam, ex primis principiis in singulis partibus relictam, calidum innatum nuncupaverit. Quapropter quum ex humido sit ortus nostri principium, & recens nati pueri substantiam calidam, aqueam, & aëream, plurimùm participent, meritò illi ab Hippocrate plurimùm innati calidi habere dicuntur. Hoc quidem calidum innatum, nostræ ætatis medici, fixum firmatum, cōplantatum, & complexionale more suo nominant.

Calidum innatum fixum nominant.

Quoniam verò calidum singulis partibus post generationem ex primis principiis insitum, tepidum est, ac benè temperatum, ut ostendimus, eaque substantia insita, promptè citoque dissoluta periret, nisi alia, ei similis calidiorque affflueret, quæ innatam conservaret, ac quasi restitueret: ideò Gal. id calidum quod influit, tertio loco, innatum etiam appellat. Id verò non est, nisi sanguis & spiritus, qui in nobis è victu gignuntur, & à fontibus, iecore scilicet ac corde, per venas & arterias, tanquam per canales, in omnes corporis partes sparguntur. Calidum autem nativum prædictas duas substantias Galen. lib. 1. de Simplic. medic. facult. cap. 8. vocat, non quòd eiusmodi substantiæ reverà nativæ sint, quandoquidem post nativitatem in nobis proveniunt: sed quòd eas, quæ veræ nativæ sunt, conservent ac foveant. Sanguine enim à iecore promanante, caloris vis & substantia dissipa-

Sanguis & spiritus calidum innatū.

dissipata reponitur, & restauratur. Spiritu autem à corde proficiscente, & per arterias deducto, singulis partibus distributo, insitus in singulis membris calor excitatur, vegetusque evadit, atque ad obeundas proprias actiones illa idonea reddit. Quod innuere etiam volens Galenus in libro de Fœtus formatione ita scriptum reliquit: Sanguini qui in venis est, „ absque cordis calore, tepida quædam caliditas insita „ est, & propterea etiam in iecore. Cor verò, quasi „ quendam ignis focum animalia sortita sunt. Sine „ corde enim animalium calor, persimilis est calori, „ qui æstatis tempore in domibus sentitur. Sed quemadmodum „ domus incensa in ipso igne calidior redditur: „ ita & animalium corpus, è corde calorem maiorem „ acquirit, quàm is sit, qui venis & iecori insitus „ est, ac sanguini in ipsis contento. Hæc ille. Rectè igitur „ calorem hunc recentiores medici influentem nominant, ac fixum suprà vocatum calorem, fovere ac recreare statuunt. Nec est cur aliquis miretur, solum spiritum interdum, de Hippocratis sententia, à Galeno, calidum innatum nuncupari. Quum enim inter corpora calida influentia, spiritus plus momenti habeat ad omnium partium insitum calorem excitandum: quandoquidem ipse quoque sanguis, ab eo calorem, (ut iam dictum est,) suscipiat: meritò utique solus spiritus calidum innatum aliquando, Galeno nominatur. Is enim est, qui in omnes corporis partes ocyssimè movetur, & vim ferè omnem, quæ nativo calori tribuitur, exercet. Galeno denique substantia insita & influens coniuncta, calidum innatum dicitur, ut quum ille calidum innatum omnium operum naturalium causam & opificem esse, sectione prima, aph. comm. 15. affirmat. Atque hactenus quatuor modis innatum calidum à Galeno usurpari ostendimus. Primò quidem pro eo quod primis principiis implantatum est: secundò pro humida & aërea substantia ex principiis in singulis partibus post generationem relicta: tertiò pro calido quod

Calor innatus influens.

Solus spiritus cur calidum innatum dicatur.

4

Calidum innatũ omniũ actionũ naturalium causa.

aliundè influit: quartò pro innata insitáve & influente substantia calida. Quæ quidem calidi innati acceptiones quatuor, ab iis qui in Galeni lectione versantur diligentissimè sunt observandæ, ne quis illum perpetuò de uno calido innato, aut nullo discrimine ác promiscuè de omnibus esse loquutum existimet. Quod quùm exemplis primæ, secundæ, & quartæ acceptionis iam ostensum sit, reliquum est ut etiam tertiæ aliquod subjiciamus exemplum. Eiusmodi autem est in libro octavo, de Hippocratis & Platonis dogmatis, ubi calidi insiti & nativi substantiam ex sanguine & pituita constare scribit, inquiens: τὸ ἔμφυτον θερμὸν σύνκρατον ἐστι, κατὰ μὲν οὐσίαν ἐν αἵματι καὶ φλέγματι τὴν ὕπαρξιν ἔχον μάλιστα, κατὰ δὲ ποιότητα μικτὸν ὂν συνκράτως ἐκ θερμότητός τε καὶ ψυχρότητος. id est: Calidum innatum substantiâ temperatum est, consistentiam in sanguine & pituita maximè habens, qualitate mediocriter ex caliditate & frigiditate mistum. Hoc enim in loco de tertio calido, sanguine maximè è iecore influente, qui substantiam insiti calidi, quæ aliàs citò dissoluta & dissipata periret, ut dictum est, restituit ac restaurat, loquitur. Galenus enim citato loco, calidi nativi & insiti, primo nimirum modo accepti, substantiam ex sanguine è iecore manante constare scribit, quandoquidem ille, calidum hoc, quod singulis partibus ex primis principiis insitum est, conservet ac restituat: pituita verò quæ per mesaraicas venas à ventriculo in iecur defertur in alterâ concoctione, quòd sit sanguis ex dimidio coctus, promptè in sanguinem mutatur, ac postquam sic in iecore concocta est, unà cum reliquo sanguine, ut alii naturales humores, in venas rapitur; quòd frigida & mitis sit, flavæ bilis immodicum calorem frangit, ac temperat, mitioremque facit, hacque ratione, ut sanguis qui in venis continetur temperatus evadat, non parum conducat, idcircò meritò calidi innati substantia, quam tepidam & temperatam esse con-

Pituita ubi, & quomodo generatur.

constat, ex sanguine & pituita consistere dicitur. Est autem vitalis facultas à reliquis, nempe animali & naturali, secùs ac nonnulli arbitrantur, diversa. Ab animali, utpote cuius motus omnis est ad arbitrium, qui orta defatigatione, sensum ingravescit, atque demum intermittit. Cordis autem & arteriarum motus non est in nostra potestate ut nobis pareat, sed perennis, constans & continuatus, nullius causæ vi lacessitus, & qui nunquam interrumpi potest. A naturali, quòd hæc corporis nutritioni duntaxat addicta sit & mancipata, nec tàm apertos motus exprimere soleat. Ab utrisque verò esse diversam vitalem vel hinc etiam fit manifestum, quòd hæc lædatur aliis illæsis. Quippe quùm quis pestilenti febre malè torquetur, affligiturque cordis dolore, vomitione, animi defectione, quumque pulsus obscurus, & imbecillis deprehenditur, quis tum ambigere potest, facultati in corde vitali, (cuius hæc sunt opera) negocij plurimùm exhiberi, aliis interim, aut nihil omnino, aut multò minus agitatis? Vt enim alia morborum genera, aliis solent facultatibus, malũ quoddam inferre, sic hoc maximè pestilens, vitalem vim obsidet, oppugnat, atque demolitur. Vnde planè perspici potest, vitalem non modò cogitatione, &, ut dicere solent, ratione, sed reipsa ab aliis facultatibus differre.

Vitalis virtus ab animali & naturali differt.

NATVRALIS FACVLtatis genera. Cap. V.

NAturalis facultatis, ut multa sunt opera, ita quoque variæ differentiæ, primariæ quidem ac principes tres, generatrix, auctrix, & altrix, quas Aristoteles libro secundo, de Anima, capite quarto, vegetatrices nominat. Generatrix, vel, ut alii vocant, procreatrix, est, quæ simile quid procreandi, quales nos sumus, potestatem habet, unde generatrix, hoc est, substantiæ cuiusdam productrix, meritò

Generatrix facultas.

dicta est. Hęc facultas in semine tota posita est, quod quidem prolificum quùm suapte natura sit, unius cuiuspiam sibi similis procreandi ut insitam vim habeat, omninò necesse est. Sic homo hominem, equus equum generat. verùm generatio, Galen. libro primo, de Naturalibus facultatibus teste, simplex quædam actio naturæ non est, sed ex alteratione, seu immutatione, formationeque composita. Hæc igitur substantiam commutat, & conformat. Vt enim os fiat, item nervus, vena, & reliquarum partium quælibet, alteratam esse oportet subiectam unde animal fit substantiam: ut verò congruentem figuram & posituram, & cava quædam, & vel enata, vel adnata, aliaque id genus habeat, effingi eam oportet, quæ alteratur materiam. Quapropter erunt sanè procreatricis seu generatricis facultatis duæ partes, quibus illa absolutè completur, nempe alteratrix sive immutatrix, & formatrix. Prior quidem pars, uniuscuiusque substantiam qualem cernimus, ex semine, vel ex sanguine producit. Posterior verò illi compagem, formam, & situm propriis usibus idoneum, veluti pictor quidam, aut plastes, contulit. Generatricis itaque proprium munus est, partes singulas, ipsumque adeò fœtum expromere. Auctrix facultas est, quæ corpus ad præstitutum quoddam à natura tempus, quoquo versum porrigit, ac profert. Quoquo versum autem porrigitur, dum in longitudinis, latitudinis, & profunditatis dimensiones dilatatur, & ampliatur. Auctricis itaque facultatis proprium munus est, in omnem partem proferre, quæ iam nata sunt, & integram formæ suæ absolutionem obtinuerunt. In consistente autem sive constante ætate vocata incrementum desinit, quòd calor nativus non ita ut in iuventute vigente ætate copiosus sit, nec materia, ut in pueritia, adsit sequax, & ad incrementum prona, exiccato iam plus minus corporis habitu, ut Hippocrates libro secundo, de Naturâ humanâ, & Galenus in suis commentariis docet. Altrix facultas Græcis θρεπτικὴ,

Immutatrix. *Formatrix.* *Auctrix facultas.* *Quando desinat agere.* *Altrix facultas.*

θρεπτική, & ὁμοιωτική, id est nutrix, & assimilatrix nominatur, est, quæ adiectum alimentum in corporis substantiam convertit, eique assimilat. Quum enim corporis nostri substantia assiduo fluore variis ex caussis continenter dissipetur, ut libro 1. de Tuenda sanitate Galenus fusiùs monstravit, proprium certè altricis facultatis munus est, nonnihil substantiæ pro disperditâ sarcire, quod quidem vel par est ei, quod effluxit, vel eo uberius, vel parcius. Id quod efficit, ubi alimenta in corporis substantiam mutat & assimilat: ut palàm sit, altricem facultatem ab auctrice non solùm appellatione, sed & actionibus, & editis operibus plurimùm dissidere. Auctrix enim facultas non quemadmodum altrix circa alimentum versatur, sed circa corporis partes solidas. Has enim quoad sinunt, in omnem partem efferunt, atq; dilatant: quibus diffusis, tum deinde altrix alimentum nititur apponere, affigere & assimilare. Cæterùm auxiliares, vel ministræ altricis facultatis sunt quatuor, attractrix, retentrix, alteratrix seu concoctrix, & expultrix. Attractrix facultas, quæ Græcis ἑλκτική dicitur, est, quæ cōvenientem particulæ succũ appetit, & attrahit. Conveniens autem & familiaris cuique particulæ succus est, qui maximè ut huic assimiletur, adeoque ut inde alatur, accommodus est. Hæc itaque facultas materiæ copiam, ex quâ quævis particula nutritur, suppeditat, & alteratrici famulatur. Facultas verò ista non solùm corporis partibus, sed & stirpibus, ac nonnullis medicamentis inest. Stirpes enim congruentem è terra succum, magnes ferrum, purgantia medicamenta unum quempiam humorẽ, aliqua etiam infixos corpori aculeos, substantiarũ similitudine alliciunt, atq; attrahunt. Vim enim similitudo habet ad conciliandam amicitiam: amicitia ad societatem consuetudinemque ineundam. Igitur hæc similium amicitia una causa est efficiens, ut non modò animantium particulæ, sed & stirpes omnes, quicquid familiare est,

Auctrix facultas ab auctrice diversa.

Altricis ministræ.

Attractrix facultas.

Attractionis causa.

& salutare, prolectent. Quicquid verò nocens, & adversum, aspernentur, & respuant, & ab ipso, tanquam à pestiferis, nisi fortè utilium premantur inopia, abstineant. Retentrix facultas Græcis καθεκτικὴ vocata est, quæ attractum succum eò usque retinet, donec alteratrix eum in naturam partis, quæ nutritur, mutaverit. Hanc manifestissimè iis partibus inesse apparet, quæ magnam habent cavitatem, ut est ventriculus, uterus & vesica. Evidentissimum verò est, hanc alteratrici ministrare. Alteratrix facultas, Græcis ἀλλοιωτικὴ, est quæ id, quod attractum & aliquandiù retentum est, alterat, immutat, concoquit, & parti, quæ alitur, apponit & assimilat. Expultrix facultas, Græcis ἐκκριτικὴ vocata est, quæ à concoctione inutilia & aliena segregat, & excrementa singula, ex corporis particulis pellit, ne si moram diutiùs in corpore trahant, putrescant. Hæc itidem, ut retentrix, alteratrici ministrat. Commemorata verò altricis facultatis genera, unicuique corporis particulæ inesse, tribus in libris de Naturalibus facultatibus inscriptis, Galenus adversus Asclepiadem & Erasistratum acerrimè disputans, copiosè demonstravit. Porrò iam dictæ facultates fibrarum ope munus suum perficiunt. Quanquam enim concoctrix facultas nullum fibrarum genus, sed innatum duntaxat nobis calorem ad concoctionem accommodat: tamen reliquæ tres munus suum per fibras exequuntur, attractrix quidem rectis, expultrix transversis, retentrix obliquis. Vt enim in musculis fibræ nutu nostro & arbitrio contractæ, & ad suam originem quasi reductæ, motum efficiunt: ita & naturalibus instrumentis accidit, rectis fibris solius naturæ instinctu contractis, brevioribusque factis, alimentum attrahi: transversis autem adstrictis, subditam capacitatem in angustiam adduci, & quicquid ea continetur expelli & detrudi. Quia verò obliquæ fibræ intentæ, nec breviorem, nec angustiorem partem reddunt, servata quadam

Retentrix facultas.

Alteratrix.

Expultrix.

Naturales facultates, quæ habent instrumenta.

Concoctrix virtus operatur vi solius caloris.

Fibrarum differentiæ, & usus.

quadam naturali æquabilitate & constantia, omnia planè continent, nihilque vel attrahunt, vel expellũt. Quibuscunque igitur naturalibus instrumentis triplex huiusmodi facultas accessit, triplex etiam fibrarum genus est concessum, ut ventriculo, & utero. Quibus verò unica data est, ut intestinis, simplex fibrarum genus obtigit.

DE ACTIONIBVS. SECTIO VII.

QVID ACTIO ET OPVS. Caput I.



ACTIO functióve, quæ Græcis ἐνέργεια dicitur, Galeno libro primo, de Natural. facult. & libro I. Therap. method. cap. 6 attestante, est motus activus, sive efficiens, qui à facultate procedit: vel motus efficientis. Sine motu enim nihil quicquam effici, nihil gigni, nihil alterari potest. Vt hinc palàm sit, motũ esse duplicem, nempe activũ & passivũ. Activus est, qui à se & propria natura editur. Passivus, qui ab alio quopiam, extrinsecùs posito, excitatur. V. G. volatio est actio animalis volatilis, & incessus animalis gressilis, eò quòd à natura propria horum animantiũ excitatur. Quod aũt ab alio sic agitur, ut locũ mutet, id utiq; non agit, sed patitur. Egit igitur, qui ex Pireo Sunium commeavit, quippe motus est activè, hoc est, ex seipso, & propria natura. Contrà passus est, qui ex Pireo Sunium, navigavit, siquidem nave vectus est. Quum itaque necesse sit omne id, quod agit, moveri, is certè motus, qui ab agente efficitur, actiò erit. Opus autẽ, quod ἔργον Græci nominant, est id, quod iam per a-

Actio quid. *Motus duplex.* *Activus.* *Passivus.* *Opus quid.*

ctionem factum & completum est, ut sanguis, caro, nervus. Cæterùm licet quidem actionē opus quoddam naturæ appelles, ceu concoctionē, distributionem, & sanguificationem: non tamen contrà licet opus actionem omnino voces. Siquidem caro naturæ opus est, non tamen est actio, patetq; alterum eorum nominum bifariam dici, alterum non item. Nam opus interdum actionem, interdū etiam id quod per actionem factum est, significat. Actio verò duntaxat motum efficientem denotat.

ACTIONES CORPORIS esse tres. Cap. II.

Cum actio non sit nisi motus activus à facultate procedens, constat tot esse corporis nostri actiones, quot eiusdem sunt facultates. Habent enim facultates singulæ, suas proprias actiones, ad quas ipsæ referuntur. Sunt autem tres, ut ostensum est, corporis facultates, animalis, vitalis & naturalis: igitur totidem quoque eiusdem erunt actiones. *Animalis actio.* Animalis itaque actio est, quæ ab animali facultate, vel intervenientibus nervis & musculis, veluti illius instrumētis, procedit, ut est sensus & motus voluntarius, vel per se & sine instrumentis fit, ut ratiocinatio & memoria. Hinc est quod Galenus lib. 2. Progn. comm. 6 priores duas ὑπηρετικάς, id est, ministras, quòd scilicet mediantibus instrumentis, cerebro servientibus fiant, vocet. Posteriores autem ἡγεμονικάς, id est, principes, quòd nimirū per se à cerebro proficiscantur, quemadmodū fusiùs Gal. lib. 2. de Labor. locis, c. 3. monstrat. *Vitalis.* Vitalis est, quæ à vitali facultate ministerio arteriarū proficiscitur, ut pulsus cordis, & aliæ. *Naturalis.* Naturalis est, quæ à naturali facultate, ope venarū progreditur, ut concoctio. Hęc Gal. lib. 6. de Tuenda valetudine, cap. 2 alio nomine σωματική, *Corporalis.* id est, corporalis, quòd scilicet corpori animātis à natura insita sit, appellatur. *Obiectio diluitur.* Nec est, cur aliquem turbet, quod Gal. lib. 2. de Motu musculorum, duas tantùm corpo-

corporis actiones recẽseat, animalem & naturalem, prærerita prorsus vitali. Nam illic sub naturali vitalem complexus est: quod ex definitionibus earundem, quas ibidem affert, omnibus fit notissimum. Animalem enim ita finit: Est quam, quum fit, sedare poteris, ubi velis: & quum non fit, excitare. Hinc quum ex nostro pendeat arbitratu, nõ immeritò alio nomine voluntaria appellatur. Contrà naturalis illi est, quæ non pendet à consilio aut arbitrio animantis, sed sponte & naturaliter fit. Qua utiq; finitione non solùm eas actiones, quas vulgus medicorum naturales vocat, sed & eas, quas vitales privatim appellamus, comprehendit. Est namque hoc modo motus cordis & arteriarum, quem pulsum nominamus, actio naturalis. Quippe hunc neque sedare, neq; excitare, neq; celeriorem, neque tardiorem, neque crebriorem, neq; rariorem efficere licebit. Hoc sanè nomine factum est, quòd Galenus lib. I. de Spirandi difficultate ζωτικὴν, id est, vitalem actionem, animali planè opponat: ut palàm sit omnibus, nihil referre, utrum tres aut duas actiones corporis nostri primarias esse fateamur, modò instar Galeni has definiamus. Præstat tamen, in primariis actionibus recensendis, facultatum numerum, (quandoquidem ab illis proficiscantur,) retinere.

Animalis actionis finitio.

Naturalis.

ANIMALIS ACTIONIS DIFferentiæ. Cap. III.

FAcultas animalis in tres partitur, (ut suo expositum loco est) species, sensificam, motricem, & principem, & quævis illarum suas edit actiones. Sensifica enim quinq; actiones edit, visionem, auditionem, odoratum, gustum & tactum. Has quidem actiones philosophi sensus exteriores appellãt. Visio autem est actio qua colores percipiuntur. Auditio, qua soni, & eorundem discrimina sentiuntur.

Sensificæ facultatis actiones.

Sensus exteriores.

Visio.

Auditio.

Odoratus. Odoratus, qua odores apprehenduntur. *Gustus.* Gustus, per quam sapores discernuntur. *Tactus.* Tactus, qua qualitates tùm primæ tùm secundæ, itemq; aliæ, quæ non sunt aliis sensibus propriæ, percipiuntur. De quibus omnibus cùm copiosè Philosophi in libris de Anima tractent, nō est cur hic de illis longiùs agamus. *Motricis facultatis actio.* Motrix facultas unam obtinet actionē, quæ Galeno l. 2. de Temper. cap. 3. & lib. 3. de Sympt. causis, cap. 10. & lib. 12. Ther. methodi, cap. 7. teste, *πρακτική.* πρακτική, id est, factrix, vel, ut alii interpretantur, actuosa propriè, quòd scilicet omnium earum, quæ è cerebro prodeunt, efficacissima sit, & sola ferè actionis nomen mereatur, dicitur. Hæc autem per musculos veluti instrumenta editur & perficitur. *Practica actio generatim.* Nec abs re dictū est propriè, siquidem generatim practica actio est, quæ cum motu locali fit. Qua sanè ratione attractio, retentio, distributio & expulsio, quæ tamē naturales sunt actiones, practicæ etiam nominantur. Quippe hæ omnes non sine motu locali perficiuntur. Cæterùm quum propriè vocata actio practica, & voluntaria, per musculos obeatur, omnibus perspicuum esse arbitror, *Respiratio actio voluntaria tantū.* respirationem non cōpositam esse actionem, ita sanè ut partim voluntaria, partim naturalis sit, quod plerique falsò sunt opinati, sed meram voluntariam. Siquidem per musculos illi destinatos fit, adeoque ex arbitrio nostro pendet: quod Galenus in libello de Causis respirationis, & in secundo de Motu musculorū copiosè demonstravit. Ibidem enim historiam quādam refert de barbaro quodam servo qui respiratione retenta, mortem sibi consciviT. Quòd si non liceret usquequaque respirationem cohibere, ne idcirco quidem aliquis negare posset, quin ipsa pro arbitrio fieret. *Actionum quæ motu voluntario fiūt, duplex differentia.* Apparet enim earum actionum, quæ motu voluntario fiunt alias quidem omninò liberas esse, alias verò affectibus corporis subditas esse, & servire. Priores utique perpetuò absq; impedimento à nobis quoties & quantum volumus nulla ad eas nos urgente necessitate, fiunt. Posteriores verò non

perpe-

perpetuò, sed in tempore quodam, & cum mensura à quibusdam corporis affectibus lacessitæ, fiunt. Nam ire ad aliquem, & alloqui, & capere aliquid, & recipere, absolutè liberæ sunt. Egerere verò, & mingere, corporis affectuum sunt remedia, ideò nō perpetuò liberè, sed urgentibus affectibus fiunt. Sic tacere nobis quidem liberum est. (Sunt enim qui integrū annum, & eo amplius, quemadmodum Pythagorici, tacuerunt.) Egestionem verò vel urinam retinere, non modò annis aliquot, sed ne mensibus quidem, imò nec diebus paucis quisquam potuit; sed affectibus urgentibus tùm egerere, tùm mingere cogitur. Adeò enim ii urgent, ac sæpenumerò angunt multitudine gravantes, vel acrimonia mordentes, ut quidam ne locum quidem consuetum adire valuerint. Quare quamquam liberæ sunt & voluntariæ actiones, urinæ, & egestionum retentio, nō tamen prorsus & absolutè, sed corporis affectibus serviunt, ac subditæ sunt. Similis profectò jam dictis functionibus, est respiratio, imò iis multò magis urget, ac celeriorem necessitatem habet. Siquidem ne quis moriatur ac suffocetur periculum est, nisi assiduè respiret. Nihil igitur mirū, si penitiùs retinere respirationem arduū & difficile sit: neq; enim omnes ad moriendum sunt proclives, etiamsi infinitis conflictantur malis. Est tamen nihilominus ipsa animalis ac voluntaria, ut dictum est, actio. Principis facultatis actiones triplices esse constat, imaginationem, ratiocinationem & memoriam. Imaginatio est, per quam imagines, ab exterioribus sensibus oblatæ, apprehenduntur. Ratiocinatio, qua conceptæ imagines, sub censum & judicium revocantur, ac quæ qualesque illæ sint judicantur. Memoria est, qua id, quod à prioribus actionibus elaboratum atque receptum est, conservatur, atque retinetur. De quibus omnibus cùm copiosè pertractent philosophi, non est cur hîc de illis longiùs differamus.

Pythagorici.

Principis facultatis actiones.

Imaginatio.

Ratiocinatio.

Memoria.

VITALIS ACTIONIS DIFFErentiæ. Cap. IV.

Pulsus cordis. A Vitali facultate, quæ etiam irascibilis & animosa dicitur, multæ proficiscuntur actiones, nempe arteriarum & cordis pulsus: de qua suo diffusè tractabimus loco. motus cordis, cujusmodi sunt lætitia, tristicia, spes, desperatio, confidentia, metus, amor, odium, misericordia, invidentia, ira, iracundia, excandescentia, furor, verecundia, pudor, cunctatio, præcipitatio, humanitas, & morositas. Lætitia verò, motus est, quo cor præsenti fruitur bono. Proinde ejus veluti quædam dilatatio est, qua præsens objectum amplectitur. Tristicia, motus planè contrarius est, quo cor quasi percussum constringitur, premitur, angitur, tremit, & languescit. Spes est motus, quo cor futurum bonum appetit, seque ad illud accipiendum veluti aperit ac præparat. Et persimilis propemodum hic motus lætitiæ est, propterea quod futuri boni cogitatione ita movetur cor, ac si præsens ferè jamjam bono aliquo frueretur. Desperatio est motus, quo cor de futuro bono ac salute prorsus desperat, seque ad ea accipienda veluti avertit. Confidentia, est motus, quo cor veluti futurum bonũ expectat, vel futuri boni expectatione aliquid audet. Metus, est motus, quo cor, veluti futurũ malum fugiens, constringitur. Estque similis tristiciæ: futuri enim mali cogitatione movetur cor, perinde ut præsenti aliquo malo. Amor, est motus, quo cor appetit aliquod seu verè bonum, seu quod videtur bonum, idque ut eo potiatur, quasi attrahere gestit. Odium contrà motus est, quo cor aliquod tanquam malum aversatur, idq; depellere gestit. Misericordia, est motus cordis ex miseria alicujus injustè laborãtis ortus. Invidentia contrà motus, propter res secũdas alterius concitatus. Ira est motus, injuria vel indignatione aliqua concitatus, quo cor offensionẽ aliquam aver-

Motus cordis. *Lætitia.* *Tristicia.* *Spes.* *Desperatio.* *Confidentia.* *Metus.* *Amor.* *Odium.* *Misericordia.* *Invidentia.* *Ira.*

averſatur, ejusq; authorē pœna afficere conatur. Incaleſcit autē cor in eo motu, & accendit ſpiritus, qui ſanguinem etiam inflammant, ut rectiſſimè Galenus lib.2. de Tuenda ſanit. cap.11. ex Platonis in Cratylo & Ariſtotelis lib.1. de Anima, ſententia, iram eſſe caloris fervorem in corde dixerit. Diſtat ab iracundia, ut quæ vitium ſit hominis iracundi, id eſt, ejus qui parva, vel nulla cauſa iraſcitur. *Iracundia.* Iracundiam tamen Latini ſæpè pro ira uſurpant: iram contrà nunquam pro iracundia. *Excandeſcētia.* Excandeſcentia, eſt ira naſcens, & ſine modo exiſtens. Hæc ſi acriùs exardet, furor appellatur. *Furor.* *Verecundia.* Verecundia, eſt motus, quo dedecus & turpitudo fugitur, lausque conſequitur. *Pudor.* Pudor eſt motus, quo conſcius ſibi ipſi propter admiſſam turpitudinem iraſcitur. *Cunctatio.* Cunctatio eſt motus, quo quis magna deliberatione aliquid aggreditur. *Præcipitatio.* Præcipitatio contrà, motus eſt, quo quis omnia inconſultè & temerè, citraque deliberationem aggreditur. *Humanitas.* Humanitas, motus eſt cordis, quo quis ſe erga alios facilem, lenem & comem exhibet. *Moroſitas.* Moroſitas contrà, motus eſt, quo aliquis ſe difficilem præbet. Poſſem longè plures vitalis actionis differentias, earundemque deſcriptiones recēſere: ſed has exempli gratia commemoraſſe ſufficiat, præſertim cùm iis omnium philoſophorum libri referti ſint.

NATVRALIS ACTIONIS DIFferentiæ. Cap. V.

A Naturali facultate, quæ etiam concupiſcibilis & appetitrix nominatur, ut oſtenſum eſt, multæ prodeunt actiones: ut ſunt generatio, immutatio, formatio, auctio, nutritio, alteratiove, appetentia, attractio, retentio, concoctio, diſtributio & excretio. *Generatio.* Generatio ſive procreatio, actio eſt, quæ ad novam ſubſtantiam perducit: vel breviter, eſt ſubſtantiæ productio. Quapropter

Immutatio. ſimplex actio naturæ non eſt, ſed ex immutatione alterationeve, formationeq; compoſita. Vt enim os fiat, item nervus, vena, & reliquarum quælibet, alteratam eſſe oportet, unde animal fit, ſubſtantiam. Vt *Formatio.* verò congruentem figuram & poſituram, & cava quædam, & vel enata, vel adnata, aliaq; id genus habeat, effingi eam oportet quæ alteratur materiam. *Auctio.* Auctio verò ſolidarum animalis partium augmentum, & in longum, latum & profundum eſt extẽſio. *Nutritio.* Nutritio, eſt aſſumpti alimenti in corporis ſubſtantiam converſio, & perfecta aſſimilatio. Vt nutritio non ſit niſi quædam appoſitio, & aſſimilatio, ſed ſi-*Agglutinatio.* ne ampliatione. Quippe ut aſſimilatio fiat, agglutinatio, ſive adhærentia, quã Græci πρός φυσιν vocant, præcedat oportet: ſicut etiam ut illa fiat, appoſitio, *Appoſitio.* quæ Græcis πρόσθεσιν nominatur, requiritur. Differre autem ab agglutinatione, appoſitionem, ſicuti & agglutinationem ipſam, ab aſſimilatione, in hydrope & vitiligine clarè ſpectatur. Siquidem in hydrope humoris nutrituri fit appoſitio, non tamen agglutinatio. In vitiligine autem adhæret partibus alimentum, atqui non aſſimilatur. Poſtquàm enim ſuccus is, qui omnem animantis particulam nutriturus eſt, à vaſis excidit, in totam eam primùm diſpergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demum aſſimila-*Appetẽtia.* tur. Appetentia, Galeno lib. 1. de Sympto. cauſis, cap. 7. atteſtante, non eſt niſi repletionis deſiderium eſtq; *Animalis.* duplex, animalis nimirum & naturalis. Animalis eſt, qua animal excitatum ad quærendum ſibi & capiendum cibum, impellitur. Atq; hæc profectò rectè animalis appellatur, quòd ſcilicet ex arbitrio animalis pendeat tota. Id quod abundè comprobarunt, qui *Naturalis.* inedia ſibi mortem conſciverunt. Naturalis appetentia, animalem præcedit, & eſt, qua tùm ſtirpes, tùm animalia, poſtquam vacuata ſunt, vt rurſus impleantur, id quod illis familiare eſt, appetunt. Et rectè quidem naturalis nominatur: eſt enim voluntatis ex-*Attractio.* pers, & naturaliter fit. Appetentiam hanc naturalem

ſtatim

ſtatim attractio excipit, qua id, quod illis congruit ac familiare eſt, attrahunt. Quod verò ad animantia pertinet, poſtquam appetentia ventriculi attractionem incitavit, quæ ſibi adduxit, ſinu ſuo, complexuq; recipit, eaque retinendi facultate, & obliquarum fibrarum miniſterio includit, complectitur, & ſuprà ſubterq;, & omni ex parte adeò compreſsè retinet, ut iis circuiici & prorſus adhæreſcere videatur, nec inane quicquam relinquat. Alioqui cibus in tanta capacitate hùc illùc fluitans, neque lateribus ventriculi coarctatus, haudquaquā plenè concoqueretur. Hac itaque ratione accepta cohibet, nec ante legitimum naturæq; præſcriptū tempus effluere quicquam patitur, niſi quùm aut magno copiæ pondere, aut qualitatis mordentis acrimonia laceſſitur. Vt in duabus planè rebus retētricis facultatis proba conſiſtat actio. Vna, ut nullum inter ventriculum, & cibos vacuum relinquatur ſpacium. Altera, ut comprehenſionis tempus, concoctionis tempori æquetur. Vt legitimum comprehenſionis ventriculi tempus, non ſit niſi id, in quo plenam perfectamque concoctionem abſolvit. Non autem quævis vel leviſſima cibi alimētive mutatio, qua id aut exteritur, aut emollitur, aut odore, ſaporéve mutatur, ſed ea duntaxat, quæ à nativo calore fit, alimenti perfecta ſubſtantiæ converſio, concoctio dicitur. Hinc rectiſſimè Galenus in libro de Symptomatum differentiis definit concoctionem, eſſe in peculiarem & propriam familiarémve eius quod alitur, qualitatem, converſionem. Quocircà eò duntaxat loci hæc fit, ubi alimentum diu multumq; hæret, & facultas illa retentrix valida eſt, ſimulq; concoquendi facultas copioſo abundat calore. Hoc autem tribus tantummodò locis conceſſum eſt, è quibus etiam triplex exiſtit concoctio, quarum prima, in ventriculo, ſecunda in iecore, tertia, in ſingulis partibus fit. Sua verò cuiusque antecedit præparatio, ſuaque ſequitur abſolutio, ſuum cuiusque alimentum, tanquam ſubiecta materia, ſuus ge-

Retentio.

Ad probā retētionē quæ & quot requiruntur?

Concoctio quid?

Triplex concoctio.

Prima concoctio ventriculi.

nitus humor, suumq; excrementum. Prima omnium est χύλωσις; quæ in ventriculo perficitur, mutaturque multiplex, & varium alimentum in quippiam unius substantiæ, quod candidum quiddam est, & cremori ptisanæ persimile. Alimentum autem omne mutat & conficit ventriculus, nullis quidem fibrarum adminiculis, sed tùm proprio ingenitoq; calore & spiritu, tùm eo, quē, (ut lebeti magno circūjectus ignis,) ita & proximæ partes illi inferunt, iecur, lien, cor, septum transversum & omentum, quod illius calorem reflectit, & continet. Cæterùm propria ventriculi substantia, & insita reconditaque quædam proprietas, concoctionis illius absolutionem perficit. Sic Struthiocamelus, ferrum concoquit & exterit, quod non potest leo calidissimus. Sic fruges aridas & præduras, minutæ aves conficiunt, crudumq; quippiam mutāt, quod vix audeat homo attingere. Ita coturnix veratrum coquit & mitigat, nobis prorsus inimicum, invictum, indomitum, & quod omnē corporis nostri vim, omnes conatus respuit & aspernatur. Porrò alimenti, quod ventriculus subigit, ac mutat, præparatio quædam in ore prægressa est, qua non atteritur modò & emollitur cibus, sed & levē subit conversionem. Quippe qui antè durior & solidior erat, dentibus in ore positis, māsus extēuatur, & mollior redditur, nec levem inibi mutationem accipit, admiscetq; sibi quodammodo animalis qualitates, ut pristinam speciem & naturam vix retineat. Mansum iam, & ad nutritionem præparatum alimentum, crebra agitatione & motibus linguę detruditur, idq; excipit gula, via communis, per quam illabitur in ventriculum. Est autem hic, & cibi & potionis receptaculū: omniaque rectis in interiore tunica positis fibris, à gula detrahit. Et in summa, ventriculus, per gulam quasi per manum ab ore cibos eripit. Atque hæc quidem actio à transversis fibris, quæ in externa sunt gulæ tunica, adiuvari videtur. Quum enim quippiam sive aridum, sive humidum ab ore depellimus, transversę

Causa efficiens concoctionis ventriculi.

Alimenti præparatio in ore.

Ventriculus quid.

fibræ,

fibræ, quæ infrà ipsum sunt dilatantur: quæ autem suprà, cōtrahuntur, idq; adeò artè, ut inter devorandum plerunq; haustus spiritus, tametsi tenuis est, simul impulsus & adactus remigrare vix possit. Itaque partim ventriculo trahente, partim detrudente gula, ciborum fit depulsio. Hos autem tandem ventriculi facultas concoctrix mutat, conficit, & pleniùs concoquit, atq; ex eis humorem procreat, qui proprio nomine Græcis χυλὸς, Latinis cremor nominatur. Quod verò, in hoc cremore, longè optimum & familiare habetur, id Galeno lib. 3. Natural. facul. teste, halitus specie ad se rapit, inq; suas tunicas sugendo recondit, eis etiam adiungit, & agglutinat, atq; ex ipso demum fructum voluptatemq; capit, & quodā modo saturatur, non tamen propriè nutritur. Neque enim pastio illa, quam ex cremore capessit, vera est nutritio; sed ex qualitatis cognatione & convenientia oblectatio quædam, & satietas nutritionis æmula, quòd scilicet ventriculo non assimiletur. Hinc est, quòd Galenus religiosè vitet, ne dicat ventriculum sibi assimilare chylum, sed tantùm reponere, & adiungere. Neque est, cur quispiam miretur, appositionem, & adhærentiam fieri, quam non consequatur assimilatio. Quippe idipsum fit etiam in vitiligine, in qua certè adhærentia nutrimenti facta cernitur, non tamen assimilatio. Quapropter id, quod apponitur & agglutinatur, Galeno etiam loco iam citato teste, veluti nutrimentum est, non propriè nutrimentum. Ita ex chylo, ventriculus nutritur quidem, at impropriè, quia non assimilatur illi. Atqui instabit quispiam, & nobis ex tertio de Naturalibus facultatibus libro, locum obijciet, in quo Galenus disertè dicat, in tertia temporis portione, ventriculū iam nutriri, iis quæ affixerat, planè sibi assimilatis. Cui vicissim respondemus, verissima esse hæc Galeni verba, non tamen ad chylūm qui adhuc in ventriculi capacitate fluitat, esse referenda, utpote qui non assimilari possit; quandoquidem non

Prima concoctionis humor.

Ventriculus cremoris benignitate fruitur.

Totus ventriculus sanguine nutritur.

fit propriè, ut diximus, loquendo nutrimentum, sed ad id, quod iam ex oblato cibo ac chylo, ad se venæ ad ventriculum pertinentes traxerunt. Quippe id iam in sanguinem commutatum, iis temporum vicibus apponitur, affigitur, & assimilatur, non chylus ipse. Nam cremor ille, vacua tunicæ vẽtriculi spacia refer-ciens, in vaporem fusus & extenuatus ad extremum vanescit. Quapropter famem sive appetentiam dun-taxat animalem compescit. Quippe hæc, à penuriæ sensu fit, quùm venæ ex ipso ventriculo veluti emul-gentes, sugentesq; trahunt. Ventriculus verò huius-modi suctionem non ferens, sed tanquam divulsus, huius molestiæ remedium, cibum exquirit. Cibo au-tem oblato, venæ ad ipsum convertuntur, & ex eo, non ex ventriculo, alimentum trahunt. Hoc ubi in sanguinem commutatum, appositum, affixum & as-similatum fuerit, naturalem appetentiã sedat. Quip-pe hanc, una duntaxat sanguinis substantia per ven-triculi corpus & molem effusa, satiare potest, dum in eius naturam convertitur. Animalem autẽ non mo-dò sanguis, sed & cremor in ventriculum demissus, compescit atq; saturat. Vt igitur utraq; ventriculi tu-nica interior nimirum & exterior, ex qualitatis chyli cognatione & convenientia, oblectationem quandã & satietatem nutritionis æmulam capessit, nec verè nutritur: ita ex sanguine, qui in venis est, quæ ad ven-triculum pertinent, verè nutritur. Atq; hinc est, quòd Galen. lib. 14. de Vsu partium, cap. 19. disertè scribat, has venas, à natura ad perfectam nutritionem ven-triculi esse procreatas. Quasi dicat, eam nutritionem, quæ ex chylo fit, quòd is ventriculo non assimiletur, non esse perfectam. Neque est necesse ut is chylus in iecore primùm in sanguinem convertatur, quando-quidem, ut Galenus lib. 4. de Vsu par. corp. humani, autor est, venis, quæ ad ventriculum & intestina per-tinent, virtus quædam sanguifica, à iecore, in has in-fluens inest. qua chylum in sanguinem, priusquam ille ad iecur perveniat, permutare solent. Præterea as-

Ingestus cibus famem duntaxat animalem sedat.

Ventriculus neutiquam chylo nutritur.

Ventriculi venæ sanguificant.

sertio.

sertionem nostram esse veram, nempe ex sanguine propriè nutriri ventriculum, hinc fit manifestissimũ, quòd dum fœtus utero continetur, totus ventriculus puro & syncero sanguine alitur, nullo nimirum tùm in eius ventriculo existente chylo. Quia igitur nunc cumulatiùs atque perfectiùs is ali postulat, optima ratione similiter ex sanguine nutrietur, & incrementum suum capesset. Porrò quùm non omne quod in alimoniam assumitur, trãsmutari in corporis substantiam possit, sed alienum in eo remaneat quippiam, quod concoctionem accipere minimè possit, quod tãquam superfluum & alienum expelli omninò oporteat, quod excrementum vocare solemus, actione profectò ea nobis valdè opus est, qua aliena foras pellantur, ne quid naturæ noceant, quæ expulsio dicitur, & per transversas fit fibras. Igitur postquam perfectè planeq;, cibos, ventriculus concoxit, iisq; abundè saturatus est, os internum cui pylorum nomen est, aperit, diducit, ac per id, quicquid alimenti reliquum est, tanquam onus inutile, & molestum à se deponit exigitq;. Quod igitur in ventriculo redundat alimentum, in intestina protruditur. Exceptũ autem, confestim prætervehitur à depellendi facultate, quæ in intestinis est valentissima. Quoniam verò multiplex est intestinorum anfractus, & fluxuosa circuitio, haùd ita facilè alimentum præterlabitur. in hac itaq; viæ longitudine, defluentis materiæ quicquid est coctum, & salutare, per mesenterii venas, in iecur transportatur. Quicquid autem hunc intestinorum anfractum prætergreditur, nec in mesenterii venas raptum fuerit, tanquam inutile in crassiora intestina deijcitur, quò simul ac pervenerit, excrementi appellationem sumit. Estq; id excrementum quod Græcis ἀποπάτημα, Latinis stercus vocatur. Hoc quidem excrementum, in ventriculo utili substantiæ cõfusum erat, sed ventriculum egrediẽs, posteà è superiorib⁹ gracilibúsve intestinis universus cremor syncerus ac purus in iecur, ut dictũ est, rapitur. Reliqua

Expulsio.

Primæ concoctionis excrementum.

crassior, impurior, & fæcis æmula materia; in colum intestinum, mox in rectum irruit, illicque, donec expellatur, hæret. Secunda concoctio, in iecore perficitur, & privatim Græcis αἱμάτωσις appellatur. Hac enim cremor è ventriculo haustus, propria iecoris vi, quæ in eius potissimùm substantia insidet, in veram sanguinis speciem convertitur, quem, à cremore non modò colore, sed etiam universa substantia planè diversum esse constat. Hic sanè, adumbrationem quandam in venis mesenterii accepit. Præparant enim hæ, cremorem iecori, conferuntque quasi rudimentum sanguinis, quale in eis per dissectiones deprehendi solet: idcirco sanè quòd à iecore initium ducunt, cuius proinde naturam referunt, & æmulantur, adeoq; hinc vim sanguificandi nanciscuntur & accipiunt. Vires enim habent venæ, non solùm continendi distribuendiq; sanguinis, sed etiam concoquendi, hasq; à iecore originis suę principio & quasi fonte, quemadmodum à ventriculo intestina tenuia mutantur. Nam cibus, in ipso etiam per intestina transitu, elaborationem etiamnum & absolutionem completam adipiscitur, quod iners & ociosa nunquã esse possit, quæ in eis est commutandi facultas. Cæterùm cremorem, ope venarum mesenterii præparatũ, & rudi quadam sanguinis forma adumbratum, iecur accipit, & vera & expressa sanguinis specie ornat, & perficit. Vt alterius concoctionis utilis humor nõ sit nisi sanguis, aut si universa complecti velis, humor omnis qui Græcis χυμός nominatur. Quo quidem nomine non modò purus syncerusq; sanguis, sed illi etiam qui cum sanguine gignuntur naturales, & nutritioni accommodati humores, notantur atq; designantur. Geniti iam sanguinis portionem quandam familiarem ac benignam, sibi iecur adiungit, agglutinat, & assimilat, adeoq; in propriam naturam cõvertit. Reliquam sanguinis partem, ceu redundantem, & sibi supervacaneam, in venam cavam perlabi sinit, à qua in totum distribuitur corpus per venas sanè multas in omnes corporis partes pertinentes. Cæterùm chylus

Secunda cõcoctio iecoris.

Venæ mesenterij præparant iecori cremorem.

Venæ concoquẽdi ac sanguificãdi facultatem obtinent.

Intestina cibum concoquunt.

Secundæ cõcoctionis humor.

χυμός.

chylus in iecur transfusus, quum humidus quidam liquor sit, quodammodò fervet, & cōcoquitur: quapropter supervacanea, quę prius quidem confusa inerant, vi concoctionis apparent, secernuntur, atq; secedunt, alterumq; tenue & leve flori vini simile, alterum crassum, feci respondens, existit. Hæc quidem supervacanea, quia sunt ad corpus alendum minùs idonea, idcircò sanguini puro corporis alimento, permisceri par non erat. Quapropter natura illa segregat, & excrementum primū, quod est, quale id quod florem in vino appellant (è tenuissima enim cremoris portione assa & torrida natum est) quasi flammeam acrimoniam assumit: quocirca excrementum verè est, omninò præter naturam, nec alendo corpori accommodatum, & flava bilis nominatur: ideoque propriam in vesiculam, quæ iecori subest, reconditur, ac in priorem tenuium intestinorum partem, sive duodenum, (ut suo loco fusiùs monstratum est) excernitur. Quamquam igitur mordax est & acris hic humor, vesiculæ tamen proprioq; suo receptaculo tristis non est, aut infestus, sed planè iucundus & amicus, ex quo, illa, voluptatem, & iucunditatis sensū percipit. Eo autem, haudquaquam alitur, (quòd usquequaq; amarus sit, nullo benigno succo perfusus) sed sanguine quem suscipit per venam ipsius cervici insertam. Alterum verò, sanguinis excrementum, simile illi, quod fæcem in vino nominant, ex crassa terrenaq; cremoris portione factum, quod naturę concoctionem subterfugit, neque iecoris vi mutari potuit, à liene insita facultate, qua sibi gratum est, & suave, attrahitur, & subinde in ventriculum evomitur, à quo exiens unà cum sicciori alimenti excremēto, per omnia intestina permeat. Postquàm enim in illius venis & arteriis, quę illic multæ sunt & ingētes, hic humor melancholicus elaboratus fuerit, non universus, neq; crassior illius portio, sed tenuior duntaxat, lienis fit alimentum, & in eius carnem sensim illabitur. Crassior autem portio in ventriculū evomitur, ut quùm acerba & austera sit, ei⁹ actionē firmet,

Primum.

Vesiculà bilis alitur sanguine.

Alterum.

Lien quomodo alitur & unde?

Tertium. ac robuſtiorem validioremq; reddat. Tertium excrementum, quod è iecore, venis & arteriis profunditur, eiuſmodi planè eſt, quale in lacte concreto ſerum. Hoc, renes à ſanguine trahentes, & ad ſe rapientes, ad veſicam transmittunt, urinaq; nuncupatur. Hæc autem, veſicam non alit, ſed ſanguis, qui per peculiares venas, utrinque in illius cervicem inſertus influit. Porrò in ſanguine, à quo in iecore utraque bilis ſecreta iam eſt; crudus quidam humor confuſus permiſcetur, cui purgando natura nullum inſtrumentum aſſignavit, quod ſegregari & excludi non deberet. Eſt enim quaſi ex dimidio coctum alimentum, quod manet in iecore donec concoquatur, iamq; mutatum & concoctum, unà cũ reliquo ſanguine, in venas rapiatur: ut lib. 1. huius Operis, ſect. 4. cap. 3. & in libello cui titulum fecimus, Núm iecur, primum ſanguinis conficiendi ſit inſtrumentum, fuſiùs monſtravimus. Quod verò eius crudum, & nondum plenè concoctum, in iecore adhuc relinquitur, id per inedias, & cibi penuriam maximè, ſenſim cõcoquitur & integrè mutatur, fitq; ſanguis.

Tertia concoctio in ſingulis partibus. Tertia concoctio in ſingulis partibus fit, quà appoſitus adiectusq; ſanguis iam à priore natura deficiens, in idoneam alendæ parti ſubſtantiam convertitur. *Præparatio tertiæ concoctionis.* Hæc rudimentum quoddam & primordium capit, in venis exilibus, in quibus ſanguis à partis natura & calore mutatur. Eius autem abſolutio, eſt perfecta aſſimilatio, atq; nutritio, omnium concoctionum finis. *Tertiæ concoctionis humores.* Huius utilis ſuccus eſt, univerſum eorum humorum genus, qui ſecundarii appellantur, de quib. ſuprà diffusè egimus: in quorum ordine eum primum collocavimus, qui in exilibus eſt partiũ venis, ſecundum, qui tanquam ros in partes influit, eisq; apponitur, tertiũ, qui adglutinatur: quartum, qui iam in partis ſubſtantiam concedit, eiq; aſſimilatur. *Excrementa.* Eorum verò excrementorum, quæ in ſingulis animalis naſcuntur partibus, ex ipſo unde aluntur ſucco, aliud quidem eſt ceu ſemicoctæ quæpiam huius reliquiæ, quę

aſſimilari

assimilari nutriendæ parti nequiverunt: aliud, quod transmittendi alimenti vehiculum fuit. Tenuissimũ autem huius generis excrementum, facilè sanè eijcitur, partim in speciem vaporis, ab insito calore solutum, partim violento motu confertim erumpẽs. Nominant verò, quod ita excernitur, sudorẽ. Alterum verò, quod vulgo est incognitum, ut quod conspectum, præ tenuitate effugit, à Græcis ἄδηλος αἰσθήσει διαπνοή, Latinis insensilis sensúmve latens transpiratio. Ab hoc excremẽto, iis sordibus, quæ extrinsecùs cuti adhærescunt, origo est. Præter hæc alia quædã in conspectum se dant, sua quibusq; partibus peculiaria excrementa, quemadmodum pili & ungues partium solidarum, renum & vesicæ ea quæ cum urinis redduntur, pulmonis sputa, cerebri quod tum per palatum, tum per nares defluit & emungitur, βλέννα, id est, mucus, aut κορύζα, hoc est, gravedo, Græcis appellatur. Atq; ex iis quæ iam diximus, qua ratione in singulis concoctionibus, tùm distributio, tùm excretio fiat, palàm fit omnibus, nec ut de singulis verba faciamus est necesse. Vnum tamen adijciendum prioribus erit, nempe attractionem, retentionem, distributionem, & excretionem, quùm non sine loci mutatione fiant, practicas quoque dici, ut suprà etiam est monstratum, actiones.

Sudor.

Insensilis trãspiratio.

Naturalium actionum è numero quæ practicæ dicantur.

ACTIONES CORPORIS A MEDICO cur considerandæ. Cap. VI.

DVabus potissimùm de causis actiones corporis, à medico, accurata opera sunt considerãdæ. Vna, quòd ex illis, quę qualisq; corporis sit constitutio, promptè cognosci possit. Eam enim constitutionem, quæ intrà sanitatis limites consistit, illæsæ & inculpatæ actiones sequuntur. Morbosam verò, vitiosę & culpabiles. Altera, quòd ex actionibus læsis, laborans pars dignoscatur. Siquidẽ nulla actio læditur, Galen. etiam lib. 1. de Laboran.

Ex actionibus corporis constitutio dignoscitur.

Actio læsa laborantem partẽ prodit.

locis, cap. 2. teste, nisi pars, quæ ipsam efficit, laboret. Id quod tamen non de omnibus actionibus, sed de naturalibus duntaxat intelligendum erit. Nam naturales actiones, perinde atq; facultates, à quibus illæ prodeunt, omnibus corporis partibus sunt insitæ & connatæ, ut magneti lapidi, vis trahendi ferrũ, ut nihil mirum sit, actionibus iis læsis, partes quoque, quibus illæ insunt, necessariò lædi. Quapropter non est simpliciter concedendum, nullam actionem lædi posse, nisi etiam pars, quæ ipsam efficit, laboret: sed prius de actionibus, ac earundem instrumẽtis distinguendum erit. Quippe si hæc verba ad animales actiones trãsferas, nihil iis, magis absurdum dici posset. Cùm enim illæ ipsæ partibus non sint insitæ, sed aliunde, nimirum à cerebro, ubi animæ sedes est, in eas deriventur, sępenumerò certè impediuntur, etiãsi nulla à partibus, quarum actiones sunt, noxa existit.

Num actio nulla lædatur, nisi pars quæ ipsam efficit, laboret.

Differentia inter naturalia & animalia instrumenta.

Non levis itaq; inter naturalia & animalia instrumẽta vocata differentia est, quam luculenter admodum li. 1. de Laborantibus locis, ca ultimo, iis docuit verbis: Plurimùm differunt, inquit, naturalia, ab animalibus instrumentis. Siquidem naturalibus connata actionis vis est, animalibus verò instrumentis à principio, veluti lumen à sole, ipsa defluit. Quapropter accidit, ut ipsis interdum haudquaquam læsis, nihilominus eorum pereat actio. Id quod naturalibus instrumentis accidere non solet: quoties enim horum actio læditur, semper ipsa, prius laborant. Hæc ille. Quid multa? quum animalia instrumenta connatum sensus & motus principium non habeant, sed iis aliunde, velut lumen, à sole, suppeditetur, nihil mirum si solis partibus, quæ & sentiendi & movẽdi vim obtinent, accidat, ut ipsis interdum haudquaquam laborantibus ac læsis, eorum nihilominus pereat actio. Contrà verò in naturalibus eveniat, ut quoties horum actio læditur, semper ipsa priora laborent. Innatã namque & insitam, qua actiones suas perficiunt, omnia, facultatem habent.

DE

DE SPIRITIBVS.

SECTIO IIX.

QVID SPIRITVS. Cap. I.


VVM de humanis spiritibus hoc loco nobis disserendũ sit, initio ut implicatam huius nominis rationẽ expediamus, necessarium est. Sciẽdum igitur erit, πνεῦμα Græcis, & Latinis spiritum, variè à Medicis accipi. Interdum enim illis aerem & auram, quæ inspiratur significat. Aliquando idem quod φῦσα, id est, flatus significat. Nonnunquam iisdem pro spiratione sumitur. Atque hæc quidem significatio crebrò apud Hippocratem occurrit. Interdum ipsis omnium quæ in corpore sunt levissimum & tenuissimum spiritus nomine intelligitur. Quâ quidem in significatione hic usurpatur, nempe pro substantia corporis nostri auræ tenui persimili. Spiritus itaque hoc in loco non est, nisi pertenuis, aerea ac vaporosa substantia, quâ corpus nostrum constat, & ad diversas suas actiones obeundas utitur: ut spiritus sit facultatũ veluti vehiculum, primumq; obeundarum actionũ instrumentum. Quùm enim geminus sit primarius spiritus, (ut infrà fusiùs, dicemus) insitus & influens, uterq; hac finitione complectitur. Insitus quidem, ubi dicitur: qua corpus nostrũ constat. Insitus enim, ingenitus, sive innatus, Græcis σύμφυτος dictus, spiritus, est is qui in singulis membris, ex primis principiis, semine nimirum & sanguine, relictus inest. Nam quicquid in illis tenue est, id in vaporem & spiritum abit, propterea quòd materia humida nunquam desit, nec etiam calor, qui, ex illa vaporẽ eliciat. Quod divinus confirmat Galen. qui sect. 1. Aph. comm. 15. ita scriptum reliquit: Tria erant corpora, quæ primogeniam nostri substantiam compleverunt, spiritus,

Spiritus variæ acceptiones.

1 (φῦσα, flatus)
2 (spiratio)
3 (Hippocrates)
4 (levissimum & tenuissimum)

Spiritus hîc quid.

Spiritus primarius geminus.

Insitus sive innatus ingenitúsve. σύμφυτος.

Serosa substantia. sanguis, & serosa substantia. Per serosam autem substantiam non nisi semen intelligit, libr. 5. de Simplicium medicamentorum facult. cap. 9. itidem disertis verbis testatur, spiritum quendam innatum in omnibus animalis partibus contineri, atque eum non esse ubique sui similem, veluti nec sanguinem ipsum. In spaciis quoq; inanibus nō parvam eius inesse substātiam, addit, imò potiùs veluti materiam quandam leviculam etiamnùm mutationem postulantem, ad innati spiritus qualitatibus suis absoluti, generationem, nihilo seciùs tamen iam tum etiam ad naturalia opera conducentem. *Influens.* Influens spiritus est, qui aliunde manat, & immittitur, & insitum fovet ac conservat. Quare ut eiusdem naturæ, cum eo, qui singulis membris ex primis principiis est insitus, sit oportet, quòd alioqui insitus ab influente augeri, conservari, & ad actiones excitari, ut ab omnibus medicis receptum est, non posset. Quippe influens spiritus, suo calore, insitū singulis membris calorem excitat, & ei, ut philosophi loquuntur, actū dat, & perfectionem. Quum igitur constet, & receptum sit, omnes actiones quæ in corpore humano fiunt, hoc spiritu egere, liquet illum à calore innato influente, sine quo nulla actio exerceri potest, nō esse diversum. Quemadmodum igitur calore à corde influente, hic qui insitus est excitatur, & universæ facultates tùm cognatæ partibus, tùm quæ aliunde immittuntur: ita quoque influentibus à suis fontib. spiritibus, qui singulis partibus insitus est spiritus, ad agendum aptus fit. Spiritus igitur ille, sive corpus hoc vaporosum, tenue, elaboratum, admodum calidum, à corde primùm in arterias, inde in universum corpus manans, innatus & ingenitus à Galeno dicitur. *Spirituum materia.* Ex eadem quoq; materia, nempe sanguine, originem spiritus influens habet: unius igitur naturæ & virtutis sit, cum insito necesse est, cuius certè gratia comparatus est. Nulla igitur alia ratione distant, quàm quòd hic aliunde influit, ille verò omnibus corporis partibus est insitus.

Qua-

Quapropter Galenus lib.6. de Vsu part. rectè spiritū definit esse exhalationem quandam, quę ex benigno sanguine assurgit. Nam ea finitione utrumq; spiritū complexus est: uterq; enim, ut ostensum est, ex sanguine per evaporationem fit. Neq; obstat, quòd spiritus insitus, è semine etiam fieri à Galeno & aliis medicis dicatur. Quippe semen è sanguine quoq; procreatur, intercedente tamen longâ transmutatione. Proinde, ut à sanguine, rectè cum Galeno, nutriri omnes corporis partes asserimus: ita quoque spiritum omnem à sanguine nasci, ac fieri cum eodē dicimus. Porrò uterque spiritus iam dictus, actionum omniū quæ in nobis fiunt, autor est. Quod satis confirmat Galenus, in eo qui paulò antè à nobis ex libro 5. de Simpl. facult. cap. 9. adductus est loco. Nam influens spiritus, insitum, ad suas vires functionesq; concitat, ideoque iuncti perpetuam operum functionem edunt. Solum autem insitum spiritum suapte natura esse ad edendas functiones, inhabilem & impotentem, obstructio nervorū manifestissimè docet. Nam utcunque ingenitus spiritus nervis insit, tamen quia influens à cerebro, illam functionem excitare non potest, fit ut pars illa, motum suū obire haud valeat. Ex iis iam patere arbitror, spiritum à corpore & humoribus esse quippiam diversum. Quod etiam Hippocrates satis confirmat, quùm lib. 6. Epidem. sect. 8. Aphor. 8. corpus nostrum è tribus rebus constitutum esse, nempe continentibus, contentis, & impetum facientibus, scribit. Per ea enim quæ impetum faciunt, spiritus intelligit, quòd scilicet ob substantiæ tenuitatem facilè penetrent, (quemadmodum in iam citatæ sententiæ explicatione fusiùs diximus.) Quòd si verò ex iis quæ diximus quispiam spiritus substantiā & statum nondum plenè assequitur, is corporis nostri structuram contemplatus, arterias adeat, inque cordis sinus, & cerebri ventriculos introspiciat, quos dum inanes, ac nullius propè humoris participes videbit, neq; tamen frustrà ac temerè tantos à natura

Galenus ut spiritum definit.

Spiritus influens, & calidum innatum influens, idem.

Obiectio diluitur.

Vterq; spiritus actionum author.

Spiritus à corpore & humoribus diversus.

Impetum facientia.

conditos, mox, opinor, cogitatione apprehendet, prætenuem auram, & aëream ſubſtantiam eos tum impleviſſe, dum in vivis animal fuit: quæ tamen, eo animam agente, leviſſima quum eſſet, ſine ſenſu in congenerem ambientem ſubſtantiam evolavit, & evanuit. Etſi verò hæc ad influentis tãtùm ſpiritus cognitionem conferre videntur, tamen quùm is eiuſdē naturæ ſit cum eo, qui ex primis principiis ſingulis membris eſt inſitus, (ut paulò antè oſtendimus,) ad illius quoq; noticiam conducere poterit. Eſſe autem ſpiritum ſubſtantiam aëream, hinc maximè liquet, quòd huius fovendi, conſervandi, augendiq; gratia inſpiratione aërem attrahimus, qui non modò corpori refrigerationem, ſed ſpiritui quoque pabulum miniſtrat. Quippe dum ille hauritur & attrahitur, cōgeneri, & naturæ ſuæ ſimili ſubſtantiæ, nempe ſpiritui iungitur, eiq; velut in paſtum cedit. Quod confirmat Hippocrates, qui in libello de Alimento, ita ſcriptum reliquit: *ἀρχὴ τροφῆς πνεύματος, ῥῖνες, στόμα, βρόγχος, πνεύμων καὶ ἄλλη διαπνοή*: id eſt, Principium alimenti ſpiritus, nares, os, aſpera arteria, pulmo, & reliqua perſpiratio. Minimè itaq; abſurdum eſt dicere, (ut Argenterius cenſet,) ſpiritum ſeû ſpirituoſam ſubſtantiam ex aëre inſpirato ali & nutriri. Quamquam enim verum eſt nihil nutriri propriè loquendo, niſi quod ſolidum ſit, ac vivit: tamen *καταχρηστικῶς* & impropriè ſæpè etiam ea quæ non vivūt, nec ſolida ſunt, ali dicuntur à rebus, à quibus conſervantur & recreantur. Et ut alia omnia omittamus, habemus Hippocratem eius loquēdi rationis autorem, maximè authoritatis virum, qui aerem, ut dictum eſt, ſpiritus eſſe alimentum memoriæ prodidit, & diſertis verbis in iam citatâ ſententiâ affirmavit.

Spiritus eſt ſubſtantia aerea.

Spiritus ex aere nutritur.

QVOT

QVOT SINT SPIRITVS.

Cap. II.

DE spirituum numero, inter medicos non cō-venit. Sunt enim qui triplices, & hi quidem numēro superiores: sunt etiam qui duplicē tantùm esse affirmant: est quoq; Argenterius, qui unum duntaxat esse contendit. Sed si quis ad ea, quæ præcedenti Capite diximus, diligenter respexerit, promptè sese ex ista sententiarū varietate explicabit. Nam de Galeni sententia, duo sunt primarii spiritus, insitus & influens. Insitus est, quē multis in locis sua lingua σύμφυτον nominat. De quo in eo quod præcessit capite, abundè dictum est. Influens, qui à principiis, corde nimirum & cerebro, prodit, & in vitalem & animalem. (naturali, qui illi sua lingua φυσικός appellatur, in dubio relicto, ab aliis prorsus excluso, digeritur.) Nam lib. 12. Therap. method. cap. 5. in eum scribit modum: Quòd si naturalis quoq; aliquis spiritus est, utique is quoq; in iecore & venis continebitur. Nihil autem mirum, Galenum de φυσικῷ, hoc est, naturali spiritu, dubitasse. Nam spiritu naturali, qui nutriendi facultatem, ad corporis partes deferat, non esse opus videtur, quòd ea omnibus corporis partibus, haûd secùs atque magneti lapidi, vis attrahendi ferrum, & succino paleas, (ut in libris de Natural. facult. demonstravit Galenus) insita & innata sit. Proinde naturali spiritu, qui hanc facultatem à iecore, ad alias partes deferat, haûd indiget. Accedit, quòd iecori desit materia, ex quâ naturalis spiritus procreari possit. Si enim ulla materia, unde naturalis procrearetur spiritus, esset, certè vitalis, unde etiam animalis, ut infrà latiùs dicetur, generatur, esset spiritus. Non est autem rationi consentaneum, ex vitali, ac eo perpauco, naturalem constitui posse, & posteâ in totum corpus longè lateq; diffundi. Quùm enim vitalis spiritus generatio in corde sit, & ab eo per

Spirituum numerus.

Galeni sententia.

σύμφυτ☉.

φυσικός.

Cur Galen. de naturali spiritu dubitaverit.

arterias in universum corpus diffundatur, necessariũ esset, magnas arterias ad jecur pervenire, spiritum vitalium tantos rivos suppeditantes, qui pro naturalis spiritus materia sufficerent. Ex dissectione verò ipsa satis constat, ad cavas dũtaxat jecoris sedes, arterias, & eas quidem exiguas, exporrigi, ut hujus calorem eventilarent, temperarentque. Hæ autem non tantam spiritus vitalis copiam illuc deferunt, ut inde naturalis gigni queat, quando palàm sit, plures esse corporis partes, quæ naturali, quàm quæ animali egent spiritu. Omnibus enim ut nutriantur opus est, at non omnes sensu & motu indigent: Præterea nulla est in jecore tanta cavitas, quanta in corde, & cerebro existit, in qua naturalis spiritus, (tãquam in officina aliqua) generatio commodè fieri posset. In corde enim sinister est ventriculus, spiritus vitalis officina: in cerebro autem ventriculi illius effatu digni. Sed nec canales, aut meatus suppetunt, per quos ubi jam genitus esset, ad partes corporis ferretur: nisi quispiam dicat, per venas unà cum sanguine, spiritũ naturalem transire: quod tamen absurditate non vacat. Neq; enim corpus venarum, (unica duntaxat tunica contextum) patitur, ut per illud spiritus meare possit. Huc accedit, quòd jecoris sanguis, utpote crassus ac turbidus, nec dum ab excrementis emũdatus, ad spiritus generationem non sit idoneus. Deniq; quum quævis particula, calorem, de corde jugiter manantem concipiat, quo conservato enutritur, & generatur, animalem verò spiritum à cerebro habeat, è quo movetur & sentit, supervacaneus certè sit naturalis, necesse est. Proinde quum nec finis adsit, ob quem spiritum naturalem gigni oporteat, nec materia, unde procreari, vel conservari possit, nec locus idoneus in quo gignatur, nec via per quam ad corporis partes derivetur: meritò ille omittendus videtur, præsertim quum citrà ejus famulitium, jecur suum principatum tueri valeat, distributo nimirum, per venas, omnibus corporis partibus, alimento. Vtiis motus rationibus

Epilogus dictorum.

Gale-

Galenus, non immeritò an aliquis sit spiritus naturalis dubitaverit. Galeni sentētiæ subscribit Averrhoës, primo collectaneorum lib. cap. 14. inquiens: Spiritus duo sunt, spiritus apparens in corde, & spiritus apparens in cerebro: sed spiritus in hepate non apparet, per viam sensus. In errore igitur versantur Argenterius & Montanus, qui Galen. (aliquot ex eo productis locis) naturalem statuere spiritum contendunt. Nam omnia hæc loca quæ ipsi ad naturalem, quem ille φυσικόν vocat, detorquent, de συμφύτῳ, id est, insito eidem nominato, loquuntur: ut ex superioribus satis patuit. Sed jam quæ sit Galeni de vitali & animali, influentibus spiritibus sententiâ, exponemus. Inter partes corporis principatum obtinentes, cor & cerebrum, tùm natura, tùm spiritu prępotente valent: hincque adeò fit, ut non seipsa duntaxat gubernent, sed alios de se spiritus, tanquam jugi de fonte, promant, atq; hos in totum corpus propriis ductibus derivent. His namq; quicunq; sunt singulis partib. insiti spiritus, aluntur & conservantur. His quoque ad functiones suas concitati, perpetuam operum functionem, (ut dictū est,) edunt. Vt hinc etiam intelligatur, prętèr insitum spiritum, qui stabilis & in unaquaq; parte fixus est, duos: unum vitalem, quem cor assiduè per arterias emittit: alterum verò animalem, qui in cerebri ventriculis genitus, hincque per nervos influens, partib. sensum & motum suppeditat. Neq; enim necessarium fuit spiritum innatum esse mobilem, quòd per se, ad edendas actiones potens non sit, sed sufficiebat influentem talem esse, ut scil. mobilis, singulis partibus, insitum spiritum ad edendas functiones excitaret. Vitalis autem spiritus generatur à cordis natura & proprietate, ex sanguinis vaporibus depuratis, & aëre attracto & inspirato, Galeno lib. 12. Thera. metho. cap. 5. autore. Hic corpori vitam suppeditat, ac vitalibus functionibus ministrat, mutuato sanè à facultate cui servit nomine. Vitalem autem spiritum, generationis suæ materiam ex humorū ex-

Argēterius & Montan. Galenum nō rectè naturalem statuere contendunt.

De influentibus spiritibus, vitali & animali.

Vitalis spiritus procreatio.

halatione, sive evaporatione, & aëris inspiratione sumere, Galen. lib. 7. de Hippoc. & Platonis placitis, c. 6. testatur. Vt igitur spiritus vitalis nutritur, & conservatur tùm ex sanguine, tùm ex inspirato aëre: ita vicissim perit suffocatione, materiæ tota essentia contrariæ admistione, nutrimēti defectu, vacuatione immodica, impedita inspiratione, & trāspiratione. Suffocatur autem obstructione, & redundantia, non solùm partium principum, sed etiam universi corporis. Oppletis enim venis, aut obstructis, vel principū partium, vel totius corporis, nativus calor, adeoq; spiritus vitalis, opprimitur, & suffocatur. Admiscetur verò aliena substantia inspiratione aëris pestilentis, aut vaporis alicujus tetri odoris, qualis ex stagnis, paludibus, & cadaveribus non crematis, aut alia corrupta substātia exhalare solet. Spiritus igitur vitalis in corde domiciliū habet, & per arterias in omnes corporis partes defertur. Portio autem vitalis spiritus, quæ per arterias sursum ad cerebrum fertur, unà cum aëre qui per nares inspiratur, in plexu in dextro & sinistro cerebri ventriculis constituto, quiq; ab extimi fœtus involucri imagine, nomen invenit, & χοροειδὴς dicitur, ob frequentes ejus anfractus ad cerebri usus magis magisq; adaptata, & à cerebri facultate perfectius cocta, & elaborata, spiritus fit animalis, clarissimus ac tenuissimus, ad motum sensumque, & ad omnes denique animales actiones aptè comparatus. Animalis igitur spiritus ex vitali perfectiùs cocto oritur. Proinde quū oporteret ipsum exquisitissimam omnium immutationem adipisci, natura illi diuturnam concoctionis moram, non quidem reticularem illum extra cerebrum plexum, (ut Galenus censuit) quòd nullus hujusmodi in homine reperiatur, sed potius plexum illum, qui, ut dictum est, choroides dicitur, & quasi labyrinthus varius, in cerebri ventriculis fabricavit. Spiritus itaque vitalis vi ac proprietate spiritus qui cerebro insitus est, mutatione jam dicta accedente, spiritus fit animalis. Hic verò, ut Galenus quoque

Spiritus vitalis quibus de causis perit.

Animalis spiritus generatio.

Non generatur in plexu reticulari.

loco suprà citato author est, primum cerebri in actionibus tùm sensilibus, tùm voluntariis edendis instrumentum est. Quò respiciens Hippocrates, illum animæ essentiam esse dixit. Elaboratum autē in cerebro spiritum, nervi, iis quibus hunc mandari oportet partibus communicant. Aëre quoque per nares inspirato, & undequaque ubi aditum reperit, & maximè per foraminula odorum gratia in octavo capitis osse exculpta, & per ea etiam quæ palatū & fauces spectant, ad cerebrum perlato, ac ibidem elaborato, fomētum incrementumque recipit. Vt rectissimè Galenus hūc nunc ex vitali, nunc ex aëre inspirato, nunc ex sanguine gigni & nutriri dixerit. Vt mirari vix desinam Argenterium, qui fieri non posse putat, ut aër inspiratus ad plexum ferri possit. Non fertur quidem ad plexum reticularem, qui in homine, (ut cōmemoratum est) nullus reperitur: sed ad plexum choroidem, per loca utique jam ostensa. Gignitur etiam & nutritur ex sanguine, sed intercedentib. anteà aliquot mutationibus. Imò fieri potest, ut etiam ex evaporatione ejus sanguinis, qui in cerebri venis existit, augeatur & nutriatur. Quare, nō rarò Argenterius nodum in scirpo, (dum præter rationem veterum scripta parum candidè interpretatur,) quærere videtur. Cæterùm vitalis & animalis spiritus, calidum, & spiritum innatum insitúmve, membris augent. Nulla namque in nobis pars, aut calorem, aut insitum spiritum, aut vires, ab ortu datas, potis est retinere, citrà influentium horum spirituum vires: sed brevi omnia tempore conciderent, à principiorum viribus destituta, nisi omniū insitæ vires, influentibus, à corde & cerebro facultatibus, & spiritibus augerentur. Facultates quoque excitant, redduntq; aptas amplioris caloris beneficio, ad propria exercenda officia. Quod innuere quidam volentes, spiritus esse facultatum vehicula dixerunt: & rectè quidem. Nam facultates, vitalis & animalis per spiritus, veluti sua vehicula, è suis quæq; fontibus, per propria instrumenta, quæ

Argenterii opinio improbata.

Partes omnes tùm insitis, tùm influentibus facultatibus ac spiritibus gubernari.

Spiritus vehicula facultatum.

etiam ab illis fontibus enascuntur, in omne corpus distribuuntur. Naturalis autē facultas, quum omnibus partibus insita sit, ejusmodi vehiculo, (juxta Galeni sententiam) non eget. Atqui hoc loco iis quæ diximus, Argenterius multis modis reclamat. Quis enim, inquit, animo cōcipere posset, per nervos densa corpora dura & solida, substantiam aliquā promptè subire, undiq; penetrare, subitò accedere, & recedere posse? Annon Argenteri, radii solis per vitrum, substantiam ner..s multò dēsiorem, duriorem ac solidiorem penetrant? Quid igitur mirum, spiritū; qui omnium quæ in corpore nostro sunt, levissimus & tenuissimus est, nervos penetrare posse? Quòd si humor crassus ita interdum nervos penetrat, & infarcit, ut facultatis transitum, quod ipse fateris; impediat: cur non multò promptiùs, per eosdem, spiritus, meare posset? Sed pergit, inquiens: Quòd si motus voluntarius, & sensus prorsus desiderant spirituum immissionem in nervorū substantiam, cur non idem fit in motu arteriarum: & quare non moventur arterię, nisi per tunicas, illarumque substantias feratur vitalis spiritus? Respondeo: Verisimile est etiam vitalem facultatem recipi à corde in arteriarum tunicas, & corpora, tamquam ab eo ortam: atqui illa aliis partibus, tanquam exigua, non impartitur. nisi spiritus qui in illarum cavitate, tanquam in canali continetur, beneficio arteriarum ad easdem partes deferatur. Siquidem is spiritus, perinde atque calor à corde influens, facultatem, à corde, arteriarū substantiæ, immissam, & aliis quoq; partibus communicatam excitat, movet, & ad agendum aptam facit. Quapropter arteriæ facultatem quam sumunt à corde, absq; spiritus ope & immissione non exercent, nec ad alias partes deferunt. Vt autem arteriæ absq; spiritu vitali facultatem suam exercere, & aliis partibus communicare nō valent: ita etiam nervi, vim suam à cerebro exceptam sine spiritu animali eam excitante; & ad agendum aptam reddente, partibus aliis impartire nequeunt. Sed

Argenterii Obiectiones, & harū confutationes.

Modus spirituū per nervos influxionis.

Sed iterum instat Argenterius, dicens: Si natura voluisset per nervos transire aliquod corpus, utiq; cavitatē, ut venis & arteriis dedisset, aptam ad suscipiendam & continendam hujusmodi substantiam. Respondeo, Nequaquam: quòd enim venæ & arteriæ cavitatem habent, non ob spiritum factum est, sed ob sanguinem, qui per has in totum corpus defertur. Spiritus enim insitus partes etiam solidas promptè penetrat, quod tenuis admodum sit. Si itaq; insitus per solida corpora penetrare potest, igitur etiam animalis, ut qui ejusdem cum insito, ut ostendimus, naturæ existit. Quare nihil mirum est, spiritum animalem solida instrumenta, nervos nimirum, permeare posse, etiamsi cavitatem non habent. Verùm rursus urget: Si, ait, animalis facultas, spiritu eget per nervos transmisso, quomodo fient opera principum facultatum? quas in cerebro absque nervis fieri credimus? Opera principum facultatum non fiunt sine spiritu, quod ipse etiam fatetur Argenterius: sed sine nervis. Quum enim propria sint cerebri opera, in ipso cerebro fiunt, adeoq; sine instrumentis, haud secùs quàm in jecore accidit, in quo sanguinis generatio fit sine instrumentis. Nam quū hæ actiones jam dictis partibus, à proprietate substantiæ insint, non egent instrumēto, quod facultatem hanc, ad eas deferat. Spiritus itaq; animalis, facultati animali in cerebro vim suam præstat sine nervis: reliquis autē partibus, quæ à cerebro distant, per nervos, qui veluti instrumenta, ipsum, ad eas deferunt. Quomodo enim vim suam exerceret, ubi non esset? Nec metuendum est, ne ob vasorum & instrumentorum vicinitatem, hi spiritus, (quod suspicatur Argenterius) inter se misceantur & confundantur. Nam ita inter se se arteria, & nervus distant, ut neutra pars alteri confusa sit. Vt igitur inter se distinctę sunt hæ partes, ita quoq; vitalis & animalis spiritus, harum ministerio, ad corporis partes delati, inter se confusi & misti nequaquam sunt. Deniq; quod inquit, Sicut unum est calidum innatum,

Alia Argenterii objectiones.

Respōsiones.

Opera principum facultatum ut fiunt.

ita sufficit etiam unum esse spiritum, à corde duntaxat emanantem: minimè illi concedendū erit. Nam quum duæ sint facultates diversis fontibus insitæ, vitalis nimirum, substātiæ cordis, & animalis, cerebro, quæ peculiares & inter se differentes edunt actiones, necesse etiam fuit, ut duo spiritus ab iisdem fontibus promanātes, & has facultates in functiones suas concitantes essent. spiritus itaq; à corde promanans, non nisi vitalem facultatem excitat. Quapropter ut vitalis facultas motum & sensum in corpore efficere non potest, ita quoque vitalis spiritus easdem actiones excitare nequit. Vt igitur necessariò, ad has functiones obeundas alia facultate opus est, ita quoque alio spiritu, animali nimirū, qui eandem facultatem ad suas actiones concitet, opus erit. Porrò si quispiam dubitet, quo pacto spiritus, tenuissima alioqui substantia sursum, deorsum, & in omnes partes feratur, huic statim in mentem veniat illud Hippocratis in libro de Alimento, ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπάθεια πάντα: id est, Confluxio una, conspiratio una, cōsentientia omnia. Quam quidem sententiam Galenus, etiam multis in locis, suorum monumētorum inculcat, præsertim verò in libro primo de Medendi ratione, ubi totum corpus σύμπνουν καὶ σύῤῥουν, id est, conspirabile & confluxile esse ait, idq; propter eum, qui est ab unâ, in alteram partem, continuum transitum. Nam ita ab opifice rerum corpus nostrum constitutum est, ut ad universas ejus partes, non modò spiritus, sed & sanguis ac nutrimentum, (eo, multò crassiora corpora,) permeare possint. Et si aër corpora nostra ingrediens, per vasa citrà impedimētum transire potest, quantò magis idipsum posse spiritum sibi aliquo modo congenerem, putabimus? Quum itaq; suo impetu ad singulas corporis partes influens spiritus feratur, & per se mobilis, haud secùs atq; calidum innatum, sit, rectè ab Hippocrate impetum faciens nominatus est. Atque ita etiam argumentum à crassi-

Quomodo spiritus sursum, deorsum, & in omnes partes feratur.

Totum corpus confluxile & conspirabile.

à crassitudine nervorum petitum, concidere est necesse. Sed satis de Galeni sententia, qui duos tantùm influentes spiritus statuere videtur, jam diximus. Qui tres influentes esse spiritus cēsent, ii suprà vitalem & animalem, tertium, nempe naturalem, adjiciunt: de cujus quidem procreatione ita sentiunt. Alimenti purior, inquiunt, magisque aërea portio, concoctione in eam transit, sanguinis tenuiorem substantiam, quæ vaporis calidi speciem exhibet. Ea, tum à facultate jecori insita vim accipiens, ejusq; ubertate perfusa, spiritus fit naturalis, reliquo sanguine tātò præstantior, quantò jecoris molem facultas ei naturaliter insita præcellit. Vaporem igitur hunc calidum ac crassiusculum, quem sanguis qui ad alendas partes in jecore cōfectus est, defert, lata quadam significatione spiritum naturalem vocant. Hujus spiritus quantum, per venam cavam, unà cum sanguine effertur, & in cor invehitur, illic denuò caloris innati vi accuratius elaboratum, attenuatumque, in aëris propè speciem mutatur, atque decedit: & ex dextro cordis sinu per communes, eosq; arctissimos aditus in sinistrum sinum viam capessit, ac permeat: ubi hausto per pulmones aere temperato, materia quædam fit, cui calor & vis concessa vitalis, spiritū profert vitalem per arterias in totum corpus diffusum atque consertum. Quæ portio vitalis spiritus per arterias sursum ad cerebrum fertur, eo quo diximus paulò antè modo, spiritus fit animalis. Proinde juxta illorū sententiam vapor ille sanguinis in jecore natus, è quo spiritus fit naturalis, vitali primùm, deinde & animali sese materiam, & quasi alimentum exhibet. Quantò autem vitalis naturali tenuior est, tantò animalis vitali elaboratior. Quum itaq; in substantia spirituū varietas insit, efficit profectò hæc ipsa, ut non unius ejusdemq; ii sint naturæ, quandoquidem etiam ipsorum diversa sint officia. Hujus igitur opinionis assertores præter insitam innatamque, & naturalem omnibus partibus

Opinio eorū qui tres influentes statuunt spiritus.

Naturalis spiritus.

Vitalis.

Animalis.

facultatem, in jecore communem & influentem statuunt aliam, ideoq; illinc quoque naturalem spiritum dimanare, qui ejus distribuendæ sit vehiculū, necessariò affirmant. Non enim, dicunt illi, sanguis ad id muneris satis est accommodatus, ut qui crassior, mediam inter corpus facultatemq; substantiam est sortitus. Ergò tandem inferunt, Vt universum animal gubernant, principes facultates tres: ita quoq; totidē spirituum vehiculis, ex propriis fontibus, per suos canales in universum corpus distribuuntur. Atq; hæc quidem sententia, quę spiritum naturalem quoq; aliquē esse statuit, nihil absurditatis habet. Nam etiamsi nulla prorsus è jecore influens facultas esse conceditur, tamen verisimile est, aliquem saltem esse vaporem calidum, sive spiritum naturalem, qui facultatem hāc insitam, unà cum calore innato, ad suas functiones excitat. Atq; hinc est, quòd Galenus non disertè spiritum naturalem negaverit, sed dubitabundus tantùm dixerit: Quòd si naturalis quoq; aliquis spiritus est, utiq; is etiam in jecore, tanquā fonte, & venis, veluti instrumentis, continebitur. Postremò ex iis quæ diximus facilè cognoscitur, an unum tantùm nobis esse spiritū influentem dicere liceat. Si enim ad materiam unde is generatur, nempe sanguinem, ac humorū massam respexerimus, unus dici potest. Siquidem unus est sanguis, una humorum massa, unde per evaporationem omnes spiritus influentes procreantur. Quapropter ut unus est sanguis, unaq; humorū massa, quę ad generationem & mutationem universi corporis sufficit: ita unus quoq; qui ex eo sanguine, per evaporationē fit spiritus, dici potest. Sin ad principes partes, in quibus ab illarū viribus, & spiritibus insitis hæc evaporatio, ita alteratur, ut ad vehendas, hinc in alias partes earundem facultates, idonea reddatur, tot certè spiritus esse fateri cogemur, quot sunt sedes ac fontes in quibus illi continentur, & unde in alias partes emanant. Vt enim è diversis promanant fontibus, ita quoque eorūndem diversa sunt officia, adeo-

Cur Galenus de spiritu naturali dubitabundus loquitur.


An unus sit spiritus influens.

adeoque ea de causa nobis unum tantùm esse spiritum influentem dicere non licebit.

SPIRITVVM CVSTODIA QVAlis esse debeat. Cap. III.

QVum hactenus, quid sit spiritus, & quotuplex, nobis commemoratum sit, reliquum est ut nunc, qua de causa medicum hoc cognoscere necesse sit, exponamus. Quippe quum sine spiritibus corpus nostrum vivere nequeat, nec facultatum essentia citrà hos consistere possit, ut illorum rationem habeat, eosque diligenter cognoscat medicus, & eorũdem custodiæ maximè attentus sit, oportet. Custodiet autem, si curabit ut spirituũ substantiæ tùm qualitate, tùm quantitate, quoad fieri licet, naturaliter se habeant. Naturaliter autem se habebunt, si neque alterentur, aut immutentur, & si nihil substantiæ eorum vacuetur, aut defluat. Quum itaq; in corpore humano fieri non possit, quin quotidie aliquid de substantia spirituũ defluat, atq; adeò immutetur, id planè medico agendum erit, ut quæ substantiæ portio defluit, hanc apponẽdo sarciat: quod verò alteratur, in justum temperamentũ per contrariam alterationem vindicet. Et si tùm vacuatio, tùm alteratio sensim paulatimq; fiant, etiam correctio utriusque sensim administrabitur. Sin confertim, vel magna aliquando vacuatio, vel etiam adjectio incidat, & morbus ita efficitur, medendi quoque methodus ad ejus curationem requiretur. Quæ qualis sit, Galenus lib. 12. Thera. metho. cap. 5 copiosè admodum & ex professo docet, ut necesse nõ sit, illam, hoc loco persequi. Nunc igitur sermoni de humani corporis constitutione, rebusque naturalibus vocatis, finem imponentes, ad rerum non naturalium explicationem, progrediemur.

C 3



INSTITVTIONVM MEDICINÆ, LIBER II.

LEONHARTO FVCHSIO AVTHORE.

PROOEMIVM.



XPEDITO primo ordine, qui fuit earum rerum, quæ corpus humanum constituunt, & componunt: reliquum est, ut ad alterum transeamus, qui eas complectitur res, quæ corporis ejusdem constitutionem, (modò rectè ac commodè usurpentur) conservant. Has certè Galenus, cap. 85. Artis medicæ, eam ob rem causas sanitatis conservatrices nominavit. Quippe legitimam corporis constitutionem, adeoque sanitatem, qualem acceperunt, servant. Nostri temporis medicis, res non naturales appellantur: quòd scilicet naturam & constitutionem corporis nostri, non ingrediantur, nec ejusdem essentiam compleant: tamen illud necessariò alterent & immutent, & nisi opportunè & salubriter adhibeantur, sanitatem & naturam hominis destruant. Hinc est, quòd etiam à nonnullis causæ immutatrices nominentur. Siquidem ubi non rectè adhibentur,

Causæ conservatrices.

Res non naturales.

Causæ immutatrices cur dicantur nõ naturales.

hibentur, sanitatem immutare possunt. Proinde duplici nomine res non naturales dictæ sunt, & quòd nobis à natura non insint, sed forinsecùs adveniant: & quòd, nisi opportunè, ut corporis constitutio exposcit, adhibeantur, ita corpus alterent, ut sanitatem etiam sæpenumerò destruant. Sunt autem causarum corpus nostrum mutantium ac destruentium duo genera. Alterum earum, quæ nobiscum sunt congenitæ, ideoque internæ dicuntur, necessariæ quidem, atque inevitabiles. Suntque numero tres, siccitas nimirum, quæ ætatis cursu ad interitum ducit, assidua substantiæ fluxio, & excrementorum proventus; ut fusiùs libro 1. de Tuenda sanitate Galenus demonstrat. Alterum earum, quæ extrinsecùs incidunt, quæ ob id externæ nuncupantur. Quæ iterum duplices sunt: aliquæ enim non necessariò corpus nostrum immutant, afficiuntque adeoque vitari possunt: cuiusmodi sunt quæ contundunt, divellunt, vulnerant, & alia permulta, de quibus nulla ars constitui potest. Aliquæ verò corpus nostrum necessariò immutant, quarum sex esse genera constat, nempe:

Causarum, quæ corpus nostrum mutant ac destruunt, duo genera.

Internæ.

Externæ.

Numerus rerum non naturalium.

1. Aërem sive ambientem.
2. Cibum & potum, seu ea, quæ assumuntur.
3. Motum & quietem tùm universi corporis, tùm singularum eius partium.
4. Somnum & vigiliam.
5. Excretionem & retentionem.
6. Animi perturbationes.

In earum causarum genere, quod Galenus etiam, loco, paulò antè citato testatur, ars versatur, quę corpori tuēdo dicata est. Sūt enim eiúsmodi, ut corporis constitutionem incolumem, ubi probè, & ut necessitas corporis exigit, cum opportuna mēsura, & qualitate adhibentur, conservare possint. Siquidem aëre, cibo & potu substantia deperdita restituitur, adeoque senectus & siccitas, remoratur. Motu, quiete, somno & vigilia, aliisq; modò comprehensis multa alia incommoda, quibus sanitas destruitur, declina-

mus, & excrementa, quæ ex cibo & potu in corpore coacervantur, vacuamus. Vt hoc nomine meritò ad eam medicinæ partem referantur, quæ sanitatem tuetur, ac præcavet ne in morbos incidamus, Græcisq; ὑγιεινὴ vocatur. Quapropter quùm à rebus non naturalibus nominatis, corpus nostrum non modò alteretur ac mutetur, sed & sanitas ipsa, ubi sinistrè ac perperam adhibentur, destruatur, danda omnibus opera erit, ut illis sic utamur, ne inde sanitas ipsa noxam ullam contrahat, sed per illas magis tueatur, foveatur, conservetur. Vt igitur vitam morbis minimè obnoxiam degamus, adeoque valeamus, quùm (ut Martialis inquit) non vivere, sed valere vita sit: quis harum rerum rectus & legitimus sit usus, solicitè & accurata diligentia, exorsi ab aëre, ex veterum monumentis iam demonstrabimus.

ὑγιεινή.

DE AERE.

SECTIO I.

AER QVIS OPTIMVS, ET *contrà quis pessimus. Cap. I.*

Aer cur medico considerandus.



ER duabus potissimùm de causis, medico attenta observatione considerandus venit. Vna, quòd eius evitandi nulla sit ratio: sed invitis etiam nobis (quòd eo privatum animal vivere nequeat) hauriendus, adeoque quovis tempore præsenti aëris & cœli statu utendũ sit. Altera, quòd nativus calor, ac spiritus, eo, ad sui cõservationem egeant. Vt rèctissimè à Gal. li. 9. Ther. metho. cap. 4. dictum sit, aërem eum planè esse, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas possit. Nisi enim assiduò bonus inspiretur, quo calor nativus refrige-

frigeretur ac ventiletur, eius moderatio, in qua ſanitas conſiſtit, turbatur. Cùm autem aër corpora noſtra, ut experientia conſtat, mutet, adeoque rationem modò materiæ ſanantis, modò cauſæ morbum foventis habeat: perſpicuum evadit, ſine illo morbum tolli non poſſe, quòd neceſſe ſit ægros perinde ac ſanos præſenti aëre uti. Sedulò igitur agendum eſt, ut aërem habeamus qualem eſſe expedit: hoc eſt, talem, qui præſentem ſanitatem tueri, & morbum ingruentem abolere poſſit. Sanitatem autem tuebitur, qui optimus & ſaluberrimus eſt: morbum autem profligabit, qui illi contrarius eſt. Optimus verò aër eſt, qui tota ſua ſubſtantia exquiſitè purus eſt, nitidus, tenuis, patens, & liber, nullis inquinamentis obſitus, nulla putredine affectus, aut corruptela perfuſus, ventisq; difflatus: eiuſmodi fuerit, qui nec ſtagnorum, nec paludis halitubus eſt infectus, nec ex profundo ſpecu, peſtilentem auram ſpirat. Nec qui ex cloacis, quæ vaſtum aliquod oppidū, aut numeroſum exercitum purgant, vitium contraxit: nec qui ex animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur: nec qui ob ſtagnum, aut flumen vicinum nebuloſus eſt: nec qui editis undique montibus in cavo loco & valle incluſus, nullum perflatum recipit. Contrà peſſimus eſt aër, qui turbidus & nebuloſus exiſtit, & qui æſtatis maximè tempore lacuum & paludum exhalationibus corrumpitur, & inficitur. Vnde in maritimis, ad Oceanum magnum, urbibus accidit, ut ad finem æſtatis, & ſub autumnum ſingulis ferè annis peſtis ſe oſtentet. Eiuſdem claſſis eſt, qui ex profundis ſpecubus erumpit: quales ſunt, quos Galen. Comment. primo libri Epidem. in principio, & alibi, *χαρωνέους βαράθρους* nominat. Nam ita legendum, & non *χωρωνείους*, ut habent nonnulli codices. Quod ex Plinio fit manifeſtum, qui lib. 2. c. 93. in eum modum ſcribit: Spiritus lethales alibi, aut ſcrobibus emiſſi, aut ipſo loci ſitu mortiferi, alibi

Aer corpora noſtra ſalubriter inſalubriter mutat.

Optimi aeris conditiones.

Peßimus.

Lib. 7. de Vſu par. cap. 8.

Charonij ſpecus.

Galeni locus emendatus.

volucrib. tãtùm, ut Soracte vicino urbis tractu: alibi præter hominem, cæteris animantibus: nonnunquam & homini, ut in Sinuessano agro, & Puteolano sunt, quæ spiracula vocant, alii Charonias scrobes, mortiferum spiritum exhalantes. Hæc Plinius: Strabo in 14. Charonium antrum vocat, & in Asia non procul ab urbe, nomine Acharaca situm scribit. Sed fortè non ingratum erit eius subiecisse verba. In via inter Tralles, inquit, atque Nyssam, vicus est Nyssaënsium, non procul ab urbe Acharaca, ubi Plutonium est, loco sumptuoso circumdatum. Item Plutonis ac Iunonis delubrum, & antrum Charonium, natura admirabile, quod luco imminet. Tradunt ægrotos, qui horum deorum curis vacant, eò proficisci, atque in vico specui vicino apud sacrorum peritos immorari, qui pro eis indormientes curas ex insomniis captant. Hi deorum remedia invocantes, sæpè illos in antrum ducunt: ubi tanquam in caverna manentes, multos dies & ieiuni & quieti exudant: nonnunquam ægrotantes propriis insomniis intendunt, ductu & consilio sacerdotum. Locus hic ceteris pestifer est, & inaccessibilis. Hactenus Strabo: cuius verba etsi prolixa, ideò recensere voluimus, ut Galeni loco aliquid lucis afferremus. In genere pessimus ac pestilens aër is est, qui ex cloacis oppida magna & numerosum exercitũ expurgantibus exhalat. Item, qui ex cadaverum insepultorũ putredine corrumpitur & inquinatur: quòd in bellis, & ingenti fame, ubi præ multitudine eorum qui moriuntur, aut nulli sunt, aut nõ sufficiũt vespillones. Cuius rei memorabile exemplum est, quod anno à Christo nato M.CCCC.XXXVIII. in Thuringia accidit. Nam quũ eo tempore, tota regio immensa fame premeretur, factum est, ut panis inopia tot morerentur quotidie homines, ut omnes per totam regionem viæ, omnesque in urbibus, vicis ac villis plateæ mortuis corporibus refertæ essent, ita sanè, ut non tantùm fame, sed & mox sequuta peste, multa hominûm millia perierint.

Charoniæ scrobes. Charonium antrum.

Thuringiaca fames memorabilis.

rierint. In cuius quidem rei memoriam, Erfordienses pistores, singulis annis, die divo Marco sacro, in quo Papistico ritu institutæ supplicationes celebrantur, panes minutos, quos ob id Marcesios appellant, pinsunt, ac venum proponunt: quorum vnus, exigui orbiculi, qualibus catenę nobilium adornantur, magnitudinem referens, tùm tribus nummis eius regionis usitatis, coëmptus fuit. Quos certè panes ipse olim, quùm illic tyronica facerem, non sine multorum admiratione, mecum in patriam attuli, ut illis, qui parum creduli essent, eius rei fidem facerem. Sed ad institutum redeamus: ut purus, tenuis, adeoq; optimus aër nulli non ætati, adeoq; puero, iuveni, seni, & omni temperamento conducit: ita impurus, crassus, nebulosus, ac vitiosus, ex ęquo omnibus ætatibus, omniq; temperaturæ noxius est. Cavendus igitur omnibus modis aër impurus, intemperatus, fœtidus, occlusus, venenatus, ac pestilens, utpote qui spiritus, vitales præsertim, vitiet. Grassante igitur pestilentia, aër venenatus ac pestifer iis maximè, qui neque publici officii necessitate constricti sunt, neque liberos, aut alios sanguine iunctos habent, quorum charitate devincti, manere coguntur, fugiendus erit. Siquidem non solùm Galenus & Hippocrates, verùmetiam experientia ipsa testatur, & cõfirmat, multò maximam partem eorum, qui in pestifero aëre hærent, contagione infectorum oppetere mortem, & perpaucos evadere. Quare causis iam dictis non obstantibus, Christiano etiam homini, cui medicina omni in morbo, tanquam Dei dono, uti licet, peste grassante, veluti præsidium medicorum omnium testimonio laudatissimum, fugam arripere minimè prohibitum est.

Aeris optimi, cum pessimo facta cõparatio.

Grassante peste fugiendum.

AER VITIOSVS VT EMENdandus. Cap. II.

QVæ ex calore, frigore, ſiccitate, humiditate, diverſitas aëris contingit, non perinde ſe ad omnes homines habet: ſed corporibus, quę optimo temperamento ſunt, etiam optimè temperatus aër eſt ſaluberrimus. In quibus verò aliqua exuperans qualitas dominatur, iis utiliſſimus eſt aër, qui, ei qualitati maximè eſt contrarius & adverſus, frigidus calidæ, calidus frigidæ, humidiori ſiccus, ſicciori quàm par eſt, tantò humidior, quantò ſiccitas ipſa modum exceſſit. Quapropter ſi accidat, ut ambientem contrariâ qualitate præditum habere non liceat, ſedulò agendum, ut talem, quoad fieri poteſt, qualem eſſe expedit, præpares. Verbi gratia, in calido & ſicco morbo, qualis eſt febris, aërem frigidum & humidum eſſe, convenit. Quòd ſi talem habere nequeamus, arte noſtrâ moliemur, ut morbo adverſetur: adeoque ſanantis materiæ, non cauſæ morbum foventis rationem habeat. Humidiores itaque frigidioreſque domos, in quibus ęger decumbat, tùm deligemus, tùm verò præparabimus. Ac deligemus quidem quæ ex ſe ipſis eiusmodi ſunt. Præparabimus verò ſubterraneis inventis domibus, quæ & frigidiſſimæ ſint, & maximè perflatę, & ad Septentriones verſæ, tum auris quibusdam, quæ ipſis ſint ſuaves, opera noſtra paratis aliàs ex euripis aliquibus, in quos multi aquarum fontes cum impetu incidant, aura ut inſpiret machinantes: aliàs aqua frigida de vaſis in vaſa transfuſa. Præterea domus pavimento, aſſiduè aqua, quæ prorſus gelida ſit, aſperſo. Floribus denique ac germinibus, quæ frigidæ humidæq; facultatis ſint, per aream proiectis: verbi gratia, violis, nymphæa, roſis, vitium capreolis, ruborum ſummitatibus, aut lentiſci ramis. Turba quoque hominum ingredi prohibeatur, nam id quoque habitatio-

Quis, & qualis aer unicuiq; naturæ intemperatæ conveniat?

Aer frigidus & humidus ut parãdus.

nem

nem calefacit. Contrà ubi frigidus & humidus fuerit morbus, curandum certè erit, domos ut eligamus ac præparemus, quæ calefaciant & exiccent, floribus & germinibus humi fusis: verbi gratia, chamæmeli, maioranæ, lavendulæ, ſpicæ nardi, & id genus aliis. Quid multa? frigidis morbis calidus aër opponendus, calidis frigidus, humidis ſiccus, ſiccioribus humidus. Cum igitur aër cauſæ ſanantis rationem obtineat, non temerè Hippocrates in Epidemiis ſcripſit: In diuturnis morbis terram mutare expedit. Siquidem veriſimile eſt, aërem huic parum convenire, qui in eo degens, longo tempore ægrotat. Transferendus igitur in alium, ſibi magis congruentem, & morbo planè contrarium aërem, erit. Atque hinc eſt, quòd idem Hippocrates ſcripſerit, pueros, qui morbo comitiali laborant, mutatione potiſſimùm ætatis, locorum, & victus, à morbo liberari. Ita quoq; Galenus, libro quinto, Therap. methód. cap. 12. teſtatur, eos, qui Romæ, (quòd is locus deſtillationibus aſſiduis obnoxius eſſet) pulmonis ulcere laboraverunt, ſe, ad Tabias, quòd illic aër eſſet ſiccior, & ad curandum ulcus aptior, ablegaſſe. Eſt & hodie obſervatum, iuvenes aliquot vehementi tuſſi dilaniatos quaſi, iamque tabis in periculum vocatos, qùum nullis medicamentis ſublevari potuerant, in patriam remiſſos, nullis aliis adhibitis remediis, ob patrium hauſtum aerem ſanatos eſſe. Verùm ut loci mutationem rectè præſcribere, ægrumque eò, ubi ſibi congruentem aerem inveniat, ablegare medicus poſſit, primū locorum noticiam habeat, adeoq; Geographiæ peritus ſit neceſſe eſt. Locorum autem noticiam conſequetur, ſi vel ipſe crebris peregrinationibus, locorum ſitum ac diverſitatem perluſtrando inquiſiverit: aut ex aſſiduâ lectione eorum, qui de iis aliquid memoriæ prodiderunt, didicerit. Ex omnibus autem aliis vel unus Strabo, plurimùm ad id inſtitutum adiumenti afferet medico. Dein, ut ventorum quoque rationem, cognitam habeat medicus, oportet. Ad

Aer calidus & ſiccus ut parandus.

6. Epidem. ſectio 5. Aphor. 20.

2. Aph. 45.

Medicus Geographiæ notitiam habeat oportet.

Strabo.

quam consequendam, plurimùm conferet Hippocr. sect. 3. Aphorismorum, aliisque in locis: prætereà Aristoteles, aliique, qui hanc rem ex professo tradiderunt, philosophi. Postremò ad loci mutationem rectè præscribendam; non parùm astrorum ac siderum ortus & occasus cognovisse conferet, quòd aëris & cœli constitutionem, (ut experientia ipsa confirmat) mirificè immutent illa. Vt hinc etiam palàm fiat, medico necessarium esse, ut eam partem Astronomiæ, quæ astrorum ac siderum ortus occasúsve tradit, perspectam habeat. Eam verò, quæ superstitiosa quadam observatione ex astris, nescio quæ portenta, & mendaciorum prodigia prædicit, ac futurorum eventum vaticinatur, & ob id Astrologia ac divinatoria nominatur, medicus veluti certissimum artis impedimentum audacter contemnere debet. Quàm enim superstitiosa rerum vanitate sit contaminata, adeoque Christiano homine indigna, & nefandissimis anilibusque figmentis ac deliramentis conspersa, ab aliis doctrina excellentibus viris abundè est monstratum. Et certè omnium odio digna est, quòd libertatem animi, actionesque nostras syderum necessitati perperam obstringit. Sed de aëre hæc dixisse sufficiat.

Medicum Astronomiæ peritum esse oportet.

Astrologiā medicus contemnere debet.

DE

DE CIBO ET POTV.
SECTIO II.

QVIS CIBI ET POTVS VSVS, & quot in illis assumendis consideranda. Cap. I.



QVONIAM de cibis, & potibus, nunc differendum erit, initiò quis eorundem sit usus, explicabimus. Siquidem quùm tota animantium moles, in perpetuo fluore sit, nec ullum sit temporis momentum, quo non, in aëra dissipentur corporis spiritus, humores, ac solidæ partes; nisi alterá similis substantia, pro eâ, quæ defluxit, restituatur, qua detrimentosum istud corporis defluvium expletur, brevi tempore evaporabit, atq; dissipabitur universa. Contrà hoc necessarium, ac nativum miseræ mortalitatis malum Conditoris providentia, cibum & potum uberrimâ benignitate dedit. Cibo igitur, quicquid siccioris substantiæ effluxit, restituitur & sarcitur: potione verò, quicquid humidioris. Hæc cùm ita se habeant, summo studio annitendum erit, ut illos tantùm cibos assumamus, qui nos sic alant, ut quoad fieri potest, nos, non lædant. Id ut consequamur, in cibis assumendis novem consideranda veniunt: nempe cibi bonitas, mensura, qualitas, consuetudo, delectatio, ordo, tempus, hora & ætas. De quibus omnibus, ordinè agemus.

Cibi & potus quis usus.

Novem in cibis assumendis consideranda.

DE CIBI BONITATE, *& malicia. Cap. II.*

Qui corpus, morbis minimè obnoxium circumferre cupit, huic, in hanc curam unicè incumbendum erit, ut cibis boni ſucci, perpetuò utatur. Siquidem ad procreandos morbos, maximam vim obtinet κακοχυμία: quæ non aliunde magis, quàm ex mali & vitioſi ſucci, cibis conciliatur. *Cibus boni ſucci.* Boni autem ſucci cibus eſt, è quo bonus procreatur *Bonus ſanguis.* ſanguis: bonus verò ſanguis eſt, qui neque iuſto calidior, neque humidior, neque frigidior, neque ſiccior, non tenuis, non craſſus, non pinguis ac lentus, *Cibus mali ſucci.* non acris mordáxve, amarus, ſalſus, acidus, breviter perfectam adeptus eſt mediocritatem. Mali econtrà *Malus ſanguis.* ſucci cibus eſt, è quo malus generatur ſanguis. Malus autem ſanguis eſt, qui à definitione, & naturâ boni ſanguinis recedit. Non eſt autem quòd in mali ſucci cibis, ſtatim habeatur, quisquis à ſummâ perfectione vel tantulum recedit: imò boni ſucci cibus erit, qui ſanguinem faciet, non tantùm illum optimum, ſed notabili atque evidenti vitio carentem. Nam ut omnibus aliis in rebus aliquid omni ex parte abſolutũ proponitur, quò ſe mens noſtra, (velut ad ideam referat,) quùm de iis rebus cogitandum erit: ita in ciborum quoque ratione nobis optimus aliquis cogitatione uſurpatur, ad quem in eorundem delectu perpetuò nos veluti in ſcopum aliquem intentos eſſe oportet Quem etſi rarò ad plenum conſequi nobis ſit integrum, annitendum tamen nihilominus, ut is nobis contingat, qui, aut nihil, aut minimùm, ab eo qui optimus eſt declinat. Neque parvæ rei, magna hic habenda ratio: atque in bonis, adhuc locus, ei, relinquendus, qui proximè ad optimum accedit, & notabili vitio vacat. Qui verò particulatim huius vel alterius naturæ cibi ſint, Galenus in libello de Cibis boni & mali ſucci, breviter & luculenter admodum docuit.

Liber Galeni de cibis boni & mali ſucci.
Gal. lib. de boni & mali

docuit. Est enim veluti compendium quoddam eorum, quæ copiosissimè in tribus libris de Alimentorū facultatibus tradidit. In quorū sanè primo & secūdo, de panum & frumentaceorum generibus: in altero, de fructibus & stirpibus: in tertio, de cibis qui ex animalibus; carne scilicet, lacte, & id genus aliis sumuntur, tractat. Vt non sit necesse hoc loco, de singulis particulatim disserere, cùm idipsum affatim & perspicuè locis iam ostensis præstiterit Galenus. Ad alia itaque explicanda, quæ in ciborum assumptione expendenda sunt, progrediemur.

succis.l.de aliment.facult. sunt epitome.

DE CIBI MENSVRA.

Cap. III.

SI usquam locum habeat quod ille dixit, Ne quid nimis: certè in ciborum ratione habet. Proinde qui sanitati studet, huic, præ omnibus aliis, danda opera est, ne ullo tempore plus cibi, quàm natura exigit, ingerat. Vbi enim plus cibi, quàm pro naturâ ingestum est, Hippocrate attestante, hic morbum facit. Altâ igitur mente omnibus reposita maneat, hæc non minùs utilis quàm brevis, Hippocratis in Epidemiorum libris sententia, ubi ita inquit, ἄσκησις ὑγιάης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων: Sanitatis studium est, nō satiari cibis, & impigrum esse ad laborem. Si enim quis ad satietatem usq; ingerat cibum, cùm iam vires gravet, fieri non potest, ut illum, perfectè natura concoquat. Si verò nō concoquitur, morbum pariat, adeoq; pristinam sanitatē destruat, & aboleat, necesse est. Si verò mediocritate, in assumendis cibis, usus fuerit, nunquam, aut rarò periculosum morbum incurret. Lex igitur hæc præcipua sanorum esto, ne immodicè cibos ingerant: tantumq; cibi & potus assumant, ut hinc vires conserventur, non opprimantur. Cæterùm non tantū sanos, sed & ægros, hæc lex adstrictos habet. Siquidem & illic unicè cōfert, imò necesse est, ut in cibis assumendis legitimam mensuram teneant. Vt enim morbi sunt diversi, ita aliam atq; a-

1. Aph. 17.

6. Epi. sect. 4. Aphor. 20.

Lex præcipua sanorum & ægrorum.

Cibi dosin competentem indicant vires.

S

Morbi natura. liam cibi mensuram postulant. In diuturnis namque morbis pleniùs, in acutis autem tenuiùs cibandum erit. Cuius rei rationē reddit Gal. lib. 1. ad Glauconē, „ iis quidem verbis. In acutis morbis, & qui ad vigo„ rem celeriter perveniunt, si tenuiter omninò cibare „ velis, haud magnoperè lædes. In longioribus verò, „ nisi per initia liberaliùs cibaveris, aut unà cū morbo „ hominē necabis, aut intempestivè victus ratio mutā„ da erit. Neq; enim accedente vigore uberior victus, „ quàm prius, sed contrà omniū qui per morbū exhi„ beri debent, tenuissimus in id tempus reservādus est.

1. Aphor. 7. Quæ singula Hippocrates brevi admodum senten„ tia cōplexus est, inquiens: Vbi morbus peracutus est, „ statim summos labores obtinet, & summè tenuissi„ mo victu, utendum. Vbi verò non, sed pleniorem vi„ ctum adhibere licet, tantum à tenuissimo victu de„ clinandum, quantū morbus ipse, summis morbis, le-

1. Aphor. 8. vior fuerit. Et iterū eodem in loco: Quando morbus in suo vigore fuerit, tunc tenuissimo victu uti oportet. Vt hinc palàm sit, quātò acutior est morbus, tantò illum vigori viciniorem esse, adeoq; in eo tenuiori victu utendū. Quantò autem contrà diuturnior est, tantò illum à vigore magis abesse, & tenuem victum respuere, plenioremq; expetere. Proinde non temerè

1. Aphor. 4. dixit Hippocrates: Victus tenuis & exquisitus in diuturnis quidem morbis semper, in acutis autem, ubi

Duo sunt à quibus cibādi consilia petuntur. non competit, periculosus. Vt itaq; medicus in præscribenda legitima cibi mensura non erret, ad duo, à quibus potissimùm cibandi consilia petuntur, nempe morbi summū vigorē, & ęgrotantis vires, ille respice-

1. Aphor. 9. re debet. Id quod etiam Hippocrates faciendum esse „ iubet, dum ait: Conjicere oportet, nùm æger possit cū „ victu ad vigorē usq; morbi, perdurare: & nunquid il-

Erratorū tenuioris & plenioris victus inter se collatio. le prius deficiat, nec cum eo victu durare queat: aut morbus ante deficiat, & retundatur. Hæc ille. Si itaq; medicus diligenter morbi vigorem, & vires ægroti expendat, haud facilè neq; in tenuis, neq; in plenioris victus usum errabit. Cùm verò utriusq; error sit periculo-

culosus, alter tamen, altero est deterior. Si diligenter inter se eorundem errores conferuntur, perspicuũ evadet deterius esse, si quis se à tenuiore victu ad pleniorẽ intempestivè transferre cogatur, quàm si è pleniore, in tenuiorem mutationem instituat. Nam ubi morbi ratione, qui iam versus vigorẽ properat, detrahendum maximè esset, ibi virtutis conservandæ gratiâ, adjicere cogitur medicus. Atque id est, quod ab Hippocrate est dictũ: In tenui victu, ægri delinquunt, quo fit ut maiore afficiantur detrimento. Omnis enim error, qui committitur, maior fit in tenui, quàm paulò pleniore victu. Propterea, etiã iis qui sani sunt, periculosus existit admodum tenuis, status, & accuratus victus, quòd nimirũ errores gravius subinde ferũt. Quapropter tenuis & accuratus victus, maxima ex parte periculosior est, eo, qui paulò plenior existit. Hactenus Hippocrates. Non aũt abs re adiectũ est ab Hippocrate, Maxima ex parte. Nam iis verbis, quorũdam imperitorũ medicorum erroneam sententiã explodere voluit, qui affirmãt, medicũ quovis tempore in pleniorẽ, quàm tenuiorem victum, proniorem esse debere: cùm tamen tenuem nõ perpetuò esse periculosum, sed maxima tantùm ex parte, Hippocrates asserat. Est enim, ubi pleniore victu, in morbis, non sine gravissimâ noxâ uti liceat. Quippe in acutis morbis, qui celeriter ad vigorem perveniunt, si quis pleniore victu usus fuerit, inemendabiles noxas afferet: eo quòd naturam, quæ tùm in coquendo morbo est, in suo munere impediat, & ad conficiendos cibos avocet. Quòd autem noxæ non contemnendæ è pleniore victu accidãt, adeoq; eo nomine non quovis tempore in pleniorem victum proniorem esse cõveniat; in nostris, super paulò antè citatam Hippocratis sententiam commentariis copiosissime demonstravimus, ut necesse non sit, id hoc loco pluribus agere. Ad eius itaque Aphorismi enarrationem, lectorem nunc ablegamus, ne in immensum præsentis libri moles accrescat.

1. Aphor. 5.

Non perpetuò periculosus tenuis victus.

Fuchs. commentarii in Aphorism. Hippocr.

DE QVALITATE CIBI.

Cap. IV.

Post mensuram cibi, eiusdem etiã qualitas tàm in sanis, quàm in ægris; à medico accurata diligentia expendenda venit. Quippe in sanis, simili qualitate præditi cibi: in ægris, contrarii sunt assumendi. Qui enim naturaliter se habent, adeoq; sani sunt, eos in hoc statu servare, ac custodire oportet. Qui verò præter naturam afficiuntur, & sive cũ morbis conflictantur, sive naturæ sunt intemperatioris; eorum statum immutare est necesse. Nihil autem servatur nisi per similia, neq; immutatur tolliturq; quicquam nisi per contraria: ideoq; sani similes semper postulant cibos, ægri autem cõtrarios. Proinde temperamentum eorum qui rectè valent, per similes cibos conservandum erit. Quod verò tale est, ut iam actiones offendat, id per contrarios demoliendum erit. Quorum itaq; temperamentum, V.G. natura humidum, quale utiq; puerorum, est, iis cibus humidus maximè convenit. Qui verò sicco aliquo morbo, qualis febris est, laborant, iis contrarius cibus, nempe humidus, utilis est. Qui verò humido correpti sunt morbo, qualis est anasarcâ, iis siccus: qui calido, frigidus: qui frigido, calidus competit cibus. Quod, ut alia omnia, brevissimè quoq; Hippocrates docuit, ubi in Aphorismis ita scriptum reliquit: Victus humidus omnibus febricitantibus prodest, præsertim verò pueris, & aliis qui hoc genere victus uti consueverũt. Et in Epidemiis, ubi in eum scribit modum: Calidæ naturæ refrigeratio, aquæ potio, & quies confert. Per calidam namque naturam, ut in eius sententiæ enarratione fusiùs monstravimus, nõ eam, in quâ nativus, adeoq; mediocris: sed eam potius, in quâ acris & mordax calor, atq; adeò præter naturam & immodicus abundat, Hippocrates intelligit. Et rursus eodẽ libro, ubi ait: Calidũ corpus per id quod comeditur, intùs refrigeratur: contrarium, contrà. Possem complures

Sani similes cibos requirunt.

Aegri contrarios.

1. Aph. 16.

6 Epidem. sect. 4. Aphor. 13.

Calida natura Hippocrati quæ.

6. Ep. sect. 5. Aphor. 35.

plures alias, eius authoris ſententias ad inſtitutum noſtrum facientes producere: ſed quia ſatis eſt paucas has citaſſe, ad ea potius, (preſertim cùm res per ſe plana ſit,) quę reliqua ſunt, progrediemur. Reliquum autem eſt, ut medicus, qui cibi calidi, frigidi, humidi aut ſicci ſint, cognoſcat. Quum verò hoc ipſum Galenus in iis libris, quos de Alimentorũ facultatibus, poſteritati reliquit, perſpicuè tradiderit, ſufficiet in præſentiâ locum indicaſſe. Neq; enim conſilium eſt ſingula particulatim in iis libris referre, quòd ita in immenſum, ac molem magnam creſcerent. *Medicus oportet ciborũ cognoſcat facultates.*

DE CONSVETVDINE CIborum. Cap. V.

QVantum in victus ratione momenti habeat conſuetudo, in primis hoc à veteribus celebratũ ſatis indicat, ἐπίκτητοι φύσιες εἰσὶ τὰ ἔθη: Conſuetudines eſſe acquiſiticias naturas. Vt igitur natura ipſa, ſimilium ciborum aſſumptione conſervanda eſt: ita quoq; conſuetudo, quæ, uti dici ſolet, altera eſt natura. Hinc non temerè Hippocrates dixit: Quæ longo tempore conſueta ſunt, etiamſi deteriora ſunt, inſuetis minus moleſtare ſolent. Conſuetudo verò in victus ratione, non ſolùm in ſanis, ſed & in ægrotãtibus accuratè obſervanda erit. Quapropter Hipp. non temerè in primâ Aph. ſectione, ubi ex profeſſo de victus ratione agit, aliquid conſuetudini dandum eſſe præcipit. Et clarius lib. 2. de Ratione victus acutorum morborum, ubi inter alia ita de conſuetudine inquit: Quòd vitioſus tùm cibus, „ tùm potus, ſemper ſibi ſimilis, ad ſanitatem tutior ſit, „ quàm ſi quis ſubitò ad alterum vel meliorem ſe trãſ- „ ferat, facile intelligitur. Nempe tùm iis qui bis die „ comedunt, tùm iis qui ſemel, noxam imbecillitatẽq; „ pariunt repentinæ mutationes: & qui prandere non „ conſueverunt, tamen prandent, ſtatim ægrè habent, „ toto item corpore, graves redduntur, imbecilles, & „ ſegnes. Quòd ſi prætereà cœnaverint, ructus acidus, „

Conſuetudo acquiſiticia ſive altera natura.

2. Aph. 50.

Aph. 17.

1. a. 17.

" & alvi lævitas subsequitur. Gravatur enim præter
" consuetudinem ventriculus, qui antea aridus esse,
" neque bis intumescere, neque bis cibos concoquere
" consuevit. Hæc ille. Quæ etsi prolixa sunt, tamen referre placuit, ut inde, quantam vim tàm in sanis quàm in ægris habeat consuetudo, cognosceretur. Sed dicet hic quispiam: Si tantum momenti consuetudo in victus ratione habet: igitur hæc ipsa, etiamsi prava est, nunquam mutanda erit. Respondeo, nunquàm subitò esse mutandam: quòd Hippocrate teste repentinæ mutationes omnes, cavendæ sint. Et idem lib. 2. Vict. acut. morb. Aphorism. 18. ait: Repentinæ mutationes, noxam imbecillitatemq; pariunt. Cùm itaque omnes subitæ mutationes periculo haud vacent, a consuetis quoque cibis, nemo repentè transferendus erit: sed si omninò prior victus ratio mutationem requirere videtur, fiat paulatim & sensim, iuxta illud Hippocr. Plurimùm & repentè vacuare, aut
" explere, aut aliter quomodocunq; corpus movere,
" periculosum. Et omne quidem nimium naturæ ini-
" micum est. Quod verò paulatim fit, tutum, præser-
" tim ubi quis, ab altero, ad alterum progreditur. Vt iam perspicuum evadat, subitam mutationem omnem, ut quæ de extremo, in extremum absque medio fit, naturæ quæ in mediocritate consistit, esse adversam: contrà, eam quæ sensim & paulatim fit, amicam: ut non temerè Hippocrates in paulò antè citatâ sententia dixerit, vitiosum tùm cibum, tùm potum semper sibi similem, ad sanitatẽ tutiorem esse, quàm si quis subitò se ad meliorem transferat. Cæterùm non satis est mutationem consuetudinis non esse repentinam, nisi legitimo etiam fiat tempore. Legitimum verò tempus est sanitatis, quùm optimè scilicet valemus. Nec tamen quodvis sanitatis tempus: sed id duntaxat, quo, à rebus civilibus immunes sumus, & nullis aliis negotiis distringimur & obruimur penè. Quod certè confirmant ea quæ libro quinto de Tuend. sanit. cap. 8. scribit Galenus, ubi inquit: Consuetu-

An prava consuetudo mutanda sit, nécne.

6. Epidem. sect. 3.

Aphor. 21.

Natura consistit in mediocritate.

Quo tempore mutatio consuetudinis fiat.

suetudines ipsæ, tametsi pravæ sunt, displicentibus sibi adhuc corporibus, mutandæ haud sunt. Quin nec nec per summam sanitatem semper id tentandū: sed tùm, quum is, cui mutanda est victus ratio, à civilibus maximè negotiis vacat. Et paulò ante jam citata verba: Quin etiam, inquit, intēperies ipsas quæcunque adhuc intrà sanitatis fines subsistunt, si corrigere studebis, contraria quodammodo victus ratione curabis: quod tamen per multum fit ocium. Nam si in negocio sint, similibus utéris, potissimùm quum ita fuerint corpora assueta Idem planè testantur, quæ ille scribit lib. 6. ejusdem operis, ca. 3. ubi inter cætera ita ait: Porrò alimenti species, si quis temperamentum vertere in melius studet, contraria esse temperantiæ debet. Sensim veò id fiet citra noxam, si & præsit medicus: & qui curatur, ita sit à negociis liber, ut omnia suo tempore peragat. Nam qui in rebus civilibus versatur, & multis negociis distringitur, huic tutiùs est, ut ne tentet quidem temperamentum suum mutare. Nec discrepant quæ li. 8. Therap. methodi, cap. 9. scribit, inquiens: Satius arbitror est, quū planè valent, non quum ægrotant, vel de se queruntur, intemperatis naturis, victus rationem mutare. Gaudent enim naturæ consuetis semper. Proinde verissimè dixit Hippocrates: Mutatio ipsa quidem non parum conducit, si ejus recta fit translatio: hoc est, si fiat sanitatis tempore, & per ocium, nec sit repentina. Nam, ut ex jam dictis liquet, tres illæ conditiones ad consuetudinis mutationem requiruntur.

2. Vict. acut. 18.

Ad consuetudinis mutationē tria requiruntur.

DE CIBI DELECTATIONE.

Cap. VI.

Porrò in cibis præscribendis medicus diligenter consideret, quibus æger maximè delectetur. Nam qui cum voluptate assumuntur cibi, eos ventriculus avidiùs amplectitur, promptiùsq; & expeditiùs cōcoquit. Contrà, eos qui displicent, aversa-

tur, refugit, nec avidè amplectitur, neque expeditè concoquit. Hinc fit, ut sæpenumerò suaviores cibi, etiamsi deteriores sunt melioribus, minus tamē suavibus præferantur. Id quod Hippocrates quoq; faciendum esse præcipit in Aphorismis. ubi ita scriptū reliquit: Paulò deterior cibus & potus, qui tamen sit suavior, melioribus quidem, sed minùs suavibus anteferendus. Verùm non deerunt medici, præsertim qui assentationibus sese potiùs, quàm eruditione vendere student, quiq; aurum magis, quàm salutem ægri sitiunt, qui hinc sui erroris patrociniū arripient, sibiq; licere putabunt, ut nunquam ægro exhibeant, nisi quibus maximè delectetur. Sed quàm fallantur, quamque sceleratè Hippocratis sententia abutantur, perperamque ad tuendos suos errores eandem detorqueant, alia ejusdem sententia demonstrat, in qua quantum ægrotantibus in cibo & potu sit gratificandum, disertè exponit. Ea verò est in 6. Epidem. libro, ubi in eum scribit modum: Hæc sunt, in quibus ægrotantibus est gratificandum, ut scilicet cibus & potus purè conficiantur. Grata etiam sint, quæ viderint, & mollia, quæ attingunt, sed non admodum lædant, & facilè reparabilia sint, veluti frigidæ exhibitio, ubi ea opus fuerit, & alia. Hæc ille. In qua sanè sententia Hippocrates perspicuè, in quibus potissimùm rebus ægrotantibus sit gratificandum, & in quibus iisdem obsequendum sit, ostendit. Quippe in eo maximè ægrotanti obsequendum erit, ut tàm cibus, quàm potus, qui illi offeruntur à ministris, puri, & à sordibus repurgati sint: sic enim majori cum voluptate eosdem assumet, tumque eos ventriculus avidiùs amplectetur, & expeditiùs concoquet. Dein obsequendum etiam interdum ægris, ut illis permittantur etiam ea, quæ non quidem plurimum, sed parum admodum nocent. Quod significare volens Hippocrates dixit: Non admodum lædant, & facilè sint reparabilia. Et in Aphorismis paulò deteriorem laudavit cibum, non omnino pravum, ejus-

2. Aph. 38.

Non perpetuò qui delectant cibi ægris exhibendi.

Sect. 4. Aphor. 7.

In quib. præcipuè rebus ægris gratificandum.

ejusmodique inferentem noxam; quæ corrigi nequeat. Sic certè aquæ frigidæ interdum potum, ægrotanti concedimus, ubi scilicet eâ opus est, & noxa, quam infert, reparari facilè potest. Quod de aqua frigida diximus, idipsum de omnibus aliis tum potibus, tum cibis intelligendum venit, ut non sit necesse de singulis particulatim verba facere.

DE ORDINE CIBORVM. Cap. VII.

IN cibis assumendis non solùm ea quæ hactenus dicta sunt, observanda erunt, sed & hoc unicè curandum, ut legitimo ordine cibi ingerantur. Legitimus autem assumendorum ciborum ordo est, ut concoctu facilia, iis quæ difficulter concoquuntur, præmittantur. Nam si is ordo turbatur, tum illa, quæ concoctu difficilia sunt, ea quæ jam concocta sunt, quò minus descendere, & è ventriculo egredi possint, impediunt. Debent quoq; ea, quæ liquida sunt, solidis & aridis antecedere, quòd aliàs liquida, in superficie ventriculi natarent. Prætereà, edulia, quæ dejectionem moliuntur, iis, quæ tardè commeant, lubricantia, adstringentibus, celeriter subsidentia, iis, quæ in ventriculo morata corrumpuntur, citiùs sumenda sunt. Verbi gratia, ova sorbilia, & id genus alia concoctu facilia, juscula, olera, carnibus assis, cotoneis aut punicis malis præmittenda sunt. Vt autem medicus omnium horum exquisitam notitiam habeat, adeoque quis sit legitimus assumendorum ciborum ordo, scire possit rectiùs, diligenter illi Galeni, quos de Alimentorum facultatibus libros conscripsit, evoluendi erunt, è quibus certè singulorum ciborum facultates cognoscet, quemque ordinem in assumẽdo obtinere debeant, clarè admodum discet. Cæterùm quę de ordine ciborum hactenus diximus, ea ad ventriculum naturaliter se habentem referenda

Legitimus assumendorum ciborũ ordo in sanis.

Assumẽdorum ciborum ordo in ægris. erunt. Nam si cui ventriculus justò laxior sit, huic certè præstiterit quovis tempore adstringentia lubrificantibus præposuisse: quòd aliàs fieri nequeat, ut tantisper cibus, donec perfectè concoquatur, in ventriculo retineatur. Robur etiam aliquod ex iis ventriculo accedit, si ea quæ assumpsit, rectiùs conficere potest. Quid multa? ventriculus præter naturam affectus, non eam victus rationem, nec eum ingerẽdorum ciborum ordinem, quem sanus, requirit: sed potius victum contrarium, & qui illum ad mediocritatem quandam reducere queat, postulat.

DE TEMPORE ASSVMENDOrum ciborum. Cap. IIX.

Tempus assumendorũ ciborũ in sanis. CVrandum quoq; nobis erit, ut tàm sani, quàm ægri, non intempestivè, sed convenienti tempore, cibum ingeramus. Quod fiet, si statas certasque horas prandio cœnæque, quoad fieri potest, destinemus. Sani utiq; solita & consueta hactenus hora, postquàm hesternus priórve cibus descenderit, & jam confectus fuerit, ac ipsi modicè antea exercitati fuerimus, jamque illiciente appetitu, prandium sumemus, & cœnabimus. Si enim cõsueta hora idipsum fecerimus, naturam ipsam ad conficiendos cibos alacrem, ac promptam experiemur, ut quæ statis horis suum facere officium didicit. Quòd si verò priore nondum confecto cibo, necdum in alvum demisso, alium ingeramus, hic profectò perinde atq; is qui prior assumptus est, non concoquetur, adeoq; maximæ cruditatis causa erit. Cavendum quoque erit, ne varia eâdem in mensa edulia, nec variè apparata, nec culinæ artibus, gulam irritantia sumantur: sed simplici ac unico cibo ad necessitatem, non ad satietatem, contenti simus. Quod sanè Hippocrates etiam monuit loco jam crebrò citato, ubi sanitatis *Martialis & Horatius.* esse studium ait, non satiari cibis. Rectè igitur Martialis & Horatius præcipiunt, ut convictus sit facilis,

& sine

& ſine arte menſa. Quum enim diverſorum ciborum diverſa ſit natura, accidit ut ciborum in eadem menſa varietate, copia & productione in longas moras, nihil nocentiùs homini ad ſalutem, eſſe poſſit. Proinde mirum non eſt, quòd ii, qui gulæ ac ventri toti ſerviunt, deditique ſunt, ac ſeſe à ſummo mane, ad ſummam usq; noctem multo varioq; tùm cibo tùm potu non implent ſolùm, ſed etiam diſtendunt, cùm cibus cibum aſſiduò excipiat & compotationib. ſtudeant, magnam ſibi cruditatem comparant, nec ullus eorum, ad juſtam ſenectam perveniat. Nam dum ex intemperantia illa maximam, crudorum ac vitioſorum humorū copiam coacervant, fit ut podagra, calculo, coli dolore, carcinomate, febribus, & id genus aliis malis, priùs annis aliquot miſerè torti, tandē vitam cum morte commutent. Cæterùm prodeſt plurimùm, ut ante cibum exercitemur, quòd ita calor nativus augeatur, cibusq; aſſumendus dein expeditiùs immutetur, ac conficiatur, nutritioque felix ſuccedat. Quod quum intelligeret Hippocrates, non abs're in Epidemiis ita ſcriptum reliquit: Labor cibum præcedat. Sed ea de re ſuo loco fuſiùs. Deniq; fames, optimum condimentum, ad menſam afferenda, & jam illiciente appetitu cibus aſſumendus, nec eo ad edendum inſtigante, cibus (modò præſto ſit) differendus eſt. Quippe ſi ventriculus jam vacuus alimentū poſtulat, nec ejus copia eſt, excremētis impletur. Ea ſunt, ſanies quædam bilioſæ, pituitoſæ, & ſeroſæ, quas ſolas trahenti illi tum, quum nutrimento indiget, jecur remittit, & concedit. Vt non temerè hactenùs, hoc in ſcholis medicorum ſit uſurpatum: Diutius tolerare famem, ventriculū malis complet humoribus. Plurimùm igitur ad ſanitatis conſervationem confert, ſi legitimis, hora & tempore cibus aſſumatur: ita enim cruditas, ſanitatis corruptela, vitabitur. Contrà verò, infirmum morboſumq;, ac Deo, & hominibus odioſum corpus reddet, aſſidua crapula, ciborumque ac potuum ingeſtio, ut eo majori ſtudio nobis

Crapula quorundam vocatur.

Crapulæ effecta infelicia.

6. Epid. ſect. 4. aphor. ult.

Diutius tolerare famē, ventriculum pravis humoribus implet.

Prandium simul & cœna, à cibo semper inchoanda.

adnitendum sit, ne per sanitatem intempestivè cibũ ingeramus. Tàm prandium verò, quàm cœna, semper à cibo, nunquam à potu, auspicetur, quòd aliàs in venarum inedia, vinum adhuc crudum ad eas rapiatur. Cavendum autem unicè, ne mutatino tempore, ventriculo adhuc vacuo & ieiuno, vinum fortè, aut offæ vino maceratæ, (quod magnates tamen facere consueverunt) ingerantur, quòd inde maxima corporis mala, ac gravissimi morbi oriantur. Intervallo præterea eo, quod inter prandium & cœnam interiectum est, à potu abstinendum erit, quòd concoctioni ciborum id plurimum conferat. Cœna verò prandio plenior sit, sanis quidem & iuvenibus. Aegrotis autem, iis præsertim, qui nocturnis morbis, & destillationibus laborant, ac senibus, cœna prandio minor congruit, ut aliàs fusiùs monstravimus. Cœna præterea tunc maior ac largior sit, quando intersticii tantùm, ab ipsa ad somnum intercesserit, ut vapores à copiosiore ingesto cibo elati discutiantur atque difflentur: id enim quatuor horarum spacium fuerit. Quod si minus, parciori cœna utendũ. Si enim copiosior tum foret cœna, ob somnum imminentem, caput multis vaporibus replebitur, & animales spiritus lædentur. Quùm verò consuetudinis, quæ naturæ loco habenda est, magna vis sit, & ipsius hoc loco habenda ratio erit, dandaque opera ut sensim, non subitò à prava consuetudine transferantur homines. Non solùm verò per sanitatem, sed & per morbos cavendum erit, ne intempestivè cibus assumatur. Siquidem in morborum accessionibus à cibo prorsus est abstinendum, quod hoc tempore natura, circà morbi materiam occupata sit, ideoque cibi oblatione, à suo munere haud avocanda. Hinc est, quod Hippoc. prudentissimè dixerit: In accessionibus à cibo abstinere oportet, siquidem cibum dare nocet. „ Et si per circuitus morbi accessiones habent, in ipsis „ accessionibus cibum subtrahere oportet. Et paulò „ pòst: His, quibus per circuitus accessiones fiunt, nihil

Cœna, prandio, sit liberalior, in sanis & iuvenibus non item morbosis.

In accessionibus morborum à cibo prorsus abstinendum.

1. Aphor. 11.

1. Aph. 19.

hil dandum, neque ut quicquam assumant cogendi, sed adiectionibus, ante iudicationem, subtrahere convenit. Idem etiam faciendum esse, alibi præcepit, inquiens: Quum à vacuatione sorbitiones exhibere volueris, observa febrium accessiones, ut neq; quum adsunt, neque quum venturæ sunt, eas ingeras, sed quum iam finitæ sunt, aut quieverunt, & quum maximè à principio distare videntur. Verùm ne quis iã citatis Hippocratis locis motus, in omnibus accessionibus morborum, à cibo esse abstinendum existimet, adhibenda, in febrium potissimùm accessionibus, distinctio erit. Neque enim quod diximus, in omnibus febribus, sed in quibusdam duntaxat observandum erit. Quippe in earum febrium accessionibus, quæ ob plenitudinem, vel obstructionem, vel phlegmonem, vel humoris cuiusdam putredinem excitantur, cibus in accessione oblatus, maximo malo est: adeò sanè, ut ii quidem, quibus hac ratione febris accēditur, nec in inclinatione febris, citrà magnã noxam nutriantur, nedum ipsa accessione iam invadente. Quum verò excitatur febris propter mordentem acrimoniam excalefacti extenuatiq;, ex sole, inedia, & laboribus, maximum eius remedium est, humidum nutrimentum. Proinde sic laborantes, omni certo tempore, sed potissimùm per inclinationes accessionum sunt nutriendi, ut ex prolixa & venusta quadam historia copiosè admodum libro 10. Ther. methodi, cap. 3. & 5. Galenus monstrat. Cur autem ægrotantes nonnulli interdum in ipsa accessione, imò in accessionis invasione nutriendi sint, hæc est ratio: Quippe qui calido & sicco temperamento, vel à primo statim ortu, vel certè illo tempore quo laborant, præditi sunt, iis vires necessariò imbecilliores existunt. Neque enim fieri potest, ut abundè calidum & siccum corpus, quùm febricitat, viribus sit valentibus: ideoque quum invasura adhuc est, & quum incipit febris, cibandi sunt. Vt hoc nomine audacter nobis contemnenda sit diatritos, id est, tridui inedia:

4. vic. ac. 34.

Non in omnium febriũ accessionibus à cibo abstinendũ.

Cur, in ipsa accessione ægri quandoque sint nutriendi?

& æger, ubi idipsum vires postulant, protinùs primò secundóve die, idq; in accessione cibandus.

DE CIBIS, QVI TEMPORIbus anni congruunt. Cap. IX.

ὧραι.

IN cibi potusque ratione præscribenda, anni quatuor tempora, quæ Græcis ὧραι dicuntur, minimè sunt negligenda, quòd alii cibi Veri, alii Aestate, alii Autumnó, & alii Hyemi conveniant. Hyeme namque plurimùm comedere, minimum bibere conducit. Cur autem hoc tempore plus, quàm aliis temporibus edere, minùs autem bibere expediat, tẽperaturæ eius acceptum referendum erit. Frigida enim admodum quùm sit, & humida, plurimos sanè cibos exigit, & paucam potionem. Nam quùm alimentum, perpetuò cum nativo calore, à quo unico conficitur, sit comparandũ, & is hyeme sit plurimus, plurimum etiam alimentum hoc tempore dandum esse, consequitur. Quod etiam confirmat Hippocrates, qui in Aphorismis ita inquit: Ventres hyeme natura calidissimi sunt. Quocirca hoc tempore alimenta copiosiora dari debent. Siquidem innatum calorem copiosiorem habent, pluribus igitur alimẽtis egent. Parum autem bibẽdum, quòd tempus hoc, corpus nostrum plurimùm humectet. Vtendum autem pro potu vino meracissimo, quòd id calefacere & exiccare, adeoque temporis excessui validè repugnare possit. Cibi itidem tum sint calefacientes & exiccantes, nempe panis, carnes assæ, pisces etiam assi, brassica & id genus alii, à quibus corpus, hoc tempore frigidum & humidum existens, calidum & siccum evadit. Vere autem iam ineunte, paululùm cibo demendum, quòd aëris nos ambientis tum frigiditas non sit tanta, quanta in hyeme fuit: adeoque calor ferè laxatur, & minus potest concoquere. Nam quùm vernũ tempus, præsertim in medio sui, sit temperatum, paulatim ad eam mediocritatem ciborũ, quæ

Hyemis victus.

1. Aphor. 15.

Veris victus.

quæ huic tempori conveniens est, veniendum erit. Hinc est, quòd potioni etiam aliquid adjiciendum sit, & plus quàm hyeme bibendum. Nam eadem ratione paulatim ad mediocritatem huic tempori congruentem, transeundum erit. Vt perpetuò verum sit, Subitas mutationes cavendas esse. Quapropter paulatim quoque ab assis, ad elixa progrediendum. Magis verò carne, quàm piscibus, hoc tempore vescendum. Cùm enim ver summè intemperatorum anni temporum, nempe hyemis & æstatis, (in quorũ medio versatur) mediam temperaturam habeat, ut suo monstratum est loco, mediam etiam victus rationem requirit. Non igitur verno tempore, ut hyeme, calefacientibus & exiccantibus cibis, nec refrigerantibus & humectantibus, ut æstate, utendum. Piscium verò alimentum esse frigidum & humidum, adeoq; veri minus aptum, nulli non constat. Carne igitur magis verno tempore, præsertim vitulorum & hœdi, utendum. In summa, quùm verno tempore, corpus mediocriter sit affectum, atq; adeò temperatum, in eo sanè statu, mediocri victu conservandum erit. Quare hoc tempore, quod Soranus etiam cap. 5. suę Isagoges monuit, minimè est ieiunandum, imò cùm ventres, tum, ut Hippocrates attestatur, natura calidissimi sint, somniq; longissimi, plurima alimenta sunt exhibenda. Si enim calorem innatum habent multum, igitur pluribus etiam alimentis egent. Cæterùm æstate, cibis magis demendum, potioni verò adjiciendum. Quippe cùm hoc tempore, utpote calido & sicco corpus exuratur, squalidumq; evadat, multa sanè potione, eaq; diluta eget. Cùm autem plurimi caloris innati æstate dissipetur, & exhalet, cibo etiam magis, quàm vere, demendum. Cibis etiã non nisi elixis, ac frigidis utendum, ac unicè studendũ, ut à calore & siccitate corpus vindicemus: quod certè consequemur, si illud molle, & frigidum reddemus. Per autumnũ cibo paulò pleniore ac sicciore utendũ: minùs tamen sed meraciùs bibere cõvenit.

Piscium usus verno tempore parum aptus.

Aphor. 29.

Aestatis victus.

Autumni victus.

Nam paulatim à victu æstatis, in eum qui autumnò convenit, est veniendum. Paulò autem quàm in æstate pleniore utendum victu, quòd iam caloris fervor remittatur, pauloque validior nativus calor fiat. Quo sanè nomine minus etiam, sed meracius bibendum. Vt scilicet paulatim ad id, quod meracissimum est, vinum, quale hyemi, ut dictum est, congruit, veniamus.

DE CIBIS, QVI AETATIBUS conveniunt. Cap. X.

QVemadmodum in cibi & potus administratione, anni temporum habendam rationem ostendimus, ita quoque ætatis, aliquis in iis respectus esse debet. Quippe puerorum victum frigidum & humidum esse convenit, iuxtà illud Hippocratis: Victus humidus omnibus febricitantibus prodest, maximè verò pueris. Cùm enim tēperamento calidi sint pueri, ideoq; in confesso sit, illis plus caloris innati inesse, frigida victus ratione, præsertim quod ad potum attinet, ipsis utendum erit. Vinum itaq; pueris inimicum est, quod scilicet haustum, Galeno lib. 1. de Tuen. sanit. cap. 9. teste, eos nimirum calefaciat, caputq; illorum halitu repleat. Proinde prudenter admodum Plato in secundo de Legibus præcepit, ne pueri usq; ad duodevigesimum annum, omninò vinum gustarent. Eiusq; rei rationem, mox subiungit, inquiens: Οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν: non oportet ignem igni adiicere. Humidi verò cibi, illis duabus de causis competunt. Vna, quia quùm in hac ætate corpus plurimùm crescat & augeatur, non oportet exiccantibus cibis, illud incrementum inhibere. Altera, quòd puerorum substantia omnium facillimè discutiatur: ut igitur humido alimento reparetur, est necessum. Puberum & adolescentium ætas, quum temperatum temperamentū, (ut suo monstravimus loco) habeant, victum planè similem, hoc est,

Puerorum victus.
1. Aphor. 16.
Vinum pueris inimicū.
Cur pueris conveniat cibus humidus
Puberum & adolescentiū victus.

est, temperamento medium, illis esse adhibendum, liquet. Temperamento autem medius est, qui neque calidius, neque frigidius, neque humidius, neque siccius ipsorum corpus efficit. Iuvenibus certè, quoniam impensè calidi & sicci sunt, contraria hoc est, frigida & humida victus ratio confert. Vnde omnibus perspicuum evadit, quod neque illis, etiam de sententia Platonis, vinum conueniat. Quippe furiosum horum habitum, adauget. Platoni subscribit Galenus loco paulò antè citato, vbi ait, vinum iuuenes ad iram & libidinem præcipites facere, & partem animi rationalem, hebetem turbidamq; reddere. Vt hinc facilè ratio reddi possit, cur nostra ætate, in hac veritatis luce, & disciplinarum omnium rectitudine, doctrinarumque incrementis, pauci admodum iuvenes ad frugem, & virtutis arcem perveniāt. Quum enim ex æquo ferè omnes vinum non modicè, (ut illos deceret,) bibant, sed affatim ingerant, in eoq; immodicè hauriendo noctes diesq; consumāt: quid mirum tam feroces reddi, ut à nemine coërceri queant? Sed nedum hoc vitium illis conciliat vini immodici usus: verùm etiam ingenii vires, & animi vigorem enervat, ac hebetem reddit. Vt præclarè luserit olim, Eobanus noster iis versibus:

Iuvenum victus.

Vinum iuvenibus non convenire.

Cur pauci iuvenes hodie ad frugē perveniant.

Immodici, sensus perturbat, copia Bacchi:
Inde, quis enumeret, quot mala proveniant?
Corporis exhaurit succos, animiq; vigorem
Opprimit, ingenium, strangulat, atq; necat.

Optarem autem vestibulo, ac singulis parietibus locorum, ubi studiosi habitant, hos versiculos inscriptos esse: ita enim crebra horum lectione & inscriptione fortè fieret, ut ebrietatem, tanquam immanissimam bestiam, & certum illis exitium afferentem, evitarent. Senibus porrò cibi & potus, qui solidas eorundem partes, frigidas & siccas iam factas, calefacere & humectare possunt, conducit. Proinde calefacientes & humectantes maximè cibi, & balneæ, prætereà vini calidi potio, & somnus liberalior illis

Senū victus.

competunt. Quam sanè victus rationem senum, Virgilius hoc etiam versu, innuere voluit:

Vt lavit, sumpsitq; cibum, dat membra sopori.

1. Aphor. 13. Paucos tamen cibos requirunt senes, ut Hippocrates
„ quoque attestatur, inquiens: Senes facillimè ieiuniū
„ tolerant, secundo loco qui constantem ætatem a-
„ gunt, nullatenus adolescentes, omnium verò mini-
„ mè pueruli, præsertim illi qui inter ipsos sunt alacrio-
„ res. Atq; eius rei rationem statim in sequenti Aphorismo expressit, in eum scribens modum: Quæ cre-
„ scunt corpora, plurimum caloris innati obtinent, ita-
„ que plurimo alimento indigent, alioqui corpus absumitur. Senibus verò parum caloris inest, propterea paucis alimentis indigent, siquidem à multis extinguitur.

DE POTV. Cap. XI.

CVM abundè satis de cibo dictum sit, reliquū est, ut de potu etiam nunc disseramus. Cùm verò tria potus apud Germanos sint præcipua genera, aqua nimirum, vinum, & cerevisia, de singulis ordinè, breviter tamen, agemus. Qui itaque per bonam valetudinem, aquæ potu uti consueverunt, iis annitendum erit, ut aquam non nisi optimā bibant. Optima verò est, Gal. etiam lib. 1. de Tuend. sanit. cap. 9. teste, limpidissima purissimáve, gustuiq; non modò, verùm etiam olfactui iucundissima, hoc est, quæ omni tum odoris, tùm saporis vitio carere, omnisque qualitatis expers esse videtur. Qualitatis autem omnis expers est, quæ nec salsedinis, nec amaritudinis, nec aciditatis, nec cœni, nec sulphuris, in summa, nec alterius rei ullam significationem præbet. Virtutes quoque optimæ aquæ præcipuæ sunt, si levissima & tenuissima est, si hypochondria celeriter transit. Levissima verò est, Hippocrate attestante, quæ citò tùm incalescit, tùm refrigeratur. Quòd si ad Orientem fons eius excurrit, & per meatum aliquem mundum, aut puram terram percolatur,

Aqua optima.

1. Aphor. 16.

tur, omnes optimæ aquæ notas habebit, atque hoc homine, omni ætati utilissimam esse, existimandum est. Non enim sicuti vino, escis, exercitatione, vigiliis, somno, ac Venere, aliis aliàs uti pro ratione expedit, ita de aqua quoque statuendum est: sed quam nunc optimam indicavimus, hac uti puero, iuveni, seni conducet. Contrà, vitiosa aqua erit, quæ turbida, quæ ex stagnis & paludibus hauritur, quæ malè olet, quæ salsa est, denique in qua qualitas aliqua gustu deprehenditur, adeoq; potu insuavis est. & quæ circa hypochondria hæret, qualis est, cuius fons contrà Septentrionem fluit, solémq; aversum habet. Hæc igitur aqua pessima est, quod in hypochondriis diutissimè moretur, ægrè concoquatur, fluctuationes excitet, in flatum mutetur. & corrumpatur, adeoque ventriculi robur resolvat. Cæterùm hominibus, qui ferventi temperamento, sive natura, sive ętatis ratione, præditi sunt, aquæ potio utilis est, quod Hippoc. quoq; in Epid. confirmat. Quod ad vini rationem attinet, de eo in præsentia, non ut est medicamentū, sed potius, ut est alimentum, agemus. Qua ratione consideratum, quintuplicem differentiam habebit. Prima in colore est posita, quatenus nimirum albū, fulvum, flavum, rubrum, nigrúmve vinum dicitur. Altera in sapore; quatenus dulce, austerum, acidum, acerbumq; est. Tertia in odore; quatenus iucundo, gravi, aut nullo odore est. Quarta in cōsistentia; quatenus tenue, & crassū. Quinta in ætate; quatenus scil. recens, aut vetustum existit. Vinorum itaq; omnium rubra simul & crassa sanguini generando sunt accōmodatissima, & quæ minima egeāt mutatione, ut sāguis fiant. Post ipsa sunt nigra, crassaq; & dulcia, tum quę colore quidē rubra sunt & nigra, consistētia verò crassa, unà cum astringendi qualitate. His autē minus sua natura alūt, quæ alba sunt simul ac crassa, & acerba. Omnium autem minimum nutriunt, quæ colore quidē sunt alba, consistentia tamen tenuia, & aquis hydromeliti faciēdo appositis, quodāmodo similia.

Aqua vitiosa quæ.

Quibus aquæ potio convenit.

6. Epid. sect. 4. Aphor. 13.

Vinorum ratio & differentia.

Vinorum in alendo differentia.

Dulcia verò conficiuntur in ventriculo, ac distribuuntur facilius, quàm austera, ut quę facultate sunt calidiora. Quæ autem admodum fuit crassa, tardiùs quidem perficiuntur, ac distribuuntur: si tamen in ventriculum adeò robustum incidant, ut confici rectè ab eo possint, alimentum copiosius corpori exhibebunt. Constat prætereà, quod quemadmodum hæc, corpori alendo, tenuibus sunt prętātiora, ita ad urinā sunt deteriora. Cæterùm, ut biliosis calidis tēperamentis per sanitatē frigidę potio, de Hippocratis etiā sententia maximè convenit: ita vinum, præsertim vinosum, obest. Summè autē calidis naturis, absolutè potio aquę confert. Aliis autē, quæ summè calidę nō sunt, vinum dilutum, aquosúmve, & exiguum, prodest, ut fusiùs in fine libri 5. de Tuenda sanitate, Galenus docet. Contrà pituitosis ac frigidis temperamentis, crudorumq; humorum magna vi pressis, vinum maximè fulvum ac dulce, qualia sunt ex nostratibus Rhenensia, convenit. Vitanda sunt quæ nimis vetustā, nimísve recentia: illa namq; præter modum, hæc, nullatenùs donec recentia fuerint, calefaciunt: quæ ut aliquem usum cibis concoquendis afferant, tantum abest ut ipsamet sint difficilis concoctionis. Prætereà nec commodè per alvum transeunt, nec digeruntur, nec urinam movent, nec sanguinis confectioni, nutritioniq; idonea sunt. Mustum ægrè coquitur, crassumq; succum, & inflationes facit: alvum tamen movet, idq; boni duntaxat in se habet. quod si interdum efficere non potest, mirum in modum nocet. Quod ad tertium potionis genus, nempe cerevisiam, attinet, qua ad septentrionem sitæ gentes, maximè utuntur: sciendum quidem erit, hanc è tribus confici rebus, aqua, hordeo, & lupo salictario: quarum priores duæ naturæ frigidæ, tertia verò calida existit. Dum verò conficitur, semper plus aquæ, quàm hordei, & huius quidem plus quàm lupi salictarii sumitur. Quale autem sit cerevisiæ temperamentum, absolutè, vix explicari potest: quòd illius

Quibus vinum conveniat, & quibus non.
6. Epidem. sect. 4. Aphor. 13.
Vetusta.
Recentia.
Musti vires & incommoda.
Cerevisiæ ratio.
Confectio.
Temperamentum.

non

non exigua ſit pro harum rerum, ex quibus conficitur, miſtura, differentia. Poſſunt enim illa inter ſe temperari, ut ferè ex harum commiſtione temperata potio conflctur, qualis eſt cereviſia dulcis & perſpicua. Cùm verò magna ex parte in cereviſiis non levis ſentiatur amaritudo, non dubium eſt, has omnes eſſe temperamento calidas. Et quò quævis amarior, eò quoque calidior exiſtit. Quare iis populis qui Aquilonares regiones incolunt, potus eſt non ineptus. Preter autem nutriendi facultatem, quam ex hordeo & tritico nanciſcitur, etiam medicamentoſam facultatem, ex lupo ſalictario obtinet. Quapropter iis, qui ea modicè utuntur, vires corporis auget. Quod verum eſſe Septentrionalium locorum incolæ, abundè teſtantur, quos robuſtiſſimos eſſe conſtat. Nec ita facilè, ut vinum, lædit nervos, nec articulorum dolores, nec alia vitia, quæ vini potionem comitantur, creat. Medicamentoſam vim à lupulo vocato, habent omnes cereviſiæ admodum amaræ, adeò ut urinam etiam moveant, & aliquid bilis etiam per alvum educant. Quare ſi quis exactè de cereviſiarum facultatibus pronunciare voluerit, is diligenter earundem conſiſtentiam, & ſaporem conſideret.

Facultas cereviſiæ.

DE MOTV ET QVIETE.
SECTIO III.

DE EXERCITIORVM GENEribus ac differentiis. Cap. I.

Motus quid.



OTVS voce, hoc in loco, omnis generis exercitia, intelligenda veniunt, quòd ad motū ceu gen⁹ quoddam, omnes exercitiorum modi referendi sint. Exercitiorū autem, veteribus, multa ac varia fuerunt genera. Atq; eorum quidem duo sunt præcipua. Quædam enim exercitia tantùm sunt, quædam verò non exercitia solùm, sed & opera. Exercitia tantùm sunt, lucta, pugillatus, pancration, cursus. Luctam autem, quæ Græcis πάλη dicitur, esse ludi genus, quùm duo sese mutuò apprehendentes, ad terram nituntur, se prosternere, & adfigere notius est, quàm ut à me pluribus explicari debeat. Pugilatus Latinis, Græcis πυγμή, certaminis genus fuit, quod cæstibus, quibus adversarium feriebant, exercebatur. Hinc Cic. lib. 2. Tusc. Pugiles, cæstibus contusi, ne ingemiscunt quidem. Et iterum: Pugiles etiam quùm feriunt adversarium, in iactandis cæstibus, ingemiscunt. Cæstus autem erat clava, habens pilas plumbeas loris bubulis appensas, aut certè bubulis pellibus insutas. quod lib. 5. Aeneidos Vergilius iis innuere videtur versib⁹:

Exercitia tantùm.
Lucta.
Pugilatus.
Cæstus.

——Sic deinde locutus,
In medium geminos, immani pondere cæstus.
Proiecit, quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duroq; intendere brachia tergo.
Obstupuêre animi, tantorum ingentia septem
Terga boum, plumbo insuto, ferroq; rigebant.

Pācration.

Pancration certaminis genus fuit, quod omnibus corporis advocatis & intentis viribus, omniumque nervo-

nervorum contentione, transfigebatur. Ἀ᾽ παῦ quod omne, & κράτος, quod robur significat. Vnde παγκρατιασταί manibus, pedibusque, quasi totius corporis conatu, omnibusq; viribus connixi, certabant. Ita Suidas & Phavorinus παγκρατιαστὴν interpretantur ταῖς χερσὶ καὶ ποσὶ πυκτομάχοντα: id est, manibus & pedibus in pugilatu pugnãtem. Lucianus in Ancharse, παγκρατιάζειν, inquit, τὸ παίειν ἀλλήλους ὀρθοστάδην: hoc est, ferire vicissim stando in erectũ: id est, quum alter, cum altero, luctabatur erectis pedum digitis. In quo sanè certaminis genere omnibus corporis viribus opus fuit. Vt hic omnibus palàm fiat, Hermolaum Barbarum & Volaterranum, viros alioqui doctissimos, non rectè Pancratiastem interpretari pro eo, qui quinque generibus, nempe saltu, cursu, disco, iaculo, & lucta certavit, & vicit. Et sic quidẽ sentiẽtes carpit etiam Nicephorus Gregoras, Synesii, in libellũ de Insomniis interpres: ὀλυμπιακοὺς ἀγῶνας πέντε φασί, πυγμὴν, πάλην, δρόμον, ἀκόντιον, καὶ δίσκον. τὸ μέντοι παγκράτιον ἕτερόν τι ἦν, σύνθετον γὰρ ἐκ πυγμῆς καὶ πάλης ἦν: id est, Olympiaca certamina quinq; esse ait, pugilatum, luctam, cursum, iaculum, & discum. Cæterùm pancration diversum quidpiam erat. Compositum enim ex pugilatu & lucta erat. Plutarchus etiam sympos. β. Pancration ex pugilatu & lucta mistum fuisse exercitium testatur. Aristotel. quoque libro primo Rhetoric. capite quinto, idem confirmat iis quidem verbis: Ἀγωνιστικὴ δὲ σώματος ἀρετὴ σύγκειται, ἐκ μεγέθους καὶ ἰσχύος καὶ τάχους. καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν. ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη ῥιπτεῖν πῶς καὶ κινεῖν ταχὺ, καὶ πόρρω, δρομικός. ὁ δὲ θλίβειν καὶ κατέχειν, παλαιστικός. ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πληκτικός. ὁ δ᾽ ἀμφοτέροις τούτοις, παγκρατιαστικός. ὁ δὲ πᾶσι τούτοις, πένταθλος: hoc est, Certatoria corporis vis, magnitudine, robore, & celeritate constat. Celer namque qui est, robustus est. Qui verò crura projicere quodammodò,

παγκρατιασταί.

Hermolai Barbari & Volaterrani error.

& celeriter longeq́, movere poteſt, curſor. Qui premere ac retinere, luctator. Qui verò pulſando plagísve inferendis propulſare iniurias valet, percuſſor. Qui utrisq; valet, pancratiaſticus habebitur. Qui omnibus iam dictis exercitiis excellit, pentathlus. Hæc Ariſtotelis verba adjicere placuit, quòd prioribus lucem non exiguam afferant, & doceant pugilatum eſſe, quum quis plagas tùm cæſtibus, tùm pugnis infert. Præter iam dicta exercitia ſunt Græcis & aliæ exercitationes corporis, videlicet ἀκροχειρισμὸς, ἐκπλεθρισμὸς, πιτυλισμὸς, σκιαμαχία, ſaltus, diſci iactus, follis, pilæ vel parvæ, vel magnæ motio, & corpus per altere

Acrocheiriſmus.

res fatigare. Ἀκροχειρισμὸς exercitii genus eſt, ubi quis cum altero citrà complexum, vel omninò ſummis manibus certat, & pugnat.

Ecplethriſmus.

Ἐκπλεθρισμὸς, cùm in plethro, id eſt, in ſexta ſtadii parte, quę eſt cubitorum ſexagintaocto, quis, porſum retrorſumq; viciſſim, idq́; ſæpè in utramq; partē ſine flexu curſitans, unoquoq; curſu, breve quiddam de ſpacio demit, quoad deniq;

Pityliſmus.

in unico veſtigio conſtiterit. Πιτυλισμὸς, ubi quis ſummis pedibus ingrediēs, tenſas in ſublime manus, hāc

Sciomachia.

antrorsùm, illā retrorsùm, celerrimè movet. Σκιομαχία, nō eſt niſi umbratilis armorū meditatio: ſic dicta, quòd ſub tecto & in umbrâ, pugnæ ſimulachra fingebantur, quùm vera pugna, in ſole, & pulvere pera-

Diſcus.

gebatur. Diſcus autem lapis eſt rotundus, quē exercitaturi accipientes, in longum, atq; in auras projiciūt.

Follis.

Follis verò, qui Græcis κορυκὸς dicitur, pilæ genus eſt, ex pelle factæ & vento inflatæ. Hæc etſi reliquis craſſior eſt, tamen non admodū gravis. Hoc in loco me

Franciſci Vallerıolæ de coryco opinio falſa reiecta & exploſa.

præter omne meum meritum pungit Franciſcus Valleriola, quòd inſtrumentum ad ludendum aptum, Galeno, aliisque Græcis κωρυκὸν dictum, idem eſſe cum eo quod follem Latini appellant, exiſtimem. Cōſtanter enim affirmare audet, Galenum corycum à folle, quoties amborum mentio incidit, perpetuò diſcriminare. Verùm initio quidem à Valleriolâ maiorem

iorem in modū peto, unum mihi ex omnibus Galeni monumentis proferat locum, ubi ille utriusq; instrumenti coryci scilicet & follis, seorsim mentionem faciat, illaq; inter se differre dicat: & si diversa sint, quo tādem nomine, ipse, follem Latinis nominatum, lusorium instrumentum appellaverit. Atqui sat scio, ipsum neutrum præstare posse, quandoquidem quod Latini follem nuncupant, id Græcis sit corycus, nec ullo usquam in loco Galenus hæc duo ab invicem distinxerit. Quòd enim Valleriola, pro erroneæ suæ opinionis confirmatione, duos ex lib. 2 de Tuend. sanitate, Galeni locos adducit, nostræ sententię ne tantillum officit, quòd in illis corycum, non à folle, sed tantùm à pilâ parvâ distinguat. In primo namq; loco Galen. sic ait: *καὶ διὰ κορύκου, καὶ διὰ τῆς σφαίρας μικρᾶς.* Quæ verba, metipse Valleriola sic vertit: Tùm coryco, tùm pila parva. In altero autem ita inquit: *καὶ τὸ διὰ τοῦ κορύκου τι, καὶ τῆς σφαίρας σμικρᾶς γυμνάσιον*: hoc est, eodem Valleriola interprete: Tumq; per corycū, & parvam pilam exercitatio. Vt ex utroq; iam citato loco, luce meridianâ clariùs sit, Galenum corycum non à folle, sed à pila duntaxat parva, de qua peculiarem conscripsit librum, discriminasse: id quod, invitus licet, Valleriola etiam fatetur, iis quidem verbis: An non, ait, conceptis explicatisq; verbis, coryci exercitationem, ab ea quæ pila parva perficitur, distinguit Galenus, quùm duas faciat, & coryci, & pilæ lusoriæ exercitationes? Non est igitur ut productis ab eo duobus Galeni locis, nostram sententiam confutaverit. Verùm quia parum, imò nihil planè iam dictis locis effecerat, ideo mox ad aliam se confert rationem, hanc nimirum: Follis pilæ genus est, corycus verò, ut Hesychius, & Phavorinus, suis in dictionariis apertè testantur, non pilæ genus sit, sed uter, vel sacculus, aut pera ex pelle, coriove confectus. Iam dictorum autorum testimonia mox subjicit, quæ referre nihil attinet, quòd ei lubens concedam, corycum

Valleriolæ de coryci, & follis discrimine rationes adversū Fuchsium.

Græcis quoque tùm utrem, tùm sacculum significare. Sed mox instat inquiens: Si igitur coryçus instru-
„ mentum est quoddam, instar peræ, aut marsupii,
„ utrísve conformatum, cõstat profectò corycum fol-
„ lem non esse, quùm follis sphæricus sit: uter autem,
vel marsupium, oblonga. Mirari autem subit, qua fronte Valleriola omnem utrem, omneq; marsupiũ oblonga esse dicere audeat, quum experiẽtia utrumque esse falsum testetur. Constat enim utriculariorum utres esse rotundos, multaq; hodie inveniri exquisitè rotunda marsupia. Sed demus & utrem & marsupium omne esse oblongum, nihilominus tamen per similitudinem Græcis follem etiam, κόρυκον nominare licuit, quòd ille ex pelle, instar utris & marsupii, conficiatur. Atq; hinc est quòd veteres follem, pellem & utrem, ut infrà pleniùs dicetur, appellarint. κορυκὸν autem Græcis significare etiam follem, hoc est, ut Valleriola etiã exponit, pilam vento inflatam, aëreque incluso turgidam, & non tantùm utrem coriaceum, atq; marsupium, hinc maximè cõstat, quòd κόρυκον Græci etiam vocarint omne id, quod ab aëre aut vento incluso inflatur, turget, attollitur, & augetur, à verbo κορύασεσθαι, quod attolli denotat. Iam dictis accedit, quòd Latini omnes interpretes, & ii quidem doctissimi, κόρυκον follem interpretati sint. Vt omnibus iam palàm sit, Valleriolam me falsò erroris insimulasse, quùm ipse potiùs, à Cælio Rhodigino in errorem deductus sit, qui lib. 11. antiquarũ lectionum, cap. 6. ita scriptum reliquit: Corycum aliqui, intelligunt follem. Extat verbum apud Galenum quoque lib. sanitatis Tuendæ secũdo. Verùm à folle differre videtur & pila: sic enim scribit Gal. Tum coryco, folle & pila. E quibus sanè Cælii verbis conspicuum omnibus fit, ipsum nulla alia de causa in falsam hanc venisse opinionem, quã quòd putarit Galenum à folle & pila corycum distinxisse. Igitur in eum errorẽ nullo alio nomine lapsus est Valeriola, quàm

Confutatur Valeriola.

κόρυκον unde dictum.

Cælii Rhodigini lapsus.

quàm quòd illam sententiam non ex Græcis Galeni verbis, quod facere debuerat, sed ex Latina Linacri interpretis cõversione, à typographo depravata, collegerit, utpote in qua corycum, manifestè à folle, ut Cælii verbo utar, distinguitur: quùm Græcè sit, ϗ διὰ κορύνης, ϗ διὰ σφαίρας σμικρᾶς: id est, tùm coryco, tùm pila parva. Linacri igitur interpretatio legitima sic habuit. Tùm coryco, hoc est, folle, tũ parva pila. Atq; sic olim nos etiam in nostris super citatum Galeni librum, annotationibus locum hunc emendavimus. Igitur ex iam dicto Cælii loco, Valleriola suam de coryci & follis differentia, absurdã, & ex diametro à veritate aberrantem, hausit opinionem. Vt autem sole clariùs meridiano nemo non intelligat, utrũque Cælium nimirum & Valleriolã, turpiter lapsum & hallucinatum fuisse, nõ pigebit nos follis & pilæ rationẽ, copiosiùs explicare. Pila itaq; instrumẽtum lusorium est rotundũ, ad sphæræ similitudinẽ confectum. Quo quidẽ ludi genere magni & graves viri, impensissimè olim delectati sunt. Siquidem Augustus, ut in eius vita autor est Suetonius, post civilia bella, exercitationibus campestribus, equorumq; & armorũ dimissis exercitiis, ad pilam primo, folliculumq; transiit. Scævola insuper optimè pila lusit, atque ad hoc diverticulum, animum forensibus negotiis fatigatum, trãsferre solitus est. Pilarum autem veteribus, (id quod è Martiale omnibus liquet) quatuor fuerunt genera: Prima, dicta est trigonalis, à trigone loco thermarũ, qui ad huiusmodi pilæ usum ædificatus fuit, parvoq; calore tepidus, per hyemẽ teneri solitus est, ne exuti ad ludendum homines, statim frigus conciperent, & rigore concuterentur, néve ludendo exercitati nimis æstuarent. Locus igitur hic Græcis τριγὼν, à triquetra, hoc est, triangulari figurâ, quam Græci τρίγωνον vocant dictus, pilæ huic, quod in eo iactaretur, atque illa, ludere illic solebant, nomen dedit. Hæc ad unum mittebatur angulum, ita ut utrumq; parietem cõtin-

Pila quid.

Parag. 83.

Pilarum genera quatuor.

1. Trigonalis, & unde sit dictus.

geret, reddebaturque non minus sinistra quàm dextra manu, miramque corporis agilitatem requirebat. De loco hoc Mart. ita lib. 14. canit;

Qui lentum ceroma teris, tepidumq; trigona.

Et rursus lib. 12.

Captabat tepidum dextra, lævaq; trigonem.
Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas.

Et lib. 14. de pilâ trigonali.

Si me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

Pila parva Galeni. Palmaris pila.

Porrò pila hęc omnium minima erat, prædura, firmo pilo plena, à quo nomen habet. Atque ipsam hanc esse arbitor, quam Galen. σφαίραν σμικρὰν, id est, pilam parvam, alii palmarem, nominant, quòd reliquæ omnes, ea sint majores. Ejus mentionem facit lib. 2. de sanit. Tuenda, cap. 10. ubi tamen perperam legitur, καὶ διὰ κορύκε, καὶ διὰ σφαίρας ἢ σμικρᾶς, ἢ μεγάλης, pro σφαίρας μικρᾶς tantùm. Quod ex alio ejusdem ibidem loco fit manifestum, ubi tantùm parvæ pilæ mentio fit, iis quidem verbis: καὶ τὸ διὰ τοῦ κορύκε τε καὶ σμικρᾶς σφαίρας γυμνάσιον, omissa penitus magnæ pilæ commemoratione. Et quid opus fuisset Galeno, magnæ pilæ meminisse, quum κορύκε, quæ non est nisi magna pila, anteà mentionem fecerit? Quin etiam Paulus Aegin. libr. 1. cap. 17. ubi ad verbum Galeni sententiam descripsit, μεγάλης vocem penitus omisit, inquiens: καὶ τὸ διὰ κορυκότε, καὶ τοῦ σμικρᾶς σφαίρας γυμνάσιον. Accedit, quòd Galenus peculiarem librum ediderit, de exercitio parvæ pilæ inscriptum, ut eam omnibus aliis majoribus anteferret, veluti eam quæ universas corporis partes exerceat. Siquidem illa, ut in eo libello metipse scriptum reliquit, crura, brachia, cervicem caput, oculos, dorsum, lumbos, & omne ex æquo corpus commodè exercet, & animum voluptate mira afficit, vegetumq; & alacrem reddit, ut fusiùs in libello nominato, legentes

Parva pila commoda.

gentes cognoscere possunt. Quo sanè nomine factũ est, ut veteres viri præstantissimi, hoc genere ludi unicè delectati sint. Altera pila, paganica nominata est, à pagis, hoc est, villis, quòd pagani, ea uterentur. Hæc crassior, laxiorque, & pluma plena fuit, nec ad usum tàm agilis, ut quæ nec tàm levis est, nec jactata facilè resilit. De qua quidem Mart. lib. 14. ità scriptum reliquit: 2. *Paganica.*

Hac qua difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

Quasi diceret, est laxior quàm pila trigonalis, & arctior firmiorque quàm follis. Tertia pila, Græcis *κωρυκόν*, follis Latinis dicitur. Hæc ex pelle sive aluta fit, spirituq; ac vento inflatur, cæteris crassior, immò omniũ maxima, atqui etiam levissima existit. A flatu nomen apud Latinos habet, quia spiritu ventóve, ac flatu, ut dictum est, impletur: sive quòd follem veteres pellem appellabant, & per diminutivum folliculũ, & utrem. Nihil enim aliud est, quàm pellis utérve flatu impletus. Hoc pilæ genere ludentes, minus fatigantur, ideoque imbecilliori ætati convenit, quod Mart. lib. 14. maximè confirmat: 3. *Follis.* *Pila maxima.* *Folliculus.*

Ite procul iuvenes, mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros, ludere, folle senes.

Agitatus follis lentiùs fertur, magisque resilit, ac tardiùs descendit, veluti ex industria percussorem expectans. Quoniam verò hoc pilæ genus pugno excutitur, follis pugillatorius quandoque nominatur, ut à Plauto in Rudente: Extemplò hercle ego te follem pugillatorium faciam, & pendentem incursabo pugnis perjurissimè. Cæterùm veteres Græci saccos ex corio factos, & item marsupia, utresque ex pelle confectos *κωρυκά*, quemadmodum Latini folles, appellarunt, quòd hæc omnia, instar pilæ vento inflatæ, follisve, ex pelle corióve constent, & si reliqua impleantur, tumeant & turgescant. Vt mirari rursum subeat tùm Cœlium, tùm Valleriolam, cur affirmare *Follis pugillatorius.* *κωρυκά.*

audeant, κορυκὸν & follem esse res diversas, quum κορυκὸν Græcis, & follis Latinis propriè, hoc tertium pilæ genus, de quo hîc agimus, significet, adeoq; inter se non differant, ut jam à nobis ostensum est. Reliqua verò, similitudine potius quadam ab ea pila sumpta, κορύκου & follis vel folliculi nomen acceperint. Porrò, Hippocr. etiam lib. 2. de Diæta, exercitii ejus quod διὰ κορύκου, id est, per follem fit, meminit, & κωρυκομαχίην nominat. Siquidem κορυκὸς καὶ κωρυκός, Græcis pila illa appellatur. Sed præstat verba Hippocratis de hoc exercitii genere subjicere: ἀκροχειρίη ἰσχναίνει, καὶ τὰς σάρκας ἕλκει ἄνω: καὶ κωρυκομαχίη, καὶ χειρονομίη, τὰ παραπλήσια διαπρήσσεται. Hoc est: Summis manibus facta concertatio, attenuat, & carnes sursum trahit. Follis autem lusus exercitatio, & manuum ad rythmum motio, sive gesticulatio, similia inducunt. Quid multis opus est verbis? κωρυκὸς, sive κορυκὸς Græcis, & follis Latinis, pila fuit magna, vento plena, & levis, quam veteres exercitii gratia per aëra, variè & alternatim exagitabant, modò rectà in altum, modò obliquè & in transversum. Eo ludi genere hodie etiamnum non solùm in Italia, & Gallia, verùmetiam in aliquot Germaniæ locis, Norinbergæ potissimùm, utuntur. Quarta pila est, quam Harpastum, à verbo ἁρπάζω, quod rapio significat, eò quòd plures projectum harpastum, conētur arripere, & extrà ludi limites ejicere, nominant. Nam hoc pilæ genus non repercutitur, sed quū multi ludentes, in duas partes divisi sint, ita ut utriq; è regione sibi invicem opponantur, quisque annititur pilam arripere, & ad suos qui post se sunt viciniores, limitibus transmittere: ejusque partis victoria est, quæ pilam extrà limites ejecerit. Laboriosum genus ludi est, grandioribusque tantùm conveniens. Siquidem sæpè in terram decidit pila, ad quam catervatim accurrentes, se invicem prosternunt, pulvere ac sudore infecti, flavescunt: unde hoc Mart. 14.

[Margin: κωρυκομαχίη.]

[Margin: 4. Harpastū.]

Seu lentum ceroma terit, tepidumq; trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis.
Et rursus:
Nec rapit Aniaci velox in pulvere Draucus,
Grandia qui vano colla labore facis.

E panno ferè fit hæc pila, aliquando etiam ex pelle; lana tomentóve impletur. Talis est, qua nostri, maxima ex parte hodie ludunt. Alio nomine φενίνδα, Cælio libro vigesimo, capit. decimoquarto, teste, appellant à Phenestio ejus inventore: vel à verbo φεναχίζω, quod decipio sonat. Fit enim in hoc ludo, ut quum alteri sæpè ostendant, se velle pilam projicere, alteri tamen jaciant, ad decipiendũ adversarium. Sed, ut hoc etiam prædictis addamus, pila hæc, major est paganica, & quàm follis tenuior. Hæc quidem à nobis copiosiùs sunt dicta, ut non solùm nos ab injusta Valleriolæ reprehensione vindicaremus, sed etiam ut veram & legitimam rationem pilæ, quæ veteribus usitatissima fuit, quam pilã item Galen. parvam nominaverit, indicaremus. Digressi igitur longiùs, ad aliorum quæ restant exercitiorũ explanationem, jam redeamus. Cæterùm alteres massæ & moles lapideæ, aut plumbeæ, aut ex aliis metallis cõflatæ fuerunt, ita prorsus efformatæ, ut manuum digitis insertis, commodè levari possent. Fuitq; harum geminus usus. Vnus, quum summis manibus, utrâque tamen seorsum, apprehenso altero, porrectis iis, aut in sublime erectis, eodẽ habitu persistebant. Alter usus apud saltantes erat, qui illos in gymnasio circũferentes saltabant, ut majore nixu, corpus, in lõgiora spacia saltũ projicerent, ut alibi fusiùs diximus. Gymnasiũ autem fuisse locum in publica aliqua urbis regione extructũ quò ungẽdi, fricandi, luctaturi, discũ jacturi, aut tale quippiam facturi confluxerunt, notius est ferè, quàm ut hic dici debeat. Porrò exercitia simul & opera sunt, quæ post se se opus relinquunt: ut quum quis fodit,

Harpastum, pilâ, paganicâ maius est.

Gymnasiũ.

Exercitia & opera.

remigat, arat, vites putat, onus gestat, metit, equitat, armatus pugnat, iter facit, venatur, piscatur, & id genus alia, in vita, usus causa exercet. Est & vociferatio, thoracis, & vocalium instrumentorum exercitium. Venatio, principum & magnatum nobilium propria exercitatio esse solet, quam mirificis laudibus Xenophon extulit. Exercitiorum generibus gestatio quoque annumeratur, cujus quidem mirum modum Asclepiades exhibuit. Is enim, ut lib 26. cap. 3. Plinius author est, supra navicularũ, lecticarum, ac curruum vectationem, lectum pensilem excogitavit, cujus jactatu aut morbos extenuare, aut somnos allicere conabatur. Atque hæc ferè fuere apud veteres, quãtum è Galeni scriptis colligi potest, exercitiorum genera illustriora, è quibus nonnulla usque ad nostra tempora durarunt. Differunt autem inter se, quòd quædam sunt velocia, in quibus scilicet est movendi celeritas: quædam tarda, in quibus est movendi tarditas: quædam valentia, vel, ut Græci vocant, εὔτονα, quæ nimirum violenter robustéve citrà velocitatem fiunt: alia imbecillia, quæ jam dictis planè contraria sunt: alia vehementia, Græcis σφοδρά vocata, quæ violenter & cum celeritate exercentur: alia lenia, mitiáve, iis contraria. Exempla singulorum refert Galenus libr. secundo de Tuen. valet. cap. 11. ad quem locum, ne in immensum excrescat caput, lectorem ablegamus.

Vociferatio. *Gestatio.* *Lectus pensilis Asclepiadis.* *Differentia exercitiorũ.* *Velox.* *Tardum.* *Valentia.* *Imbecillia.* *Vehementia.* *Lenia.*

QUIS SIT EXERCITIORUM *usus.* Cap. II.

Exercitiorum sanè, qui sanitatis studio tenentur, præcipuam curam habere debent, quòd illorum, modò quis ipsis rectè utatur, maxima sit commoditas: ut contrà, temerè neglectorũ, summa incommoditas. Quod innuere volens Hippocrates dicit: ἄσκησις ὑγιείας, ἀοκνίη πόνων: Sanitatis studium

Ad sanitatis studium, plurimùm possunt exercitia.

dium est, impigrum esse ad labores. Et Galenus lib. 2. de sanit. Tuen. Sanitatis inquit, tutela, à labore auspicanda est. Libro præterea de boni & mali succi cibis: Ad sanitatem tuendam, ait, maximum quidem malum est, omnimoda corporis quies, perinde atq; maximum est bonū, motio mōderata, hoc est si corpora moderatè exerceantur. Tria verò potissimùm sunt commoda, quæ corpora per moderatas exercitationes consequuntur, nempe instrumētorum ex mutuo ipsorum attritu, durities, insiti caloris augmentum, & spiritûs citatior vehementiorque motus. Sequuntur verò hæc, reliqua etiam particulatim commoda. Instrumentorum quidem duritiem, tùm ut minus ex labore afficiantur, tùm ad actiones robur. Caloris autem augmentum, tùm deducendorum in corpus valida attractio, tùm immutatio magis expedita, tùm nutritio magis felix, tùm singularū corporis partium fusio. cujus beneficio solida mollescere, humida tenuari, meatusq; laxiores fieri accidit. At ob spiritus valentiorem impetum motúmve, expurgari meatus necesse est, & excrementa expelli. Privatim verò robustæ ac violentæ exercitationes, musculos & nervos validiores reddunt. Aliæ quoq; brachia, aliæ, spinam totam, aut pulmonē tantùm, aut thoracem tantùm, aliæ lumbos, aliæ crura magis exercēt. Quippe acrochirismi & sciamachiæ, brachiorum & manuum propria sunt exercitia. Rectas spinæ partes, magis exercent, qui depositis ante se altaribus, ulnæ intervallo, distantibus, posteà medii ipsi stātes, inclinant se atq; attollunt dextra quidem eum, qui ad sinistram jacet: sinistra, qui ad dextram; tùm rursum utrumq; in suum locum referunt. Transversas, qui hoc identidē deinceps faciunt, iisdem vestigiis insistētes. Thoracis verò & pulmonis, maximæ respirationes, propriæ exercitationes sunt. Vociferatio quoque suprà has additur, quæ vocis instrumenta promovet, adeoque asthmaticis, necnon nisi recta cervice spirantibus confert. Lumborū exercitatio est, assiduè se inclinare, ac rur-

Exercitiorū tria præcipua cōmoda.

Instrumentorū duritiei commoda.

Singularum partiū exercitationes.

Ex exercitiis universalia quædā, quædam particularia.

Vociferationis usus.

sus erigere, idque aut pondus aliquod à terra tollentes, aut assiduè in manibus sustinentes. Itatio autem cursusque, crurum exercitationes sunt. Cæterùm gestatio maximè iis, qui ex diuturno morbo convalescunt, & vires recolligunt, confert. Somnum item allicit gestatio, multisque aliis morbis, ut lib. 3. cap. 6. Aëtius monstrat, auxiliatur. Equitationis, quæ inter gestationis species numeratur, usus modicus est in ægrotis. Habet tamen aliquid utilitatis in valentib. Suprà enim alia exercitia, stomachum, & intestina, Celso lib. 4 cap. 19. teste, mirificè confirmat.

Gestationis usus.

Equitationis.

DE PRAEPARATIONE AD EXERcitationes. Cap. III.

Porrò cùm exercitatio ipsa prædicta commoda haùd præstet, nisi quis sese ad eas rectè præparet, & legitimo tempore eâdem utatur, principio, cur præparatione opus sit, & qualis hæc esse debeat, dicemus. Sciendum itaque, si quis protinùs ad valentiores motus exercitationesque accedat, priusquàm totum corpus molliatur, & excrementa extenuentur, & exigui meatus laxentur, metus est solidarum quampiam ruptum, aut convulsum iri. Timendum prætereà est ne excrementa spiritus impetu impulsa, prædictos meatus obturēt. Vt ergo hæc fiant, oportet linteolo totum corpus mediocriter fricando, prius calefacere, mox oleo fricare. Neque enim protinùs ad oleum accedendum, antè videlicet quàm cutis incaluerit, & meatus laxentur. Ei rei satis omnino sunt pauci manuū circumactus, qui nullo compressu sint graves, mediocriter celeres, huc demum directi, ut corpus citrà compressum calefaciant. Siquidem peractis iis cernere licebit floridū ruborem per totam diffundi cutem. Tum igitur oleum inducendum, & nudis manibus quæ medium inter mollem durumq; modum servant, infricandum. In præparato-

Corpus ante exercitationes ab excrementis vacuandum.

Præparatoria frictio.

paratoria namq; ante exercitationem frictione, quæ huc spectat, ut corpus molliat, mollis, duræque, mediam qualitatem, dominari oportet. Quod ut rectiùs intelligatur, animadvertendum triplicem esse frictionem, duram, mollem, & mediocrem. Dura est, quæ corpus cogit atq; constringit. Mollis, quæ idem laxat, & solvit. Mediocris, quæ in qualitate carnem nō alterat, sed planè duræ ac mollis medium modū, servat. Id quod Hippocr. lib. 3. κατ' ἰατρεῖον, hoc est, de medici officio, textu 26. verbis significavit: Dura frictione, ait, corpus ligatur: molli verò solvitur. Ligare enim Hippocrati idem, quod coactum reddere ac constringere: quemadmodum solvere, molle reddere, & laxare denotat. Harum certè frictionum quævis trifariam dicitur. Est enim dura pauca, multa, mediocris. Mollis pauca, multa, mediocris. Mediocris pauca, multa, mediocris: ut sint in universum frictionis differentiæ novem. Multa verò frictio extenuat, ac minuit. Pauca, nec auget, nec minuit carnem, nec omninò quid evidens efficit, sed parùm duntaxat calefacit. Mediocris, augendi vim obtinet. Proinde quæ suprà modum exoluta sunt corpora, frictione dura: quæ cōtrà adstricta, molli, fricanda sunt. Si verò æqualiter habeant, palàm est, quòd neq; molliter, neq; durè, sed quantum ejus fieri potest, utroq; excessu vitato. Atqui de exquisita ratione frictionis nemo Galen. l. 2. de Tuenda sanitate, diligentius scripsit: ut igitur illum accuratò studio legant, medicinæ initiatos hortor. Etsi autē frictio desuetudine abolita est, tamen veteribus, senib. potissimùm, & qui sedentariam vitam degebāt, usitatissima fuit. Maximam verò quū afferat utilitatem, optandū utiq; esset, ut in nostros usus revocari posset. Cæterùm qui exquisitam hanc, quæ per frictiones fit, præparandi rationē usurpare recusant, id quod Germanis solēne est, ii id saltē præstare debent, ut ante exercitia universum corpus, singulasq; ejusdē partes, eas præsertim, quę vacuandis supervacuis destinatæ sunt, ab excremētis repurgent:

Frictionis differentiæ. Dura. Mollis. Mediocris.

Ligare. Solvere.

Multa. Pauca.

Mediocris.

Galenus de Tuenda sanit. accuratè legendus.

ita enim cavebunt ne excrementa, spiritus impetu impulsa, cutis meatus obturent, aut ab internis in omnes animalis partes rapiantur. Sed de præparatione ad exercitationes satis.

DE TEMPORE EXERCITAtionis Cap. IV.

Tempus exercitii.

SI quis exercitationis commoda consequi velit, huic necesse est, ut ea legitimo utatur tempore. Nam cùm distributionē in corpus adjuvet, non debet quando administratur, crudorum & nō coctorum aut ciborū, aut humorum multitudo, vel in venis, vel in vasis contineri. Periculum enim est, ne priusquàm per maturam concoctionem utiles fiant, in omnes animalis partes rapiantur. Quoniam verò exiguos meatus expurgat, & excrementa expellit, utilius ac melius est, ut ante cibos adhibeantur motus. Nam si à cibo corpus labore exagites, crudis omninò implebis humoribus. Distribuitur enim tum cibus, ex ventriculo antequam concoquatur. Non est etiam exercitatio adeunda, nisi expulsis priùs excrementis, quæ vel in vesica vel inferiore alvo continentur. Verendum namq; est, ne quid ex iis in habitum corporis, vi caloris, qui per exercitationem accenditur, rapiatur. Igitur ad exercitationem optimū tempus est, quum hesternus cibus fuerit tùm in ventriculo, tùm in vasis perfectè concoctus, ac probè elaboratus, atq; jam denuò cibandi tēpus institerit. Quòd si verò aut prius, aut posterius exercitatione usus fueris, aut crudis humoribus corpus impleveris, aut flavę bilis proventum in eo auxeris. Quare Germanorum nostrorum scholasticorum mos reprehensione dignissimus est, qui nunquam se nisi statim à cibo sumpto exercitare solent, aut salientes, aut currentes, aut pilam excutientes, aut discum projicientes, & id genus alia exercitia obeuntes. Vt nihil mirum sit, cùm hac ratione

Scholasticorum Germanorum mos reprehensus.

tione magnam crudorum humorũ copiam accumulent, illos perpetua ſcabie, aliisq; morbis, è vitioſis humoribus natis, conflictari. Idem enim illis accidit, quod evenire ſolet iis, qui in cacochymia & humorum vitio ſe exercitant. Nam & iis ad cutem evocatur malorum humorum copia, unde ulcera & ſcabies procreantur, juxta illud Hippocratis: Si impurgatus laboraverit, ulcera erumpent. Præſtaret itaque eos non vulgi opinionem, ſed medicorum potius præcepta, & divini Hippocratis conſilium, veluti oraculum quoddã ſequi ac obſervare, qui in Epidemiis ita ſcriptum reliquit: Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, id eſt, labores cibos antecedant oportet: per labores non niſi exercitia intelligens. Sed ſanitatis tutelam à labore eſſe auſpicandam, quem excipere debent cibus, potio, deinde ſomnus, mox Venus, in iis videlicet, quibus Venere eſt utendum, eodem etiam in libro ſignificavit his verbis: Labor, cibus, potio, ſomnus, Venus, omnia mediocria. Quibus certè verbis non ſolũ tempus, ipſo nimirum ſermonis ordine, ſed & modum ipſum, addito ad finẽ dictionis epitheto, mediocria, definivit, de quo ſequẽti mox capite dicemus. Vt autem corporis, ita quoque animi exercitia tempeſtiva eſſe debent. Intempeſtiva enim ſtudia incredibiliter valetudinem frangunt, ac labefactant. Aurora itaq; ſtudiis amica eſt, & horæ antemeridianæ omnes, & ex pomeridianis tres, aut ſummum quatuor, quę cœnam antecedunt, ſeriis ſtudiis dandæ ſunt. Qui nocturnis lucubrationib. impalleſcunt, ac ſe macerant, ii & corporis, & ingenii vires brevi enervant.

6. Epide. ſectio. 5. Aphor. 33.

6. Epidem. ſectio. 4. Aphor. ult.

Sectio. 6. Aphor. 5.

Studiorum tempus.

QVAE EXERCITATIONIS menſura. Cap. V.

EXercitationi eſſe adhibendam menſuram, ex paulò antè citata Hippocratis ſententia ſatis abundè conſtat. Quantiſper autem ſit exercitandum, Galenus in fine libri de Tuenda valetudine,

Quantiſper exercitandũ quatuor notis cognoſcitur.

quatuor notis posse cognosci docet, dum ita scribit: Exercitetur homo dum & corpus intumescit, & color illi floridus apparet, & motus promptè, æquabiliter, & concinnè edit, ac sudor cum calido vapore mistus, manare cernitur. Inhibenda verò exercitatio tum primùm est, quum aliquid horum immutatum fuerit. Quippe si contractior paulò corporis moles videbitur, desistendum ilicò est. Si enim ultrà quis pergat, etiam boni succi nonnihil educetur, atque ita tùm gracilius corpus fiet, tùm aridius, atque ad incrementum minus habile. Non minus profectò & si coloris gratia evanescat, cessandum est: quando si exercitationem continues, frigidum corpus efficies, & nimiùm exhauries. Iam motuum alacritas, æquabilitas, vel concinnitas quamprimum remitti, collabiq; cernitur, utique statim desinere conveniet. Itidem si in sudore accidat ulla qualitatis ejus, quantitatísve mutatio. Quippe quem & copiosum magis, & magis incalentem edi par est, prout motibus vehemētiæ, plus accesserit. Quum igitur is aut minor intelligitur, aut frigidior, tum scias discuti, exhauririq; corpus: præterea refrigerari, & plus justo siccari. Quò magis solicitè attendendum exercitando corpori est, ut quum dictarum jam notarum quælibet apparet, protinùs cessetur. Sudorem verò & tumorem corporis, inter exercitandum præcipuè esse consideranda, Hippocrates etiā in Epidemiis iis hortatur verbis: In exercitationibus signum extenuationis est sudor guttatim emanans, quique tanquam à rivulis egreditur: aut à tumore contractio. Qua sanè sententia Hippocrates duo potiora inhibendæ exercitationis signa memorat, nempe sudorē, & molis corporis contractionem. De quibus quum multa in hujus sententiæ enarratione dixerimus, non est cur hîc eadem, legentium magno fastidio repetenda sint.

Inhibendæ exercitationis notæ. 1 2 3 4

6. Epide. sect. 3. Aphor. 4.

DE

DE APOTHERAPIA. Cap. VI.

AB exercitatione, quod veteres studiosè obseruarunt, apotherapia vocata vtendum erit. Sic autem Galen. & alij veteres, omnis exercitationis probè peractæ, postremã partem nominaverunt. Hæc verò duplici consilio suscipitur: nempe ut excrementa expurget, & ut corpus à lassitudine tutum reddat. Prior causa etiam exercitationi communis est, siquidem huius quoque duplex omnino, (ut diximus) propositum est, nimirum ut solidas animalis partes firmet, & excrementa expurget. Proprius tamen apotherapiæ scopus est, ut lassitudinem, quæ immodico exercitio succedit plerumq;, submoveat, atque prohibeat. Quamquam autem, qui tantùm bonæ valetudinis causa exercentur, iis nec necessum, nec utile planè est immodicos labores subire, adeoq; nullus etiã lassitudinis metus hic instat: nihilo feciùs tamen iidem apotherapia utentur, etsi nullo lassitudinis timore, at certè excrementorum purgandorum causa. Tutissimum itaque est apotherapia semper uti. Quæ autem qualisq; adhibenda sit, ipsa finium, ad quos tendimus, demonstrabit natura. Nam quoniam id petimus, ut solidarum animalis partium excrementa, quæcumque excalefacta, extenuataq; per exercitationem in corpore adhuc manent, prorsus ejiciantur, & frictiones, quæ per alios administrẽtur, 1 adhiberi oportebit, & cum iis unà tùm ipsarum, quæ 2 fricantur, partium tensionem, tùm etiam spiritus cohibitionem. 3 At quoniam nec frictionum unica ratio est, nec spiritus cohibendi, ubiq; similis ratio deligendum ex utroque genere, quod utilissimum est. At ex frictionibus quidem, eam quæ dura est cogere corpora, hoc est, densiora simul dnrioraq; reddere, iam suprà docuimus. Itaque hæc ad apotherapiam parum est accommodata, siquidem quod densatur, intrà se claudit fæces, quod laxum verò est, liberum excrementis exitum præbet. Ad eundem modũ quod

Apotherapia quid.

Apotherapia cur suscipitur.

1. apotherapias commoditas.

Tria ad apotherapiã necessaria.

durat, iis quæ tensa sunt, maximè est adversum, ut quod eorum affectum, magis adauget. Contrà quod mollit, id est utilissimum. Si igitur simul & excremēta discuti, & quæ tensa sunt, molliri convenit, duræ certè frictiones omninò sunt fugiendæ, nec iis minùs à lentis cavendum. Nam postquàm à se corpus non amplius commovetur, periculum est, ne frigescat ac densescat, dum nulla ope externa calefit. Hac igitur de causa, non solùm cum celeritate est fricandum, sed etiam quoad fieri potest, plurium manibus, quò nulla corporis pars nuda maneat. Propterea nec tardam esse frictionem oportet, nec duram, oleum nimirum fricando corpori largiter circumfundi debebit: id enim ad velocitatem simul & mollitiem frictionis multùm conducet: & talis quidem frictio velox etiam, aliud secum non mediocre commodum affert: quando & quæ tensa sunt remittat, & quæ inter vehementiùs laborandum fatigata sunt emolliat. Atque iis quidem de causis, dura vitanda est frictio. Ob alias verò mollis: quippe ea nec altè dimittitur, sed circà cutem ipsam, & ei vicinas carnes desinit, nec ea quæ in angustis meatibus contenta sunt, excrementa elicit. Cuius profectò causa, tùm ipsam fricandarum partium tensionem, tùm spiritus cohibitionem iniungimus. Media igitur inter mollem & duram frictio mediocris, ab utriusq; extremæ incōmodo abest & mollis inefficacia, & duræ violentia noxaq;. Ea verò perficietur fricantis quidem manibus valenter iniectis, ita ut earum impressio, ad duram frictionem proximè accedat, cæterùm pinguitudinis copia, & velocitate movendi, eatenùs remissis, ut planè evadat mediocris. Nam & pinguitudo ipsa, valentioris contractionis non leve præsidium est, & brevitas ipsa contactus, tantum demit de violentia, quantum etiam de tempore. Porrò tendendæ obiter, dum fricantur partes sunt, quo quicquid inter cutem & subiectam illi carnem excrementorum residet, per cutē expellatur. Quippe ambabus iis laxis, non magis fo-

Apotherapiæ frictio qualis esse debeat.

Mediocris frictio ut perficienda.

Cur tendendæ partes in apotherapia.

ràs

ràs, quàm intrò ferri excrementa continget. Distentis verò iis, quæ sub cute sunt, omnia foràs eliduntur, ceù gemina manu expressa, una foris, eius utiq; qui fricat, altera intùs, ipsis scilicet quæ tenduntur particulis, manus vicem supplētibus. At propter hæc quidem excrementa, non exigua portio apotherapiæ est spiritus detentio, & cohibitio. Appellant verò ita, ubi omnibus thoracis musculis, (qui circà costas habentur,) intentis coactisq; expirationem cōtinemus. Accidit namq; tunc, ut spiritus, qui à costis premitur, dū efflari per larynga prohibetur, universus pesùm ad transversum septum detur, atq; ut cum hoc quæ ipsi subsunt omnia, simul attollantur, iecur, lien, ventriculus, & quædam alia. Oportebit autem interim musculos, quæ in abdomine sunt, leviter contrahere, ut ab iis unà cum septo, ceu gemina manu pressis quæ intersunt partibus, excrementum, si quod intrà se habent, foràs elidatur. Sed de apotherapia, quod ad institutum nostrum pertinet, satis multa. Neq; enim hodie observatur, & Galenus qualis hæc esse debeat, in tertio de Tuenda valetudine libro, copiosissimè docet. Ad eum itaq; locum, qui plura de spiritus cohibitione scire vult, ablegamus.

Spiritus cohibitionis utilitas maxima.

DE QVIETE ET OTIO.
Cap. VII.

Quemadmodum exercitium commodè, ac suo tempore administratum, ád tuendam sanitatem plurimùm momēti habet, ita quies immodica & perpetua, non solùm corporis, sed & animi vigorem obtundit. Quod enim ad corporis rationem attinet, quietē & otium immodicum cruditatem parere, & vitiosorum humorum copiā, constat. Nam ut per exercitium calor innatus augetur, adeoq; ciborum concoctio fit expeditior: ita per otiū extinguitur, & ciborum concoctio impeditur. Hinc est, quòd Galenus cap. 3. libri de Morborum causis, rectissimè otiū inter frigidorū morborum causas re-

Ocij immodici incōmoda.

censet. Et inter Poëtas certè Ovidium haud latuit, otia plurimùm bonæ valetudini obesse, qui in primo de Ponto ita cecinit:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ?

Cùm itaq; otium sanitati non parùm officiat, ideò natura movendi studium nobis adhuc pueris inservit, ut quamvis ea in ætate constituti, occlusi circumseptiq; simus parietibus domus, discurrimus tamen, & brutorum more lascivimus. Qui igitur sanitatis studio tenetur, is otium immodicũ, tamquam ipsissimam pestem, fugiat. Est autem non solùm hoc nomine otium immodicum detestandum, quòd sanitati plurimum officiat, sed & quòd animi torporem inducit. Id quod inter Poëtas Ovidius iis versibus pulcrè indicavit, inquiens:

5. Trist. Eleg. 12.

Adde quòd ingenium longâ rubigine læsum
Torpet, & est multò quàm fuit antè minus.
Fertilis aßiduo si non renovetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen habebit ager.
Tempore qui longo steterit, malè curret, & inter
Carceribus missos ultimus ibit equus.
Vertitur in teneram cariem, rimisq; dehiscit,
Si qua diû solitis cymba vacabit aquis.

Proinde quùm immodicum otium & corpus & animum depravet, prudentissimè Draconem, celebrem apud Athenas legumlatorem, fecisse fateamur oportet, quòd eos, qui otii damnati forent, capite mulctandos censuerit. Neq; enim talium hominum usus aliquis, in republica esse potest: ut quibus pulchrum est in medios, ut ille dixit, dormire dies, nec aliud illorum studium est, nisi ut edant, bibant, dormiant, & fruges consumant. Accedit quòd variam semper, ut præclarè Lucanus dixit, Dant otia mentem. Quapropter ad quævis perpetranda flagitia, dediti otio proni sunt. Vt nõ temerè Ovid. ita cecinerit.

Lib. 1. de Remedio amoris.

Quæritur, Aegysthus quare sit factus adulter?
In promptû causa est, desidiosus erat.

Hinc

Hinc illa fuit olim Areopagitarum etiam functio, ut unde quis se aleret accuratè scrutarentur, & desides ac sedentarios, non citrà mulctam transmitterent.

Verùm habet etiam ocium mediocre, suoq; tempore usurpatum sua commoda. Nam si quis ex multa motione corpus defatigavit, huic otio & quiete utendum erit: de Hippocratis etiam sententia, qui ita in Aphorismis scriptum reliquit: In omni corporis motu quùm fatigari quispiam cœperit, quies confestim lassitudinis remedium est. Notum etiam hoc est Ovidii, *Otij mediocris cōmoda.* *2. Apho. 48.*

Quod caret alterna requie, durabile non est: *4. Epist.*
Hæc reparat vires, fessaq; membra novat.

Animo denique curis & studiis fesso, sua relaxatione, ac remissione opus est. Quam nisi concedas, non est, cur diu vigorem eius cōservare possis. Vt rectissimè dixerit Ovidius:

Otia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis: *1. de Ponto.*
Immodicus contrà carpit utrumq; labor.

DE SOMNO ET VIGILIA. SECTIO IV.

QVID SOMNVS, ET QVAE eiusdem causa. Cap. I.



SOMNVS naturalis (de eo enim hìc agitur) ut lib. 1. de Symptomatum causis, testis est Galenus, nihil aliud, est, quàm animalium facultatū quies. Nec temerè dictum est, Animaliū: quippe facultates naturales ac vitales in somno haud quiescunt. Hinc concoctiones in somno magis perficiuntur, cordisq; motus validior est. Aristoteles in libro de Somno, impotentiam sensuum, somnum esse definit, quod in idem recidit. Impotentiam autem non omnimodā sensus amissionem, sed difficilem tantùm sensum, huiusque *Somnus quid?* *Facultates naturales & vitales in sōno agunt potentißimè.*

exercitationem appellamus. Siquidem non sensus expertes penitùs sunt dormientes, ut Galen. etiam lib.2. de Motu musculorum testatur, sed difficulter sentientes. Nam illi interdum loquuntur, moventur, ambulant, equitant, imaginantur, aliasque animales & voluntarias actiones exercent. Quies igitur harum actionum, in somno non est perfecta cessatio, sed quasi intermissio vigoris quædam. Immobilitatem igitur, ac impotentiam sensuum, somnum esse Aristot. dixit, quòd neque visus colores, nec sonos auditus, nec odores olfactus, nec sapores odoratus, nec tangibiles qualitates tactus, toto hoc tempore, quo somno sopiti & oppressi sumus, discernere queunt, ut non immeritò vincti tunc esse sensus omnes, & ad obeundas functiones impotentes videantur, & dicantur. Nec aliter Paulus Aegineta lib. 1. cap. 97. somnum describit, quùm illum facultatum animaliũ esse quietem scribit, ab utili humore, cerebrum madefaciente, provenientem. Causam tamen unam somni explicat, nempe cerebrum. Quando enim utiles vapores, ex alimento mediocri sursum feruntur, atq; in cerebrum exhalant, tùm à cerebri frigiditate, in humores coacti, & liquescentes, suaviterque defluentes, meatus sensuum & nervorum obstruunt, somnumque accersunt. Non est tamen ut cum Aristot. lib. 2. de Partibus animal. cap. 7. cerebrum actû frigidum putemus: fieri enim non potest, ut ulla interna corporis pars, etsi aliarum collatione partium frigida est, in vivente corpore actû frigida sit. In somno autem necessariò animalis facultas à suis muniis quiescit: Quippe per somnum, animalium spirituum, ab instrumentis sensus, & motus, ad suum principium fit regressus, ideoque ut tunc facultas animalis quiescat, est necesse. Vnde liquidò constat, cerebrum esse somni causam aut potius subiectum, quòd eo per vaporum delationẽ occupato, facultas sensifica membris tum mitti desinat, & dormire statim animal cogatur. Hinc est, quòd spirituosa omnia, & quæ vapo-

Animales functiones per somnum sese exerunt.

Aeginetæ definitio.

Causa somni.

Somni generatio.

Cerebrum nõ est actu frigidum.

rea

tem ex se multum fundere possunt, ut vinum, lac, & quæcunque humectant, aut insigniter refrigerant, somnum concilient. Huic rei fidem quoque facit, quòd ferè numquam magis nos, quàm statim à sumpto cibo, quùm plurimi vapores, ad cerebrum feruntur, somnus infestet. Atque hæc quidem de somni ratione, & eiùs causa; medicorum est constans sententia, nempe quòd is ex benigna quadam utilique cibi exhalatione, sursum lata, cerebrumque imbuente ac opplente aliquantum fiat. Cui quidem sententiæ Arist. quoque subscribit, ubi caput ad impletum, somnum afferre tradit. Nam cap. 3. libri de Somno & vigilia; disertè scribit; somnum maximè post cibum fieri; quòd tum copiosus humor & vapor potissimũ sursum commeet. Qui quùm consistit, caput aggravat, & dormiscere facit. Atque hactenus Aristoteles; cum medicis sentit. Dissentit autem ab iisdem, ubi definitionem somni enarrans, cor primum esse sensorium statuit, atque idem somni esse causam affirmat: Quàm falsa verò hæc sit sententia, & quàm à veritate abhorreat, hinc abundè liquet. Neque enim somnus fit, impedito aut cessante corde, à motione sua pulsatili, cùm omnibus constet, in somno, utpote nativo calore tùm ad interiora revocato, motũ cordis esse validiorem, tantùm abest, ut tum quiescere illud dicamus. Proinde quùm cor in somno non sit impeditum, nec in eo cesset ipsius actio, fieri non potest, ut cum Aristot. somnum esse cordis, quod ipse πρῶτον αἰσθητικόν, id est, primum sensorium appellavit, quietem esse dicamus. Non parum verò errat Aristot. etiam in eo, quod cor esse primum sensoriũ affirmat. Siquidem sectio ipsa, & ocularis inspectio abundè docent, cerebrum, non cor, esse primum sensorium. Quippe nervi, sensus, & motus instrumenta, à cerebro, non à corde oriuntur. Vt mirari subeat, hodie etiam reperiri, qui frivolis nulliusque momenti rationibus, & argutiis, falsum hoc Aristot. dogma tueri studeant. Sed iis præteritis ac contemptis, verũ

Somnum conciliantia omnia spirituosa.

Arist. non rectè cor somni causam esse statuit.

Cor non est primum sensorium, nervi quippe non à corde, sed à cerebro.

& rationi consentaneum potius dogma sectemur, Galeni & Hippocratis Cerebro id muneris tribuentium.

QVAE SOMNI COMMODA.
Cap. II.

Nulla actio esse potest perpetua.

CVm Arist. etiã testimonio ἀδύνατον ἀεὶ ἐνεργεῖν, hoc est, ut semper agamus fieri non possit, liquet somnum, animantibus, ingentium utilitatum causa, concessum esse. Siquidem quùm diurnis assiduisque laboribus, ac motibus defatigata nostra corpora (multa namque eorundem partium substantiæ per labores dissolutio) virium resolutionem sentiunt, admirabili ac summa Dei providentia factũ est, ut somno, ceu salutari laborum, viriumque collapsarum remedio, ac instauratione nos uti voluerit. Hinc tot eius apud Poëtas, extant encomia, è quibus hoc est Virgilii:

Fessos sopor irrigat artus.

Et illud Ovidii:

Somne quies rerum, placidissime somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasq; labori.

Somnus mediocris quid conferat.

Sed ex medicorum placitis, quæ somni sint commoda, audire præstat. Confert autem initio, qui mediocris est. Iuxtà id Hippocratis: Labor, cibus, potio, somnus, venus, omnia mediocria. Is enim, ut libro primo, de Symptom. causis. cap 9. attestatur Galenus, cibum optimè concoquit, quòd toto hoc tempore, quo quis dormit, animalis facultas, (ut dictum est,) quiescit, naturalis verò validiùs agit, quàm in vigilantibus. Quocirca tum ciborum concoctio fit optima. Concoquit autem non solùm cibos, sed & humores benignos, morbidos, animi ęgritudines, oblivione delet, mentis insaniam corrigit. Cæterùm per somnum cibos optimè confici, non solùm in ventriculo, verũ etiam in totius corporis habitu, Hippocrates in Epid. brevissima, pro antiquo more, sententia

6. Epid. par. 5. Aph. 10.

indi-

indicavit, inquiens: Labor articulis, & carnibus, cibus verò & somnus visceribus. Præterea optimam cibi cōcoctionem per somnum fieri, hinc certissimè colligitur, quòd virium roburà somno mirificè auctum, in universum ferè omnes noverunt. Quippe à somno experrecti, robustiores, & ad quidvis agendū aptiores nos esse animadvertimus, familiari utiq; alimēto nobis apposito, succoq; altrici toto corporis nostri habitu perfuso. Vt hinc etiam palàm fiat, somnū esse cunctis animalibus necessariū, illumq; ad incolumitatem, salutem, & quietem datum, utpote sine quo vires corporis durare, & sufficere corpori non possunt. Vt rectissimè ille dixerit: Quod caret alterna requie, durabile non est. Somnus igitur id præstat, ut & vires roboret omnes, & corpus reficiat, concoctionesq; confirmet, ac meliores efficiat. Ad hæc internas corporis partes humectat, visceribusque, ut functionibus suis obeundis sufficiant, & ad omnia naturæ opera expediunda prompta sint, plurimū confert. Senibus verò adeò conducit, ut nihil ferè aliud æquè senectutis siccitatē, ac duritiem humectet, deperditamq; in ipsis humidam substantiam, magis reparet, ac emolliat. Vnde illud Homeri à Galeno lib. 5. de Sanit. cap. 3. ex Odysseæ ultimo citatum:

Somnus roborat vires.

Somnus inprimis cōfert & convenit senibus.

Vt lavit, sumpsitq; cibum, det membra sopori,
Namq; hæc senibus iusta.

Porrò ut somnus mediocris, sua, quæ iam retulimus, commoda habet: ita immodicus præter alia incommoda, hāc potissimùm noxam affert, quòd ne excrementa opportunè expellantur, adeoq; iustò longius in corpore detineantur, dum efficit, cruditatibus omnia adimplet. Proinde ii, qui in magnam partem diei stertunt, & ferè dormiendo, cū gliribus certāt, rarò ad iustam senectutem perveniunt, quòd hac ratione, magnam excrementorum copiam non solùm in cerebro, verùm etiam in aliis corporis partibus accumulent, & coacervent. Quantisper verò sit dormiendum, ex alimentorū perfectâ concoctione æstimatur.

Somni immodici incommoda.

Quantisper dormiendū.

Ea autem rursus, ex ventris contractione, & urina deprehenditur. Quæ enim urina, aquę speciem profert, crudum adhuc in venis succum esse indicat eum, qui à ventre submittitur. Quæ rufa & biliosa, iam dudū concoctum esse huiusmodi succum, portendit. Quæ modicè pallet, peractæ modò secundæ concoctionis est signum. Imperfectæ verò concoctionis, ut sect. 6. Aphorism. Comment. 1. Galenus attestatur; acidus ructus certum indicium est. Vt hinc perspicuum evadat, à somno desistendum esse, ubi mediocriter rufa, aut mediocriter pallida urina est. Nec potest etiam omnium, una & eadem esse somni quantitas, quòd ii citius, illi tardius concoctionem perficiant. Magna tamen ex parte septem, octo, vel ad summum; Galen. lib. 6. de Tuend. vale. cap. 5. teste, novem horarū spatio, finitur ac circumscribitur somni tempus, & duratio. Fugiendus igitur omnino immodicus somnus erit, quòd, ut dictum est, excrementa detineat, caput gravet, multoque vapore impleat, partesque omnes ad motum pigriores reddat. Quapropter quivis curare debet, ne somno immodico deditus, bonam vitę partem perdat, & dormiendo plus satis excrementorum, in corpore copiam coacervādo, sexcentis morbis ansam præbeat.

Non est, una eademq; in singulis individuis, somni quantitas.

SOMNI TEMPVS QVOD.

Cap. III.

Tempus somni cōvenientissimum, est nocturnum, una, aut certè, duabus ad summum à cœna horis: Quippe nox, propter suam humiditatem, ac tranquillitatem, ad somnum est aptissima. Præterea satis temporis quoad absoluta fiat ciborum concoctio habet, ita ut somnum interrumpere, negociorum gratia noctu non sit necesse. Diurnus contrà, maximè non assuetis, & à meridie cubantibus nocentissimus, primùm quòd cerebrum nimia humiditate oppleat, quam potius vigiliis exiccantibus

Nocturnus somnus laudatur.

Diurnus noxius.

bus absumere ac dissipare tunc conveniret. Dein, quia tempus, quo quis interdiu dormit, ad perfectã concoctionem non sufficit. Hinc est, quòd diurno utentes somno meridie, excitati à somno, ob interruptam ante horam suam concoctionem, subinde acidos edant ructus, crebrò quoq; flatibus impleantur torqueanturque. Accedit, quòd somnus diurnus nimia humiditate cerebrum implens, capitis gravedines, aliosq; frigidos procreet morbos. Implet autem ideò humiditate caput, quòd, (ut dictum est,) nox, cerebrum abundè satis humectarit, ut non necesse sit illud per somnum interdiu denuò humectare, imò per vigilias potius desiccandum erit. Atque hinc est, quòd non temerè in præsagiis ita scriptum reliquerit Hipp. Interdiu vigilare, noctu verò dormire oportet. Vt autem somnum, à prandio arceamus, Aëtius lib. 9. cap. 39 deambulationibus indulgendum esse, & animi laxamẽta adhibenda suadet, nec ulla ratione diurnos somnos admittẽdos censet, nisi lassitudinis sensus adsit, aut præcedente nocte, quis nihil, aut parum admodum dormierit. His igitur de causis nocturnũ somnum nos amare, diurnum contrà fugere decet: brevissimus tamen somnus, qui calorem solum, colligit ab externis partibus, revocatque ad concoctionem alimenti obeundam, non nocet. Is enim quùm minimo temporis spatio duret, vaporibus caput replere nequit, interim vires recreat, & si quæ adfuit prius in capite & sensibus gravitas evanescit eadem. Introcedit enim non solùm calor, sed & humores qui gravitatem stupiditatemq; afferebant, dissipãtur ita. Dormiendum ergo à prandio, si nequit evitari somnus, minimum, aut plurimum. Minimum, ut calor solum colligatur, & vires recreentur ex negociis & vigiliis dissolutæ, residueq; torporem minitantes absumantur humiditates. Plurimùm, ut perficiatur cõcoctio. Is enim somnus qui eam inchoat, nec absolvit, illa parit incommoda, quæ paulo antè cõmemorata sunt. Sedente verò corpore captatus meridianus

Hippocrates quoq; diurnum somnum damnavit. 2. Præs. 11.

Somnus diurnus quando admittendus.

Diurnus somnus quis concedendus.

somnus, minus nocet, quàm decumbente, quòd ità facilior ascendenti vapori exitus præbeatur. Non autem statim à prandio, ut noctu etiam non confestim à cœna dormiendum est, sed expectandum donec cibus priùs probè misceatur, & in ventriculum descenderit: id quod aliquam moram, & motionem, qualis in levi deambulatione fit, postulat. Duabus tamen minimùm à cœnâ horis vigilandum est, priusquam nos quieti mandemus. Sed ut nocturni somni commodis uti liceat, necesse est, ne vesperi immodico ingesto cibo, ventriculum gravemus. Qui enim vesperi multum cibum ingerunt, ventriculumque huius copiâ insigniter onerant, ii noctu nec probè dormire, nec rectè concoquere possunt, quòd nimiâ copia facultas aggravetur, nimioque pondere assumptorum ciborum pressa, inquietudinem parit, somnumque interturbat. Nec huic sententiæ adversatur, quod Galen. lib. 7. Therap. method. cap 6. vesperi valentius alimentum esse dandum præcipit. Quippe aliud est dicere, valentius esse exhibendum alimentum, & aliud, plurimum cibum esse offerendum. Nam immodicus & plus iustò copiosior cibus, qui ingeritur, sive validus, sive imbecillus fuerit, perpetuò naturæ inimicus est, morbumque facit, iuxtà illud Hippocratis, Omne nimium, naturæ inimicum. Et iterum: Vbi plus cibi præter naturam ingestum est, morbum id facit, indicium autem est curatio. Quocirca immodici cibi sumptio, nec in prãdio, nec in cœnâ laudem ullam meretur, sed perpetuò, tãquam noxia damnatur. Mediocris verò cibus econtrà, utpote naturæ familiaris, & qui à facultate nullo negotio concoqui & perfectè vinci potest, quovis tempore sumptus, probatur. Mediocris verò est, qui uniuscuiusq; ventriculi facultatem minimè gravat. Vt mediocris, nullus dicatur cibus, nisi collatione ad ventriculi facultates. Valentiores autem cibos, & multum alimenti corpori præbentes, Galenus vesperi exhibendos esse rectè consulit, quòd huius administrationem non solùm somnus & quies, sed & longius, donec alius

Vesperi non multum cibi ingerendum esse.

Obiectionis solutio.

2. Aph. 51.
2. Aph. 17.

Mediocris cibus quis?

Valentior.

alius ingeratur cibus, tempus excipiat, ibidemque concoctio fiat perfectior. Sed & ii tamen ea ingerendi sunt copiâ, quæ facultatem haud gravet. Vt hinc palàm fiat, tàm in prandio, quàm in cœna mediocritatem esse servandam. Si verò mediocritas in assumendo cibo exceditur, præstat liberaliùs in cœnâ ingerere cibum, quàm prandio, iisdem de causis, quibus valentior hoc tempore sumitur cibus: qua de rè suprà etiam dictum fuit in 5. de cibo & potu. Multa enim sunt, quæ cœnæ concoctionem iuvant: noctis frigiditas, quæ, ut hyems, ventres calidiores reddit: somnus & quies, tùm animi, tùm corporis, quæ calorem & animam non distrahunt à functionibus naturæ, sed intùs circa confectionem alimentorum sinunt versari: deinde spacium temporis, quod multo maius est, quàm quod est inter prandium & cœnam: exceptis tamen iis, qui senes admodum sunt, & morbis, maximè nocturnis, & destillatione affligũtur. Liberaliùs dicimus noctu cibandũ esse, interim nõ immodicè: nolum⁹ enim patrocinari iis, qui hodie gulæ serviunt, & genio admodũ indulgent, quiq; vesperi, nullo non ciborũ & potuum genere se infarciunt, ac grandissimis poculis viscera ac ventrẽ distendunt. Id enim non est liberalius cœnare, sed cibum ac potum affatim & supra modũ belluarũ ad instar ingerere. Vt igitur in elargiẽda pecunia prodigalitas dãnatur, cõtrà laudatur liberalitas: ita quoq; liberalitas in sumẽdo cibo, haud immoderatio, nunc à nobis probatur. Quòd aũt plerosq;, cœna magis, quã prandiũ gravat, partim propter cõsuetudinẽ accidit, qua solemus liberaliùs prandere, partim propter prandii reliquias crudas, quæ cœnam corrũpunt, & evidentius manè sentiuntur, partim etiam quòd vapores, noctu plures ad caput ferantur, & minùs discutiantur: ideoq; qui morbis nocturnis, ut diximus, laborãt, & destillationibus capitis affliguntur, liberaliorem cœnam ferre nequeũt omninò. Galenus tamen vetusto more, quũ priscis & prandium, & cœna, eâdem perpetuò hora, tùm æstate, tùm hyeme pararetur, quòd illi diẽ, qui-

An cœna prandio liberalior esse debeat.

Cur cœna magis quàm prandiũ nos aggravet.

cunq; fuiſſet, aut æſtivus, aut hybernus, in duodecim horas dividentes, tertia prandebant, nona verò cœnabant, cœnam prandio maiorem fore conſuluit: quòd tunc interſtitii tantùm à cœna ad ſomnum interceſſerit, ut vapores, à copioſiore ingeſto cibo elati, ad cerebrum diſcutiantur atq; difflentur: id enim quatuor horarum ſpacium fuerit, quod ventriculo ad concoctionem ingeſti cibi adſcribitur. Liberalius igitur copioſiùsq; veteres cœnabant, haud verìti vapores, qui à largiore cœna efferuntur ad cerebrum, quùm iam diſcuſſi fuiſſent, antequam dormiendi inſtaret neceſſitas. Actuarius autem, ut qui morem hodiernum in exhibendo ſervabat, in quo per horam, aut duabus maximè horis, à ſomno abſtinemus, minorem prandio, cœnam eſſe voluit, quòd ob ſomnũ imminentem caput multis vaporibus repleatur, ac ſpiritus animalis lædatur. Sed ea de re ſatis dictum etiam anteà.

Actuarii opinio.

QVAE SIT CONVENIENS *in ſomno forma decubitus.*

Cap. IV.

Legitima forma decubitus.

IN ſomno capeſſendo, legitima decubitus forma obſervanda ſtudioſiſſimè. Ea verò eſt, ſi primùm in dextrum latus fiat: ita enim cibus, promptiùs, per ſtomachum, gulámve, in ventriculum deſcendit. Nam etſi gula exactè ſuprà mediam cervicis vertebrarum; & quatuor primarum thoracis ſedem, in neutram partem inclinet, ad principium tamẽ quintę thoracis vertebræ, ut ampliori magnę arterię trunco, ſecundum dorſi vertebras inferiora corpora petenti cedat, nonnihil in dextrum latus; à media vertebrarũ regione abſcedit. Vbi autem probè iam deſcendiſſe cibum coniecerimus, in ſiniſtrum latus decumbendum erit: ita namque à iecore, ventriculo magis incumbente, ventriculi calor augebitur, eiusq; concoctio adiuvabitur plurimùm. Eſt etiam grata iſta late-

Gulæ ſitus in corpore humano.

rum

rum vicissitudo, quòd unum latus, non sufficiat tanto totius corpori oneri, diu sustinendo. Fatigationē itaque non parum levat, ab uno in alterum latus, per vices decubitus. Supinus autem decubitus, in universum damnatur ab omnibus, quòd gravissimorum morborum incubi, apoplexiæ, stuporis, resolutionis nervorum, & id genus aliorum affectuum plurimorum occasio & calva efficiēs sit. Nam quùm in eo defluxus ad posteriora corporis, adeoq; nervorum exortum fiat, facilè illic obstructionem nasci posse, omnibus perspicuum evadit. Accedit, quòd in eo decubitu nequeat planè, iusta per oculos, nares, & palatum excrementorum cerebri fieri expulsio. Pronus denique decubitus in iis maximè damnandus venit, qui oculorum defluxione laborant. Siquidem in eo corporis statu supervacua capitis promptissimè ad oculos decumbunt. Atque hæc, quæ hactenus de somno diximus, in sanis maximè observanda & consideranda veniunt.

Supinus decubitus, quot, & quanta mala invehat.

Pronus decubitus.

SOMNI RATIO IN AEGRIS quæ. Cap. V.

IN ęgrotantibus, quod ad somni rationem attinet, initiò, diligenter à medico expendendum erit, Vtrùm illi à somno meliùs, aut peiùs se habeant. Cuius rei rationem Hippocrates in Aphorismis ita scribens, reddit: In quo enim morbo somnus laborē affert, letale est. In quo autē somnus iuvat (delirium exempli gratiâ, sedat) letale non est. Laborem autē hoc loco significare noxam, notiùs ferè est, quàm ut pluribus dici debeat. Si itaq; somnus lædit, indicio est, calorem nativum esse imbecillum, nec causas morbum efficientes illum posse superare. Contrà ubi iuvat, noxios humores probè concoqui, per somnum significat. Vtcunq; autem somnus ægrotantes iuvet, tamen non est omnibus, ex æquo, nec quovis tempore, illis concedendus. Si enim viscerum in-

Somnus iuvet, an lædat ægros, considerandum.

2. Aphor. 1.

Somnus non semper concedendus ægrotantibus.

Somnus in principio phlegmonum obest.
6. Epidem. sectio 5. Aph. 19.

teriorum aliquod phlegmone laborare cœperit, somno nihil ægris magis noxiũ esse potest. Nam quùm per somnum, ut Hippocratis testimonio cõfirmatum à nobis fuit antea, sanguis interiora petat, cavendum unicè erit, ne inter initia phlegmones, sanguine, ad laborantem locum adhuc confluente, somnum ægris permittamus, ne increscat phlegmone, quo nihil è re ægrotantis magis esse potest. Arcendi itaque, quoad fieri potest, in principio phlegmones viscerũ, quùm adhuc sanguis supervacuus ad laborantem locum confluit, à somno ægri sunt, & ad vigilias potius trãsferendi, ut scilicet sanguinis ad interiora confluxus, adeoq; phlegmones incrementum, prohibeatur. Pari ratione inter initia pestiferi morbi, somnus unicè fugiendus erit, utpote in quo, cum sanguine, vis venenata ad cor & interiora corporis defertur. Sic superioribus annis, quùm febris sudorifica, quam Anglicum sudorem nominarunt, Germaniam invasisset, experientiâ comprobavit, ei generi febris, somno nihil fuisse nocentius. Cavendum denique diligenter erit, ne in principiis accessionum, ægris somnum permittat medicus. Nam cùm hoc tempore vel horror, vel rigor, vel externarum partium refrigeratio accidat, sanguisq; ac calor naturalis, humoresq; omnes in profundũ tùm abeant, expedit magis per vigilias, eorundem ad exteriora tractionem moliri, & promovere reditum, quòd aliàs febres vix dissolvantur, ac difficulter ad consistendi tempus perveniant, fluxionesque ac cruditates augeantur identidem. Neq; enim tum, ut in aliis somnis, humores ad ventriculum confluentes concoquuntur, sed adaucti subinde, & multiplicati crudi permanent.

Arcendus somnus ingruente pestilentiâ.

In principiis accessionum haud dormiendum.

DE

DE INSOMNIIS. Cap. VI.

NOn tantùm somni, sed & insomniorum, medico habenda ratio erit. Id quod verum esse in Epidemiis Hippocrates confirmat, ubi sic scriptū reliquit: Quæ per somnum accidunt, necnon ipsa omnia consideranda. Quibus utique verbis, oculorum suspectiones, oris hiatum, decubitū, & alia quę in prognosticis recensentur, Hippocrates expendenda esse innuit. Nec illa tantùm, sed & ipsa insomnia, quòd ex illis interdum corporis affectum, corpusque infestantes humores, ipsaque inprimis ęgrotantium natura deprehendere liceat. Si enim quis ignem ardentem per insomniū videat, eum flava bile, infestari significatur. Si verò fumum, aut caliginem, aut profundas tenebras, ab atra bile. Pluvia verò, frigidi humoris abundantis index est. Nix, glacies, & grando, frigidam pituitam portendunt. Porrò in hujusmodi insomniis, ad tempus præcipuè, ac alimentum sumptum mentem adhibere convenit. Nam qui nive conspergi se putat, si hoc, in accessionis invasione, cum rigore, aut horrore, aut refrigeratione fieri imaginatus fuerit, tempori potius, quàm corporis affectui tribuendum est. At qui in declinatione hujusmodi somniaverit, firmiorem frigiditatis humorum redundantium indicationem nobis præbebit: idque adhuc magis, si nihil pituitosorū ciborum assumpserit, quibus in ventriculo contentis, hujusmodi quædam imaginatio excitari potest, etiamsi in toto corpore similis affectus non existit. Quòd verò corporis affectum, insomnia interdum declarent, Galenus in libello de Insomniis aliquot historiis cōfirmat. Quidam enim somniavit crus alterū lapideū evasisse, ideoque paulò pòst, crus hoc, in paralysin, & resolutionem nervorum incidit. Pugil quidam in sanguinis vase, se stare putabat, ut vix emineret, quapropter Galenus, sanguinis copia, ipsum laborare,

6. Epidem. sect. 8. Aphor. 16.

Insomnia cur medico expendenda.

Lapidea somnia.

& vacuatione egere conjecit. Nonnulli qui decretoriè sudaturi erāt, lavari, & in aquæ calidæ lavacro natare se se, opinati sunt Sic inexplebilis bibendi imaginatio, vehementer sitientibus accidit: sicut insatiabiliter edendi famelicis. Veneri indulgere, semine genitali repletis. Videtur namque in somno, anima profundum corporis ingressa, externis sensilibus neglectis, corporis affectum sentire, & omnium quæ concupiscit, tanquàm jam præsentium imaginationem arripere. Quapropter qui vix se movere posse, & gravi onere onusti esse, per somniū imaginantur, iis animalis facultas à multitudine humorum molestatur. Contrà, qui volantes se, aut citissimè currentes somniant, iis corporis affectus levis, & expers supervacuorum humorum existit. Qui in sterquilinio, & cœno, versari se imaginantur, ii vel humores pravos, & graveolentes, ac putridos habent: aut intestina copia stercoris oppleta. Contrà, qui in odoriferis locis se versari arbitrantur, bonis humoribus abundant, & contrarium planè jam dicto statui corporis affectum obtinent. Verùm de somniis satis.

Lavare. Natare. Bibere. Edere. Venereis uti. Gravari. Volare. Currere. Versari in stercore. Locis odoriferis.

DE VIGILIA. Cap. VII.

VT somnus mediocris confert, immodicus autem noxa non vacat: ita quoque mediocres vigiliæ prosunt plurimùm, immodicæ autem obsunt sanis simul & ægris. Quod Hippocrates etiam confirmat in Aphorismis ita scribens: Somnus atq; vigilia utraque, si modū excesserint, malum. Quemadmodum enim somnus immodicus, cerebrum plus æquo refrigerat, & humectat: ita vigiliæ, ubi modum
,, excedunt cerebri bonam temperaturam corrumpūt,
,, sensus debilitant, virtutem dejiciunt, cruditatem pa-
,, riunt, adeoque cibi potusque concoctionem impe-
,, diunt, & quàm lædunt vehementissimè. Id Hippocrates etiam affirmat, qui lib. 2. de Victu acut. morbo. Aphor. ultimo, in eum scribit modum: Vehemens vigilia, tùm cibos tū potiones crudos relinquit, cruditati-

2. Aphor. 3. Immoderatioris vigiliæ incommoda.

ditatibusque omnia refercit. Nam per vigilias nativus calor, adeoque sanguis, & spiritus, ad exteriora moventur, juxta id Hippocratis: Vigilans, circà exteriora manifestè calidior, circà vero interiora, frigidior. Dormiens contrà: ut mirum non sit, tùm concoctionem impediri, ac cruditatem nasci. Vt hoc nomine unicè cavendũ sit, ne vigiliæ modum excedant, quòd idipsum sine maxima corporis noxa fieri nequeat. Vigiliæ enim si immodicæ fuerint ac intempestivæ, vires corporis labefactant ac perdunt, cruditatem, ut jam monuimus, pariunt, cerebri & sensuum functiones debilitant, naturales autẽ imbecillas reddunt, universum deniq; corpus resolvunt, & siccant. *6. Epidem. sect. 4. Aphor. 12.*

DE REDVNDANTIA ET INANITIONE.

SECTIO V.

QVOT REDVNDANTIAE GEnera & differentiæ. Cap. I.



REDUNDANTIA, quæ Grçcis medicis πλεονεξία dicitur, de Galeni sententia duplex est. Vna qualitatis, in qua nuda qualitas elementaris una, aut plures in humoribus, mediocritatis limites & justam mensuram, excedit. Sic certè Galen. lib. 8. Ther. method. cap. 1. febrilẽ intemperantiam, caloris πλεονεξίαν, id est, redundantiam nominat. Ejus autem tot sunt species quot sunt intemperies simplices compositç, nempe quatuor, calida, frigida, humida, sicca &c. *Redundantia duplex. Qualitatis.*

Altera quãtitatis est, ubi cibi potúsve, aut humorũ, in corpore tanta est quantitas, ut nobis molestiam pariat, aut morbum aliquem conciliet. Quare duplex est ejus generis redundantia: una cibi, quæ Græcis *Quantitatis.*

πλησμονή. Satietas, non autē repletio interpretanda.

propriè πλησμονή, Latinis satietas propriè appellatur. Quocircà non satis rectè, nec propriè nonnulli Hippocratis & Galeni interpretes, πλησμονὴν repletionem interpretantur, quod in explicatione Aphorismi vigesimisecundi, primæ sectionis Aphorismorum, diffusè admodum monstravimus, ut hîc repetere non sit opus. Et hoc quidem loco Valleriola mihi malam gratiam refert. Quum enim is, locos suos communes ferè totos, ex meis Institutionibus compilarit, tamen facere non potuit, quin hujus officii immemor, me nihilominùs satis acerbè, præter tamē omne meum meritum, perstrinxerit. Judico autem illum, paulò acerbius, sed æquissimè à me fuisse offensum, quòd rationes suas, quas pro causæ continētis in morbis assertione attulit, ita refutaverim, ut quòd ad illas responderet, planè nihil reliquum haberet. Reprehendit autem me in præsentia, quod uni ciborum satietati, Græcorum vocem πλησμονὴν accommodaverim: quandoquidem, ut ille ait, Græci in more habeant, eam non tantùm uni ciborum satietati, (ut perperàm Fuchsius, vir alioqui doctissimus, arbitratur) sed & humorū in vasis plenitudini, accommodare. Etsi enim Hippocr. 2. Aphoris. 20. πλησμονή vox satietatem propriè significat, tamen aliis in locis ea, non pro satietate, sed potiùs pro plenitudine usum fuisse Hippocr. constat. Hæc ille: Pro confesso autem accipio, quod ait Valleriola, Hippocratem loco præcitato vocem πλησμονὴν propria in significatione, nempe pro satietate usurpasse. Quo concesso: Si verum est, quod πλησμονή vox propriè satietatem significat, cur igitur mox in eadem sectione, aphorismo nimirum ejus 20. Hippocrates eadem voce alia in significatione usus est, & cōfusionis author esse voluit? Si enim una voce binas redundantiæ species, ut Valleriola somniat, diversis quidem in Aphorismis Hippocrates intellexit, fateri utique cogetur, illum

Valeriola taxatur.

illum una voce, non sine magna legentium confusione, pro diversis rebus usum fuisse. Necesse etiam est, ut redundantiæ divisio, quam ibidem Valleriola præmisit, & in qua singulas ejusdem species & differentias distinxit sit falsissima. Quare evadendi locus nullus ei relictus est, imò necesse est apertè fateatur, se in prædictæ sententiæ Hippocratis expositione, hallucinatum fuisse. Sed agè reliqua ipsius verba; ut ,, pleniùs ejus error detegatur, expendamus. Profectò ,, inquit, in Aphorismo 22. sectionis 2. πλησμονὴ vox ,, non pro satietate, ut malè Fuchsius interpretatur, ,, sed magis pro plenitudine humorũ sumitur. Quod ,, indicat Hippocrates citato in aphorismo verbis ex- ,, pressis. Vult enim morborum per contraria medica- ,, mina, curandorum generalem, ut in ejus partis com- ,, mentario testatur Galenus, tradere methodum, ,, Quumque plenitudini evacuatio contraria sit, & ha- ,, beatur, nimirum si morbos à plenitudine factos, e- ,, vacuatio sanet, & ab evacuatione prognatos, ple- ,, nitudo, & refectio. Nec verò ea Hippocratis, eo ,, loci mens fuit, de satietate loqui, ut intellexerit ,, morbos tantùm à satietate factos, evacuatione sa- ,, nari. (Nam satietas cibi, plenitatis in genere una est ,, differentia.) Voluit autem eo Aphorismo Hippo- ,, crates, non unius tantùm plenitudinis differentiæ ,, comminisci, curandique rationem tradere, sed ex æ- ,, quo omnium plenitudinis differentiarum, atque a- ,, deò generis in universum, ut apertè in Cõmentariis ,, docet Galenus. Hæc ille; Nemo verò est qui non videat, Valleriolam, iis verbis meam partim confirmare sententiam, partim falsissima, sibique ex diametro pugnantia, dicere. Meam enim sententiam, in eo cõfirmat, quòd altera aphorismi hujus parte ait: Hippocratem per contraria præsidia curandorum morborum methodum tradere. Siquidem hæc mea, imò Hippocratis mens est, ut priore aphorismi parte, satietatem per contrarium, nempe vacuationem,

Confutatur Valeriola.

Morbi omnis depulsio, fit per remedia contraria.

& vice versa, vacuationem per refectionem, sanandam esse doceat: Vt autem ex particulari hoc, generalem sententiam colligeret, nimirum contraria contrariorum esse remedia, illudque ad reliquas redundantię quoq; species trāsferret, mox subijcere voluit: καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις, hoc est, & aliorum contrarietas: Firma igitur & stabilis, adhuc mea stat sententia, nimirum πλησμονὴν Graecorum, ciborum tantùm satietatem significare, nec, ut Valleriola, mihi falsò & per calumniam affingit, Hippocratem malè interpretatus sum. Falsum autem principiò est, quòd morbos ab evacuatione genitos, curari plenitudine inquit: Quum enim plenitudo sit, (Valleriola etiam testante) ubi humores aequaliter inter se adaucti fuerint, nunquam profectò inter remedia morbos sanantia, numerari poterit. Nam sive haec plenitudo ad vasa, sive ad vires fuerit. tamen neutra morbos sanabit. Si enim ad vasa fuerit, qualis est athletarum, haec ipsa, Hippocr. etiam 1. aphor. 3. teste, curatione, & ea quidem veloci ac celeri sanguinis missione egebit, quòd aliàs periculum sit, ne vasa ipsa rumpantur, aut calor nativus suffocetur, & extinguatur. Sin ad vires fuerit, metuendum erit, Galeno cap. 5. de Curatione per sanguinis missionem authore, ne in putredinem promptè aegrotantes incidant, & nōnunquam etiam in partes principes redundans succus, impetu decumbens, inibi tumores praeter naturam efficiat. Et quomodo is qui ab evacuatione factus est morbus, ab eo quod virtutem gravat, sanari poterit? Sed ut Valleriola hanc evitaret absurditatem, statim adiecit, Et refectio: non animadvertens, se iterum meam confirmare sententiam, qui πλησμονὴν hoc loco pro ea satietate, quae vacuationi factę sufficiat, & Galeno ἀνάθρεψις propriè dicitur, interpretatus sum. Praetereà falsam mihi affingit sententiam, quasi dixerim Hippocratem docuisse morbos tātùm à satietate factos, evacuatione sanari, quùm id ne per somnium quidē unquam mihi in mentem venerit: ut qui sciam mor

Morbi ab evacuatione, nō curantur semper plenitudine.

bos

bos omnes, à plenitudine tùm cibi, tùm humorum progenitos, vacuatione curari, quandoquidem idipsum in altera aphorismi parte disertis verbis Hippocrates innuat: Falsissimum insuper est, quòd satietatē cibi, sive refectionem Grecis ἀνάθρεψιν dictam, plenitudinis unam esse differentiam inquit. Siquidē pueris etiam, qui prima medicinæ fundamenta iecerunt, notum est plenitudinis differentias esse duas tātùm; eam nimirum quæ ad vasa, & eam quæ ad vires nominatur. Satietas igitur cibi, non plenitudinis, quæ ut Valleriola quoq; in sua divisione docuit, πληθώρα Grecis dicitur: sed redundantiæ, quam iidē πλεονεξίαν nominant, species sive differentia existit. Ita sanè in iis quæ manifestissima sunt, Valleriola turpiter labitur, & sibi passim pugnantia, livore fortè excæcatus, scribit. Denique quod ait, Hippocratem voluisse eo aphorismo non unius tantùm plenitudinis differentiæ comminisci, curandique rationem tradere, sed ex æquo omnium differentiarum: eiusmodi planē est, unde omnibus liquidissimè apparet, illum contrà suam distinctionem, quam paulò antè attulit, speciem cum genere, nempe πληθώραν cum πλεονεξίᾳ, id est, plenitudinem cum redundantia, confudisse. Quid multis opus est verbis? si Hippocrates id quod est certissimum, ex æquo omnium redundantiæ differentiarum curandi rationem in prima & altera aphorismi parte tradere voluit, necesse est ut Valleriola etiam fateatur, Hippocratem, elementaris qualitatis excessum, & redundantiam, vacuatione quoq; sanandam esse docuisse, quo absurdius dici potuisset certè nihil. Pergit Valleriola inquiens: Adde, quòd si de satietate intellexisset Hippocrates, falsi crimine culpandus veniret: quum non omnis satietas, vacuatione ad sui curationem opus habeat, sed plerumque vel longa quies, vel prolixior somnus, aut inedia absq; ullo sensibili vacuationis genere, mederi illi possint, ut pluribus in locis testatur Galenus. Non ergo de satietate tantùm, locutus fuisse, eo in

Differentiæ plenitudinis sunt bina.

Non omnis satietas, videtur indigere evacuatione ipsi Valeriolæ.

loco Hippocrates videtur, ſed congruentiùs profectò de plenitudine, cui evacuatio tanquam opportunum auxilium debetur. Hactenus ille. Prò pudor, Valleriolam virum alioqui doctum, tàm pueriliter ineptire, ut qui ignoret ſatietati, ſemper mederi vacuationem. Nam etſi prolixior ſomnus, aut inedia, interdum ſatietati medentur, tamen id præſtant non niſi vacuantia remedia. Quòd autem tùm ſomnus, tùm inedia vacuēt, libro ſecundo harum Inſtitution. ſect. 5. cap. 35. & 37. pleniùs docuimus, ut opus non ſit hìc pluribus monſtrare. Cæterùm quòd per longam quietem, eam quæ poſt ſatietatem iniungitur, cum prolixo coniunctam ſomno, intelligat, notum eſſe omnibus arbitror. Ridiculum autem eſt, quòd generalem morborum per contrarium curandorum methodum, quam altera huius Aphoriſmi parte, tradit Hippocrates, ad ſenſibile vacuationis genus reſtringit, quùm ſole meridiano clarius ſit, Hippoc. in iam dicta aphor. altera parte, omnem curandorum morborum ὑπεναντίωσιν, id eſt, contrarietatē, intelligere. Vt igitur illic de omni generatim redundantia, ita quoque de omni vacuatione tàm ſenſili quàm inſenſili locutus eſt. Quis enim tàm ſtupidus eſſet, ut διαπνοὴν καὶ διαφόρησιν, id eſt, inſenſilem ſive latentem perſpirationem, & evaporationem, inter vacuantia non recenſeret auxilia? Quod verò ad Galeni teſtimonia, quæ Valleriola citat, attinet, hæc quidem ſententiæ noſtræ nihil incommodant. Nam Galenus capitibus 4. & 10. libri de Curan. ratione per ſanguinis miſſionem, nequaquam negat omnem plenitudinem, vacuatione eſſe curandam: ſed id potiùs docet, quòd non omnis plenitudo, ſanguinis miſſionem requirat, ſed ſufficere interdum purgationem, frictionē, ambulationes, motus, & inunctiones diſcutientes. Omnia verò hæc, quæ à Galeno nominatim ibidem recenſentur, vacuare, notius eſt, quàm ut à me demonſtrari debeat. Porrò Hippocratem neq; de ſatieta-

Dogma de ſatietatis curatione Valleriolæ confutatur.

Somnus & inedia vacuant.

de satietate tantùm, ut falsò mihi Valleriola affingit: neque de plenitudine solùm, veluti Valleriola putat, locutum esse, sed generatim de omni redundantia, paulò ante à nobis dictum est: verum autem esse quod affirmamus, Galenus etiam in commentariis suis satis confirmat. Nam in illis expressis verbis tum πλησμονῆς, tum πλήθους meminit, inquiens: οὐδ' εἴ τι οὐκ ἔτι γινόμενον ὑπὸ τῆς πλησμονῆς, οὐδ' οὐκ ἔτι οὔσης αὐτῆς εἴτε μένοι, τοῦτο ἰάσεται κένωσις, ἀλλ' ὅσα κατὰ τὸν αὐτὸν γίνεται χρόνον ἐπιχειροῦμεν ἰᾶσθαι. ὅτι μὲν οὖν πλῆθος ἐργάζεται νόσον ἔμπροσθεν εἴρηται. ὅτι δὲ ἡ ἴασις αὐτοῦ κένωσις ἐστίν, οὐδὲ λόγου δεῖται, καθάπερ οὐδ' ὅτι πάντων τῶν ποιούντων τὰς νόσους ἡ ἐναντίωσις. Id est: Neq; si quid non amplius à satietate fit, neque si hac ipsa non amplius existente aliquid remanserit, hoc curabit vacuatio: sed quæcunque eo quo fiunt, tempore curare aggredimur. Quòd quidem plenitudo morbum efficit, anteà dictum est. Quòd verò curatio eius vacuatio sit, dicere nō est opus, sicuti neq; quòd omnia ea, quæ morbos creant, contrarium sanet. Ne autem quispiam putaret, Galenum vocem πλησμονήν pro πλῆθος usurpasse, ut Valleriola somniat, ideo paulò pòst hæc subjecit verba: οὕτω δὲ εἰ διὰ πλησμονὴν νόσος συνίσταται, τὸ τηνικαῦτα κενῶσαι χρὴ τὴν πλησμονήν. ὥσπερ γε καὶ εἰ ὑπὸ κενώσεως, ἀνατρέφειν ὅτι τάχιστα προσήκει. Id est: Sic verò ubi propter satietatem morbus consistat, statim satietatem vacuare oportet: quemadmodum, si ex vacuatione fit morbus, quàm celerrimè reficere convenit. Quid verò apertius est, quàm Galenū hoc in loco per πλησμονὴν non plenitudinem, sed potiùs satietatem intellexisse? Nemo enim sanæ mentis, plenitudine vacuationem curabit, sed ut hoc loco Galenus docet, ἀναθρέψαι, id est, refectione. Vt sole meridiano clarius sit, πλησμονὴν hoc etiā in aphorismo, non nisi satietatem denotare. Et quid opus est multis

testimoniis? quùm metipse Galenus, quid hęc vox significet, sect. 2. Aphorism. comment. 17. disertis doceat verbis, sic scribens: ἡ γὰρ πλείων τροφὴ τῆς τοῦ σώματος φύσεως, ὀνομάζεται πλησμονή. Hoc est: Plùs enim & copiosioris cibi, quàm corporis naturæ convenit, assumptio satietas nominatur. Vt nihil certiùs sit, in præfato Hippocratis aphorismo πλησμονὴν cibi satietatem denotare, tàm eam quæ præter naturam est, quàm eam quæ naturalis est, & alio nomine, refectio propriè dicitur. Igitur iniuria me maximè afficit Valleriola, quòd ineptè ac perperam, Leonicenum & Plantium, doctissimos atq; fidelissimos Hippocratis interpretes, à me notatos & reprehensos dicit; quòd pro satietate; plenitudinem converterint. Quòd enim ad Hippocratis, neque ad Galeni mentem iam nominati viri πλησμονὴν vocem, pro plenitudine interpretati sint, puto, me luce meridiana, in iis quæ præcesserunt, demonstrasse. Quare falsò & per calumniam interpretationem meam sugillavit Valleriola. Iudico etiam nunc eruditis omnibus ex præcedenti refutatione innotuisse, utrùm ego, an Valleriola propiùs ac penitiùs Hippocratis mentem attenderit? Occinendum igitur Valleriolæ potius, quàm mihi, hoc quod est in proverbio, Et bonus quãdoq; dormitat Homerus. Pręterea quùm me iam tertiò in iis suis locis communibus, falsò & per calumniam, ut dictum est, ne quid gravius dicã, reprehenderit Valleriola, hortandus mihi venit, ut cautiùs deinceps mecum agat, & me temerè toties non carpat, modò nõ velit aliquando, ubi mihi plus satis stomachum moverit, audire quæ nolit: Et quæ hæc est insania, ut docti, doctos nulla planè necessitate, & conviciis etiã aspersis, ut hoc loco Valleriola fecit, sugillent ac lacerent? An quid enim hoc est cõvicium addere, si quis Valleriolæ instar dicat, Fuchsius ineptè, ac perperam calumniatur, & carpit præhominatos interpretes? Sed Valleriolam non malè habuit,

Satietatis definitio Galeni.

Duplex satietas, ut etiam πλησμονή.

habuit, quòd Leoniceri & Plantii interpretationem notaverim, quàm quòd ipsius de causa morborum continente opinionem ita confutaverim, ut non habeat quod mihi respondeat. Quare ut se aliqua saltem ratione vindicaret, me falsò & meherclè ineptissimè carpere non est veritus. Porrò ex iis quæ hactenus à me dicta sunt, evidētissimum est, me πλησμονὴν vocem in citato Hippocratis aphor. rectissimè interpretatum fuisse, Valleriolam autem ineptissimè ac turpiter eorum qui manifestè erraruut patrocinium suscepisse. Faxit Deus ut Valleriolæ, hunc animum largiatur, ne deinceps doctorum virorum tàm ineptis ac nullius momenti argumentis convellere nitatur sententias. Cæterùm ciborum redundantia satietásve, Galen. sect. 2. Apho. Commen. 17. teste, gemina est, ad vasa scilicet, atq; ad virtutem. Satietas ad vasa est, ubi tanta ciborū ingesta copia est, ut hinc ampla ventriculi capacitas distendatur evidentissimè tensionis, & gravitatis sensus percipiatur evidens. Hanc nunquam non gulosi & voraces homines incurrunt, ut qui cibum ingerere nunquam desinunt; nisi illis ità distēdatur ventriculus, ut amplius aliquid capere nequeat. Satietas verò ad virtutem, facultatémve, est, ubi plus cibi ingeritur, quàm natura, aut facultas corpus nostrum gubernans, superare possit. Atq; hæc sanè non est nisi, ut Græci dicunt, πρός τι. Sæpè enim accidit, ut exigua etiam cibi copia gravet facultatem imbecillem. Contrà verò validam vim coctricē, ingens licet, exigua admodum alimenti copia non gravat Altera quantitatis redundantia humorum est, quādo humores naturalem suam in corpore proportionem excedūt. Quæ autem sit illa humorum proportio, lib. 1. sectione 4. cap. 1. est expositum. Huius autem redundantiæ duo sunt genera. Aut enim omnes ex æquo humores, aut unus duntaxat, ex illis redundat. Nihil autem refert, sive ex æquo omnes humores, sive sanguinem redundare dicamus: Siquidem sanguis venarum nō est simplex &

Satietas duplex.

Ad vasa.

Ad virtutē.

Redundātis humorū gemina.

Sanguis venarum non est simplex.

uniformis, sed ex pituitæ, bilis utriusq;, & puri sanguinis permistione cōflatus. Proinde omnes hi quatuor humores, omnium consensu, usuq; dicendi, sanguinis appellatione designantur. Quòd si itaq; humores omnes ex æquo, servata tamen qualitatis mediocritate, supra iustam mensuram, quantitatémve, vel, ut Galeni verbis utamur, supra veterem proportionem, & naturę congruentem quantitatē crescunt, atq; augentur, ut bonis athletarum habitibus cōtingit, propriè πολυαιμία Græcis, sanguinis copia, Latinis vocatur. Aliis nominibus, Gal. πληθώρα & πλῆθος id est, multitudo, & plenitudo nominatur. Nam ita l. 13. Ther. meth. c. 6. scriptū reliquit Gal: Vbi ὁμοτίμως; hoc est, ęquabiliter inter se adaucti fuerint humores, πλῆθος & πληθώραν nuncupant. Quùm autē æquabiliter, sive ex ęquo adauctos in plenitudine cum Galeno humores dicimus, non ita accipiēdum erit, quasi ęqualis sit horum omnium in massa sanguinea copia, & quantitas, alterq; alterū non excedat: sed quòd secundū suā naturam, & naturalē proportionē omnes simul aucti sint, & increverint. Proinde nihil obstat, quo minus plenitudo dicatur, si illorum unus, verbi gratia sanguis, reliquos superaverit, modò omnes in vasis supra iustū modum, pro sui quisq; ratione, adaucti sint. Verum esse quod affirmamus, & vocem ὁμοτίμως idem planè significare, quod proportione, ipsemet Gal. l. 2. de Comp. med. loc. c. 1. cōfirmat, ubi in hunc modum plenitudinem, describit: πληθώρα, γίνεται ἢ τῶν τεττάρων χυμῶν ἀνάλογον αὐξηθέντων, ἢ τοῦ αἵματος μόνου: Plenitudo fit aut omnibus quatuor humoribus, aut solo sanguine proportione auctis. Neq; est, cur aliquem turbet, quòd hoc loco plenitudinem etiam esse doceat, ubi solus sanguis suprà modum, & proportionem iustam augetur. Nam, ut paulò antè est commemoratum, sanguinem venarum intelligit, qui purus non est & simplex, sed alios sibi permistos humores omnes, eosdēq; ęquabiliter inter se auctos habet. Quod planè confirmant, quæ metipse Gal.

πολυαιμία. πληθώρα. πλῆθος. Multitudo. Plenitudo.

Aequaliter esse auctos humores quid.

Vox ὁμοτίμως quid denotetur?

Obiectio diluitur.

in lib. de Plenitudine scribit, ubi inquit: Fieri haud potest, ut unquam in venis, tàm exquisitus syncerusque sanguis contineatur, ut nihil vel bilis, vel pituitæ, vel serosæ humiditatis illi admisceatur, unde & ego in superioribus idem intelligendum esse volui, sive humores quatuor, sive sanguinem abundare dicerem: quippe immistus, & ab aliis humorib. syncerus sanguis nunquam in venis forte neq; in reliquo corpore continetur. Hæc ille. Ceterùm ex iam dictis omnibus perspicuum evadit, πολυαιμίαν ab εὐαιμία nõ parum distare. Nam in πολυαιμία qualitatis tantùm mediocritas servatur, augetur humorum moles, & copia: in εὐαιμία verò sanguis, qui ex quatuor humorum naturalium æqualitate constat, & qualitatem & quantitatem naturalẽ retinet, adeoq; excessus omnis abest, ut in lib. de Plenitudine testis est Galen. Quod de πολυαιμία diximus, id etiam ad πληθώραν & πλῆθος transferẽdum erit, quòd in iis etiam servata qualitatis mediocritate, in quantitate duntaxat excessus sit. Galen. tamen sect. 2. Apho. com. 17. πλῆθος etiam interdum vocari scribit, exiguam sanguinis corruptionem, quæ ad naturalem habitum redire potest facillimè. Porrò in libro de Plenitudine Galen. πληθώραν fieri scribit, quum aut cũcti humores, pro veteri proportione aucti fuerint, aut unus ex iis, exiguum quẽdam excessum adquisiverit. Prior quidem simpliciter plenitudo, sive multitudo appellatur: altera autem cum adjectione eius, qui excessum illum continet, humoris, sanguinea, pituitosa, biliosa, & melancholica nominatur. Quod satis confirmant, quæ à Gal. l. 2. de Comp. med. loc. scribũtur, quãdo inquit: Quando alius quispiã humor auct⁹ fuerit, veluti est pituita, & flava bilis, itẽq; nigra, eiusmodi auctionẽ non simpliciter multitudinem, & plenitudinẽ, sed cum adjectione, pituitæ, aut flavę bilis, aut nigræ plenitudinẽ, dicimus. Atq; hinc est, quòd Gal. in l. de Plenitudine, quatuor eiusdem esse species disertè statuat, nempe sanguineã, biliosam, pituitosam, & melancholicam.

πολυαιμία ab εὐαιμία distat.

Alia plethoræ vocis acceptio.

Plenitudo simpliciter.

Plenitudo cum adiectione dicta quid sit.

Plenitudinis cum adiectione quatuor sunt species.

Sanguinea Sanguinea plenitudo est, in qua sanguis purus, reliquos humores itidem auctos, vehementer, aut magnoperè excedit. Nam purus sanguis etiam in naturali proportione, reliquos in venis humores semper exuperat, quapropter necesse est, si exiguum supra eam, quę ex æquo facta est, auctionem, in sanguinea plethora, excessum accipiat, ut tunc magnoperè excellat. Id quod Galenus loco paulò antè citato iis innuere verbis voluit: „ Potest igitur, ait, sanguis in ple„thoricis affectibus vehementer præcellere, aliorum „humorũ interim nullus. Nam si illorum aliquis plurimùm auctus fuerit cacochymia, nõ multitudo, aut plenitudo nuncupatur. Sed de cacochymia pòstea fusiùs.

Cacochymia unius humoris in vasis.

Biliosa.

Sanguinea quidem plenitudo, corpus rubicundum efficit, & floridũ. Biliosa est, in qua bilis, cæteros adauctos humores, parum superat. Hæc, subpallidum corporis colorẽ inducit.

Pituitosa. Pituitosa similiter est, in qua pituita, alios humores proportione adauctos, excedit. Hęc albescere corpus facit.

Melancholica. Melãcholica, in qua cæteros succos, qui ex æquo increverũt, melãcholicus, supat. Hæc nigrius solitò corp⁹ efficit. Multitudo autem sive plenitudo simpliciter dicta, gemina existit, una ad vasa, ad virtutem altera.

Plenitudo ad vasa. Ad vasa est, in qua humores adeò exuperant, ut venas quoquoversum inflantes, distendant ac rumpunt sæpè. Cùm igitur amplam vasorum capacitatem, prorsus hæc plenitudo impleat, rectissimè, & apud omnes pervulgato nomine, plenitudo ad vasa nominatur, vasorũq; apertiones, & rupturas, (ut attigi iam) molitur.

Ad virtutẽ. Ad virtutẽ plenitudo, est ea, quæ ad vires comparatur. Etsi enim in ea, vasa nec tument, nec copia distenduntur, plus tamen in illis est reconditum sanguinis, quàm à natura regi gubernariq; possit. Quapropter fit, ut hac quoq; in plenitudine sanguis, quãtumvis paucus, facultatem aggravet, & eius actionibus noxam inferat. Accidit igitur hoc nomine, ut mediocris sæpenumerò plenitudo, infirmiori naturę ac facultati molesta sit, & gravis, ideoq; meritò plenitudo

tudo ad virtutem dicitur. Vtraque autem plenitudo humores, si diu duret, ad corruptelam ducit, & fluxionem, particulis imbecillioribus transmittit. Quippe necesse omnino est, humores qui regi, ac gubernari à viribus naturalibus nequeunt, putrescere & corrumpi. Hinc est quòd nonnulli rectè plethoram duplicem esse statuunt, puram scilicet & impuram. Puram vocantes eam, quæ ex optimorum humorum pari portione constat: Impuram, quæ cacochymiæ & putredinis alicuius particeps est, ea, e.g. quæ febrē continentem putridam efficit. Siquidem in hac humores omnes redundant, & putrescunt æqualiter, quemadmodum fusiùs lib. 9. Ther. meth. cap. 3. Gale. docet. Impuriore itaq; sanguine, impura in plethora venæ implentur, estq; ex plenitudine & cacochymia permistum vitium. Nam ut sect. 2. aphor. comm. 17. testatur Galenus, potest quidem absq; corruptela incipere, ad vires dicta plenitudo, verùm utilis & benigna manere, diù planè nequit. Nam ipsam in qualitate mutari, atq; adeò spacio temporis, corruptelam subire est necessum. Verùm licet hoc accidat, tantisper tamen plenitudinem, ipsum hoc vitium appellamus, donec vacuato supervacaneo, reliquum utile & benignum reddi possit. Nam quod vinis acescentibus accidit, eiusmodi quiddā, & in sanguinis alteratione p.n. fieri solet. Id verò tale est. Vbi planè acida facta sunt, ad vini naturam non redeunt umquā, verùm si levi momento ad aciditatem vergāt, ut acescere quidem, nondum tamen acetum esse videātur, ex iis complura pristinam recepisse naturam, visa sæpiùs sunt. Idem etiam in sanguine evenit. Nam si ipsius magna facta est corruptio, non iam ad suā naturam redire potest: parùm verò si degeneraverit ab εὐκρασία, vacuato supervacaneo, qui restat in venis sanguis, naturam suam recuperare potest. Atq; talem affectum, non corruptionem, sed plenitudinem appellandi medicis moris est: solam eam alteratione, corruptelam nominantibus medicis, quæ tàm ma-

Plethora degenerat multoties in cacohymiam.

Plenitudo pura.

Impura.

Impura plethora quid sit.

Vini vitia, massæ sanguineæ comparātur erroribus.

gnam præter naturã sortita est mutationem, ut à natura amplius vinci ac regi nequeat, ut probus & vtilis humor fiat. Quòd autem plenitudo, ad vasa, si vires gravet, necessariò putrescat, Galen. etiã l. Thę. met. 9. c. 5. claris verbis docet. Vt valde ineptos esse oporteat, qui plenitudinem saltem ad vires unà cum cacochymia consistere haud posse arbitrantur. Porrò si unus in toto corpore humor tantùm abundat; verbi gratia, pituita, utraq; bilis aut serosꝰ humor, κακοχυμία, Latinis vitiosus humor, succúsve appellatur. Quod satis testatur Gal. l. 13. Ther. c. 6 ubi cacochymiam ita describit: ὅταν ἤδη ξανθῆς χολῆς, ἢ μελαίνης, ἢ φλέγματος, ἢ τῶν ὀῤῥωδῶν ὑγρῶν μεστὸν γένηται τὸ σῶμα, κακοχυμίαν καλοῦσι: Vbi flava, vel atra bile, vel pituita, vel serosis humoribus corpus refertum fuerit, cacochymia vocatur. Sic etiã in lib. de Plenitudine inquit: ubi unus tantùm in corpore humor, plurimùm abũdat, cacochymiam appellari Medicis. unius itaq; humoris tantùm exuperantia, ut verbi gratia, in arquato morbo flavæ bilis: non plenitudo, sed vitiosus humor, quam Gręci κακοχυμίαν vocãt, dicitur. Rectissimè verò hoc genus redundantię, cacochymia Gręcis dicta est. Cùm enim fieri non possit, ut unus aliquis in corpore plurimùm redundet humor, quin idem pravam etiam statim induat qualitatem utrumq; excessum, tùm in qualitate, tùm quantitate Græci hoc nomine significare volentes, κακοχυμίαν appellaverunt: hoc quidem nomine humoris non tantùm redundantiam, sed & pravam quoq; qualitatem innuentes. Hinc Galeno alio nomine διαφθορά, id est, corruptela nominatur. Quamquã sect. 2. Aph. Com. 17. ita nominari scribat vitium adeò grave, & magnum ut non possint iterùm per naturæ concoctionem, ad pristinam bonitatem humores redire. Quare non ineptè deterior cacochymia, nonnullis hæc corruptela nominatur. Quãdo autem humores maligna & perversa sunt prædìti qualitate, ut in pestilentia maximè accidit, κακοηθία peculiari nomine appellatur malũ hoc.

Plenitudo ad vasa itidẽ cacochymiã coniunctam habere potest.

κακοχυμία totius corporis.

Cacochymia cur dicta.

διαφθορά. Corruptela.

κακοηθία.

hoc. Quòd autē in cacochymiâ non solùm in quantitate, sed & qualitate humorum vitium sit, ex eiusdē generatione, abundè patet. Nam ut Gal. l. 3. de Temp. c. 3. scribit, cacochymia multis accidit, ex pravis & vitiosis cibis, aliis verò ex corruptelâ & putredine. De corruptelâ, & putredine quin qualitas in hisce prava sit, nemo dubitat. In pravis autem & vitiosis cibis, inesse pravam qualitatem, horum denominatio satis convincit. Sole igitur meridiano clariùs est, toto cœlo errare recentiores, qui cacochymiam definiūt, ubi in qualitate duntaxat peccant humores. Constat enim iam in cacochymiâ non solùm pravos, sed etiā immodicè auctos & accumulatos esse, adeoq; etiam quantitate peccare humores. Atq; hinc fit, quod Galenus lib. 12. Methodi medendi, cap. 7. cacochymiam nominet affectionem illam, quam aliàs intemperiem cum affluxu humoris vocare solent medici. Ceterū si in habitu corporis eius generis redundantia, quæ cacochymia dicitur, fit, peculiaria tunc consequitur nomina. Quę enim à bile per universum corpus sparsa, oritur cacochymia, icterus: quæ ab atra bile, elephantiasis: quæ à pituita, leucophlegmatia dicitur. In partis alicuius substantia inhibito ab humore, à bile flavâ e.g. herpes, & erysipelas: ab atrâ, cancer, vel scirrhus: à pituita, œdema: à seroso humore in ventre collecto, ascites: in testiculis, hydrocele generatur. Hæc certè est legitima generum ac specierum redundantiæ partitio, quam pauci tenent, quòd magna pars medicorum, etiam in ista veritatis luce, Arabum & Barbarorum commenta mordicùs adhuc teneant, illisque unicè addicti, è turbidis lacunis, quā purissimis rivulis medicinæ principia haurire malint. Sed permittamus hos suo more insanire & ineptire, nos verò prædictas redundantiæ differentias, memoriæ gratiâ, breve in schema aliquod, congeramus.


Recentiorum medicorum error.

Cacochymiæ & qualitatis & quantitatis humorum vitium adest.

Icterus.

Nostri seculi medicos taxat.

Redundantia *triplex existit:*



QVID VACVATIO, ET eiusdem genera ac differentiæ. *Cap. II.*

CVm hactenùs redundantiæ genera & differentias retulerimus, reliquum est, ut nunc quoque vacuationum, quæ illis contrariæ sunt quodammodo, & rudemq; præsidia curatoria genera & differentias exponamus. Vacuatio verò, (ut hoc initio expediamus,) non est nisi humorum in corpore, sua quantitate præcipuè, sed & acri mordacique qualitate quandoque molestantium excretio.

Vacuatio quid.

Cuius

Cuius quidem duo sunt primaria genera: una enim universalis, particularis est altera. Vniversalis seu generalis est, quæ suapte natura, totum vacuat corpus: aut quæ ab universo corpore, humores & excrementa educit. Huiusmodi sunt, sanguinis quovis modo profusio, purgatio, vomitus, per urinam excretio, seu mictio, sudor, balneum, præsertim aquarũ discutientium, hæmorrhoides, venus, insensilis transpiratio, medicamenta discutientia, toti corpori admota, somnus à vacuatione admissus, vehemens exercitium, multa frictio; & præter hæc omnia fames & inedia. Prędicta ferè omnia, per se quidem totum vacuant corpus, inedia verò ex accidente, ut suo fusiùs loco dicemus. Particularis vacuatio est, quæ partem duntaxat aliquam, excrementorum onere pressam, vacuat, levatque. Quo in genere est cerebri per palatum & nares expurgatio evidens, eiusdemq; per aures & oculos vacuatio, obscurior insuper excretio, quæ pulmonis & thoracis vitia expurgat: ventriculi per vomitum, & alvum. Intestinorum per solam alvi deiectionem collutio. Iecoris & lienis, per urinam & alvum. Renum & vesicæ, per urinam: muliebrium locorum, per menstruas purgationes, & quæcunque aliæ vacuationes, quæ unicam duntaxat partem excrementis suis levant. Danda igitur opera, ut iam memoratarum partium excrementa, tempestivè per competentes vias, debitoque modo expurgentur: atque in primis studendum, ut venter quotidie, bis semélve pro consuetudine sese exoneret. Qui si naturæ beneficio laxus fuerit, id in magnam felicitatis partem est numerandum. Quippe qui alvum naturâ apertam habent, haud facilè morbis corripiuntur. Qui contrà adstricta sunt alvo, ii perpetuò cum morbis conflictantur. Singulis pretereà diebus manè sensuum instrumenta omnia, lingua, oculi, nares, aures, totaque facies frigida abluenda, capillis capitis priùs leviter pexis. Ceterùm iam dictis exvacuationum generibus, unumquodq; aliâs per se suaq; sponte, aliâs

Vniversalis quid.

Particularis.

Alvus lubrica salutaris.

Sponte facta vacuatio. artis industriâ perficitur. Sponte facta vacuatio est, quæ citra ullam medicationem, quippiam è corpore profundit. Atque id quidem interdum, natura duce, *Naturalis & opportuna.* quæ dum nos integre valet, quicquid vitiosum est aut redundat, id omne è corpore excludit, estque ac dicitur tum naturalis, & opportuna vacuatio. Inter- *Symptomata.* dum verò natura imbecillior, ignaviorque, humores non valens in corpore regere, atq; cohibere, eos ut & solidam partium substantiam prorsum diffluere finit: imò etiam quùm robustior validiorque quandoque, tanta humorum copiâ vel acrimoniâ lacessitur, ut infesti humores, è vasis receptaculisq; suis proprio impetu foras exiliant, naturæ aspernantes imperium. Vtriusq; generis symptomatica, irrita, præter naturã, nulliusque usus est vacuatio, summè gravis & noxia, quòd benignus atq; salutaris humor pariter cũ per- *Artificiosa.* nicioso promiscuè, nullo delectu erumpat. Artificiosa vacuatio nominatur, quæ externi subsidii ope excitatur: Ea rursum bipartitur. Vna quippe legitima *Extraordinaria.* existit, quæ quod qualitate, vel quantitate sua, naturę negotium facessit, duntaxat educit. Altera huic adversatur extraordinaria, qua utilis, & qui nullo in vitio est humor, exigitur. Hæc medentium culpâ vel inscitia, qui neq; quod iustum, neq; quod idoneum est, perspectum habent, decernitur. Hæc sunt vacuationum omnium genera, quibus redundantes ac noxii omnes è corpore ejiciuntur humores. Quoniam verò in usu, exercitationeque medendi, universales vacuationes, particularibus anteferuntur, operæpretium fuerit, de universalibus hîc primum sermonem nos instituere, à venæ sectione exorsi.

De

De Venæ ſectione.

IN QVIBVS MORBIS ſecanda vena. Cap. III.

CVm, per venę ſectionem, Galeno etiam ſuffragante, univerſa humorum multitudo, ab univerſo penè corpore, æqualiter vacuetur, ſatis conſtat, hanc morborum omnium, quicunq; ex ſanguinis affluxu & ubertate, vel ex quavis illius eruptione ortum acceperunt, propriam convenientemque medelam eſſe, ſive præſentes ii ſint iam, ſive adhuc cervici immineant. Quocirca educendæ plethoræ, plenitudiníve unicum ac proprium remedium ſtatuimus venę ſectionem: eius præſertim plethoræ, quę ad vaſa dicitur. Ope venæ ſectionis namque plenitudo, ad mediocritatem redit, dolores ex tenſione placantur, corpus gravi onere levatum, erigitur, & quaſi recreatum alacrius expeditiusq; fit ad functiones omnis generis obeundas. Eadem quoque innatum calorem liberaliùs ventilans, arctioresque vias & meatus reſerans, morbos arcet, in quorum, idipſum, diſcrimen à plethora adducebatur. Quòd ſi fortè ii morbi per incuriam inſederint, venæ ſectio, immodicam plenitudinem ſubtrahens, efficit, ut natura iam dominatrix, & ſuccorum mole, ac pondere liberata, reliquis humorum vitiis deinceps imperet, idque concoquat, quod ſibi reddere poteſt familiare, expellat quod prorſus inutile, nunquam poſthac futurum eſt idoneū. Quinetiam ſi quis morbus ex plenitudine quampiam partem invaſit iam, Venæ ſectio influentē etiānùm humorē, in diverſum revellit ac trahit: eum verò, qui iam influxit, derivat in latus, & vacuat, hocq; modo prorſus morbū depellit. Si verò plenitudo, quæ ad vires refertur, infeſtat, non ſemper ſanguis mittendus eſt. Fieri enim poteſt, ut

Plenitudini cur venæ ſectio competat.

Venæ ſectionis commoda.

In plenitudine ad vires nō ſemper vena ſecanda.

crudus in corpore ſit coacervatus humor, quo præſente, ſecta vena bonum dũtaxat ſanguinem vacuat, malum verò, qui in primis maximè venis (circà jecur & meſenterium colligitur) in univerſum trahit corpus, ut fuſiùs libr. 3. de Tuend. ſanit. Galenus oſtendit. Virtus etiam jam priùs ab ejusmodi affectu exoluta, per ſanguinis miſſionem in extremum malum incidet, ut nequaquam ſubindè reparari queat. Neque enim parùm in vena ſecta diſſolvitur virtus, ut cap. 6. libri de Curandi ratione per ſanguinis miſſionẽ pleniùs Galenus docet. Cæterùm quia in plenitudine ad vires, imbecilla facultas itidem opprimitur, ne quæ illinc putredo, aliáve humorũ corruptela emergat, confert quidem, & conducibilis eſt interdum modica ſanguinis miſſio. Veruntamen ſi morbus necdum adeſt, nec inſtans metuitur, ea plenitudo minuetur commodiùs inediis, moderata exercitatione, atque iis, quæ ad concoquendũ juvant. Qua ſanè ratione, in peſtilenti cœli conſtitutione, aliàs tenui victu, aliàs venæ ſectione ſanguis imminuendus eſt, ut reliquum ſanguinem natura priùs conſervet, nec tàm facilè à putri contagione labefactari ſinat. Quapropter diligenter in ſanguine mittendo, plenitudinis non ſolùm ſpecies, ſed & ejus tùm quantitas, tùm qualitas diſtinguendæ erunt: Plenitudinis itaq; ſignum eſt tenſio ad vaſa, & ſanguinis miſſione nota. Ideoque quantùm tenſionis ſenſus augetur, tantùm etiam, ea plenitudo creſcit. Ejus autem quæ ad vires refertur, gravitas indicium eſt. Et quantò gravior ſibi homo videtur, tantùm etiã hanc ipſam plenitudinem auctam eſſe, certum eſt. In priore itaq; copioſiùs, in altera parciùs ſanguis mittendus. Quod ad qualitatem attinet, conſiderandũ certè erit, num plenitudo ſanguinea, bilioſa, pituitoſa, aut melancholica ſit. Id quod ex colore dignoſces, memor colorem humorũ eſſe indicium, ſiquidem univerſum corpus in externo tum calore, tum frigore mediocriter ſe habeat. In ſanguinea namq; plenitudine abundantiùs, in aliis

In plenitudine ad vires, ſanguis modicè mittendus.

Plenitudines ut diſtinguẽdæ.

Qualitas plenitudinis.

in aliis tribus plenitudinis specieb. pro humoris exuperantis specie, parciùs sanguis mittendus. Cæterùm in utraq; plenitudine, ubi opus est, celeriter vacuandum erit. In ea, quæ ad vasa nominatur, antea quàm in partes corporis, maximè nobiles, decumbat, & in iis phlegmonem, aut alios præter naturam tumores excitet: imò priusquam sua copia subitò suffocet, venarumq; ruptiones afferat solvenda plethora. In eâ, quæ ad vires refertur, priusquàm in putredinem degeneret, aut cum impetu in partes corporis irruat, & in iis tumorem præter naturam excitet, ut pleniùs capite quinto, libri de Curandi ratione Galenus docet. Cæterùm vena secanda etiam in omnibus aliis morbis, qui ortus sui causam ex sanguine habent, ut sunt continens febris, & omnis generis phlegmones, item febres putridæ tùm continuæ, tùm intermittentes, in quibus obstructionis & putredinis, precipua, aut certè adjuvans concomitansq; causa est immodica plenitudo, & alii, qui ex sanguinis copia, & partes nobiles illapsu procreantur.

In utraquê plenitudine celeriter vacuandum.

In quib. morbis secanda vena.

SCOPI MITTENDI SANGVInis quot. Cap. IV.

QVI de missione sanguinis consilium inire tentat, huic, decem præcipuè accuratâ diligentia, primarii veluti venæsectionis scopi expendenda veniunt, ut quæ non solùm quando sit mittendus sanguis demonstrant, sed & mittendi sanguinis quantitatem, &c. præfiniunt. Proinde rectè à medicis mittendi sanguinis scopi nominantur, quòd in illos venam secare volentes intentos esse, & eò universa consilia sua dirigere oporteat medicum. Primus & maximè proprius mittendi sanguinis scopus est, magnitudo morbi: Si enim magnus vehemensq; fuerit morbus, sanguinem mittemus, etiamsi nulla plenitudinis nota adest: Sic incipiente phlegmone,

Scopi mittendi sanguinis decem.

1. Magnitudo morbi.

aut propter ictum, aut dolore, aut partium imbecillitatem, citra plenitudinem, quantumvis excitata, sanguinem mittere expedit. Quippe ex ictu, aut casu ex alto loco, partes corporis afflictæ, sanguinem ad se præter naturam trahunt, adeoque phlegmones in iis excitandæ occasionem præbent. Proinde ne id fiat, sanguis quem alliciunt, per venam sectam avertendus erit studiosissime. Dolorem autem attrahere, & fluxiones cōcitare, notius est, quàm ut pluribus dici debeat. Ad partes autem imbecilliores, reliquas partes nobiles, sua supervacua reponere, itidem notum est, & nos hæc omnia copiose in cap. 8. libri de Curandi ratione per sanguinis missionem tradidimus. Alter scopus in secanda vena, priore non minus proprius ac necessarius, est virium robur, & imbecillitas. Nam non solùm in sanguinis missione, verùm etiam in omni alia vacuatione maximi refert, languidas & imbecillas vires, à robustis internoscere. Hæc siquidem largam, illæ verò nullam vacuationem ferunt. Quòd si itaque robur validum fuerit, & mittendi sanguinis necessitas incubuerit, sanguis audacter detrahendus. Sin invalidum fuerit naturæ robur, aut nihil, aut parum saltem sanguinis auferendum. Et sub hoc altero scopo, ætatum quoq; ratio senum. præcipuè & puerorum complecti potest. Nam ut cap. 9. libri de Curandi ratione per sanguinis missionem Galenus inquit, nulli, qui in ea ætate senili constitutus est, robur inest. Viribus enim maximè imbecillis est senectus, quæ decrepita nuncupatur, quapropter nullam venæ sectionem tolerat. Qui igitur reliquum vitæ calorem, secta vena, cum sanguine profundit, moribundum in tumulum præcipitat senem. Hinc Galenus post septuagesimum annum, modò vires parum validæ sint, & sanguine haud abundent, senibus venam tundendam esse prohibet. Quòd si verò, in hac ætate constituti, multo sanguine abundarint, viresq; robustas habuerint, si ita morbus jubeat, iis etiam secandam esse

Dolor attrahit.

Virium robur & imbecillitas.

Vires robustæ ab infirmis, & hæ ab oppressis, distinguendæ.

Aetatum ratio.

Senes.

esse venam præcipit. Puerorum autem ætas viribus quidem abundat, cæterùm quia corpus calidum & humidū, molle, tenerum ac patens obtinet, multò tenui humore confertum, quod ipsum sponte sua assiduò discutitur ac defluit, sanguinis missionem tutò non feret: quod enim ex incidenda vena molitur commodum, id ultrò ex corporis natura præstatur. Cùm itaque puerilis ætas ex seipsa habeat, unde naturaliter vacuetur, vacuante proinde præsidio haud eget. Quapropter Galenus, pueris ante quartumdecimum ætatis annum, venam secandam esse, non putat. Quod profectò non simpliciter, de omni venæsectione, & sanguinis missione, sed de venæsectione, veteribus consueta audiendum erit. Nam moderatam, & hodie usitatam, quæ tùm viribus, tùm plenitudini aliqua ex parte respondet, non tantùm pueri, sed & senes etiam ferunt. Sic nostra tempestate in decrepita ætate, quæ gravi urgenteque plenitudine, aut peripneumonia torquetur, sanguinem mittimus. Sunt etiam, qui quinto, aut sexto ætatis anno, tres sanguinis, aut quatuor uncias emittentes, pleuritidem, & alios graviores morbos, sanarunt. Et Avenzoar Arabs filio suo trimo, se utiliter venam tudisse commemorat. Nónne sponte instinctuque naturæ, pueris sanguis interdum abundè prodit è naribus, nulla corporis, aut virium jactura? Cur igitur qui graves morbos experiuntur, non illorum etiam remedia sanguinis missionem sustinerent? Sed ea de re aliàs plura. Quæ inter senectutem, & pueritiam, mediæ interveniunt ætates, quoniam firmis viribus & corpore benè constituto fruuntur, nulla vacuandi præsidia, adeoque nec venæ sectionem metuunt. Prædictos tres sanguinis mittendi scopos, Hippocrates pro antiqua loquendi ratione breviter admodum hac complexus est sententia. In acutis morbis, sanguinem mittes, ubi magnus fuerit morbus, & æger ætate florens, & virium robur affuerit. Tertius scopus secandæ venæ, est natura

Pueri.

An pueris ante decimũquartum annum tundenda vena.

Decrepitis etiam senibus, quandoq; secanda vena.

Sponte pueris profluit ex naribus.

3 *Temperamentum corporis.*

Natura quid. corporis. Natura autem, non est nisi temperamentum, quod ex quatuor elementorum commistione, constat. Qui enim natura, calidiores sunt, amplas obtinent venas, Galeno etiam lib. 2. de Temp. cap. 5. attestante, multo insuper abundant sanguine, ideoq; copiosam ferunt vacuationem. Contra, qui frigidi sunt natura, angustas venas habēt, & exigui sunt sanguinis, proinde sanguinis missionē largam, haud tolerant. Sic humidi natura, iis qui sicci sunt, venæ sectionem faciliùs sustinent. Quartus scopus est corporis habitus, qui si mollis, tener, & rarus est, imbecillus sit, & dissolutioni obnoxius oportet. Proinde idem hic cùm promptè diffluat, & nimiùm resolvatur idcirco, vacuationem ferre non potest. Contrà, qui densus, firmus solidusq; est, pauca è corpore dissipari sinit, ideoque largam vacuationem sustinet. Qui præpinguis, & obæsus existit, quamquam minimùm discutitur, tamen quia angustas habet venas, parumque sanguinis habet, idcircò difficilè venæ sectionem sustinet: Qui mediocriter graciles sunt habitus, Galeno, loco paulò antè citato teste, cùm venarum laxitate coincidunt, idcircò copiosam venæ sectionem ferre possunt. Nec temerè dictum est, Mediocriter graciles. Si enim admodum graciles sunt, copiosam sanguinis missionem haud tolerant. Habent namque & illi sanguinem exiguum. Nulla enim alia de causa tàm vehementer graciles evaserunt, quàm quòd sanguinis copia, adeoque alimento destituti, plurimùm extenuati, atq; exiccati sunt. Quintus in tundenda vena scopus est anni tempus, quod num calidum an frigidum sit, expendendum medico studiosissimè. In calido enim tēpore largiùs vacuati, Galeno lib. 1. ad Glauconem teste, syncope & resolutione intereunt. Quippe calor ambientis, è corpore, foràs evocatum spiritum, & calorem plùs nimis discutit, resiccatque corporis habitum, & imbecilliorem reddit. Proinde tum omninò à sanguinis missione abstinendum erit. In frigido tempore, quia

4. Habitus corporis.

5. Tempus anni.

corpus

corpus refrigeratur, idcirco sanguinis missionẽ prohibet. Quid enim attinet corpus antea abundè satis refrigeratum, sanguinis detractione magis refrigerare? Igitur accõmodatissimum tempus mittendo sanguini ipsum est Ver, quippe quod planè temperatum est, adeoq; neq; nimis calidum, neque suprà modum frigidum. & succi, viriumque plenum. Atq; hoc certè nomine Vere sectam venã præcavendis morbis idoneam esse Hippocrates etiam in Aphorismis confirmat, inquiens: Quibus sanguinem mittere confert, iis Vere detrahere prodest. Galenus quoq; cap. 7. lib. de Curandi ratione per sanguinis missionem, sese multos podagricos aliisq; morbis obnoxios sanguinis missione, principio Veris facta, curasse, & ne subinde in eos morbos inciderent, præcavisse testatur.

Ver sanguini mittendo accommodatissimũ tempus.

7. Aph. 74.

Et statim quidem incipiente Vere, sanguis iis est mittendus, qui Verno tempore morbis capiuntur. In extrema verò ejus parte, iis est mittendus, qui in æstate corripi morbis soliti sunt. Atque hæc sanè distinctio prodest ad rectè intelligendos Galeni locos, qui prima facie inter se pugnare videntur. Is enim interdũ κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ ἦρος, id est, incipiente jam vere: nonnunquam πρὶν ἄρξασθαι τὸ θέρος ἐν τοῖς τελευταίοις τοῦ ἦρος, hoc est, priusquam æstas incipiat, in postrema Veris parte, sanguinem, ad præcavendos futuros morbos, mittendum esse hortatur: Post Ver autumnus, dein hyems, omnium verò minimùm æstas, secandæ venæ apta est.

Quando in Veris principio, & quando in ultima eius parte sanguis mittendus sit.

Sextum, quod in secanda venã consideratur est regio. Ea namque si fervens & arida fuerit, multùm calidi innati, viriumq; multùm etiam peccantis humoris è corpore haurit, ac discutit, hincque adeò vires comminuuntur, paucіorque sanguis in venis manet. Qui igitur in ea degunt, illos parciores in mittendo sanguine esse convenit. Regio autem frigidior, & humidior, innatum calorem, humoresque intus quatenus coercet, horumque minimũ dissolvit, quocirca sanguinis missionem illius

6. Regio.

incolæ melius tolerare possunt. Cæterùm in extremè frigida regione, ut est quæ in Aquilonem devergit, sanguis frigore veluti cōglaciatus vacuationi vix cedit: sed & partes interiores si suo calore, aut ob sectā venam, aut aliam ob causam, destitutę, quia ambientis frigoris ab injuria extinctionis periculum subeūt. In hac igitur regione constituti, sanguinis missione abstineant. Quæ verò inter illas intercedit regio tēperatior, largam sanguinis profusionē tolerat. Proinde eadē est regionis, quæ etiam cœli status, ipsiusq; anni temporis ratio. Septimo loco in sanguinis missione victus ratio, quæ præcessit, consideranda venit, num scilicet pluribus cibis, & potionibus, iisq; multum nutrientibus usus sit æger, aut contrà. Si enim largo est usus cibo, & sic per intemperantiam, crudorum humorum copiam, congessit, huic certè sanguis mittendus non est. Id quod etiam confirmat Galenus, qui cap. 7. lib. de Curandi ratione, per sanguinis missionem ita scribit: Incontinentes, inquit, ebrios, ac gulæ deditos, neq; purgatione, neq; sanguinis missione, magnopere juvabis. Nam per victus intemperantiam, crudorum humorum copiam, celeriter coacervatur. Sin mediocri cibo contentus fuit, & vacuationē tolerare potest, huic intrepidè, re ita postulante, sanguinem detrahes. Octavo loco, qui venam secare cupit, is consuetudinem consideret, necesse est. Siquidem habet hæc ipsa, plurimùm momenti, Galeno lib. 1. cap. 13. ad Glauconem teste, tùm ad alia omnia, tùm maximè ad vacuationis indicationem. Alii enim, nunquam sunt vacuationē anteà experti, neq; integram pertulerunt, largoq; cibo usi sunt. Quapropter sanguinis missionem, inediamque citra noxam non ferent. Quū enim consuetudo proclivitas quædam ac facultas sit, eodem modo semper agendi, aut patiendi, in rebus naturæ tàm amicis quàm adversis, usu longissimo comparata, proinde si quid ægro insolitum, injucundum, quodque extimescat, objiciatur, id sine magno detrimento, sæpè etiam sine gravi peri-

In extremè frigidis provinciis minimè mittendus sanguis.

7 *Victus præcedens.*

8 *Consuetudo.*

Consuetudo quid, & quāta huius sit vis; & efficacia?

periculo, subire haud poterit. In quo genere cùm sit sanguinis missio, hanc vacuationem, sine metu, ac plerumque animi deliquio, si meticulosus sit, & vacuationem nunquam antè expertus, sed liberali cibo semper usus fuerit, non sustinebit. Alii contrà vacuationibus sunt assueti, & parco cibo utuntur: hos itaque, modò reliqua consentiant, intrepidè vacuare convenit: Igitur qui venæ sectionē jam experti sunt; modò vires crebra vacuatione nondum læsæ sint, alacrius ac faciliùs eam perferent, quàm inexperti: Considerandum etiam in mittendo sanguine erit, num is, cui fundendam venam suscepimus, exercitiis, aut otio, usus fuerit. Quippe qui crebrò exercitiis utuntur, quòd eam ob causam, pauca in corpore supervacua congerant, parciùs sunt vena secta vacuandi. Contrà, qui hæc ipsa prorsus negligunt, & in otio universam suam transigunt vitam, aut exercitiis saltem rarò utuntur, largiùs sunt vacuandi. Denique in secanda vena expendendum erit, num consuetæ excretiones supprimantur, aut non: verbi gratia, in viris accuratè scrutandum, num hæmorrhoides, solito profluant tēpore, aut in universum cohibeantur. In mulieribus autem, num statis temporibus menses erumpant, aut prorsus supprimantur. Quibus enim tùm viris, tùm mulieribus, solitæ excretiones, præter naturam retinentur, sine noxa, omnes sanguinis missionem ferre possunt. Quòd si verò illis mediocriter fluxerint, ubi per eas corpus abundè purgatum fuerit; aliam vacuationem non requirent.

9 *Exercitia.*

10 *Excretionū suppressio.*

QVAE VENA INCIDENDA.
Cap. V.

IN mittendo sanguine, accurata diligentia expendendum erit, quæ vena, in quovis partium singularum affectu; secanda sit (interna scilicet, mediana, humeralis, basilica, vena poplitis, an ea, quæ juxtà

malleolum est: tot enim hodie tundi consueverunt venæ) idipsum ex laborantis partis situ maximè indicatur. Non enim ratio solùm; verùm etiam usus ipse, ostendit, aliam, alii parti vacuationem cõgruere. Situs itaque eam venam incidendam commonstrat, quæ in laborantẽ partem inserta, cum ea societatem, cognationemque habet. Quippe hæc, humorem, à laborante sede prolicit. Interna itaq; vena, quam jecorariam in dextro brachio, in sinistro autem lienarem, hodie, medicinam facientes basilicam vocãt secanda, ubi partes quæ infrà cervicem sunt, verbi gratia, latera, pulmo, cor, jecur, lien, aut vẽtriculus laborant. Externa verò, quam humeralem & cephalicam nominant, incidenda, ubi partes quę suprà collũ sunt, facies nimirũ, aut caput, affliguntur. Mediana, (quam alio nomine cõmunem, nigram, funem brachii, matrem, & mediam; barbaram sectantes medicinam appellant) tum secanda erit, ubi interna vel externa vena parti laborãti propria, obscurior fuerit: ab utrisq; enim jã dictis venis deducitur. Vt autem omnes prędictæ partes, venæ sectione in brachio facta juvantur: ita quæcunque iis inferiores sunt, earum, quæ in poplite, aut malleolis inciduntur. Prædictis partibus verò inferiores existunt, quæ juxtà coxam, vesicam, & uterum sunt. Renes autem ambigunt, siquidem in feriores sunt iis, quas prius recensuimus, collo nimirum ac thorace: superiores autem iis, quas secundo commemoravimus loco, coxa scilicet, utero, & vesica. Quapropter venæ sectionibus in gibbero factis interdũ auscultant, quando inprimis phlegmone recens fuerit: ac sanguinis copia, sive plenitudo simul aderit. Qui verò affectu illo laborant, quẽ propriè Nephritim nominant, his, eam, quę in poplite est incidere oportet, aut omnino eas, quæ in malleolis sunt. Cæterùm, non indiscriminatim quævis prædictarum venarum secanda erit, sed in mittẽdo sanguine semper τὸ κατ' ἶξιν, ut Hippoc. nominavit, observandum erit. Hac autem loquẽdi ratione nihil aliud innue-

Quot venæ hodie secentur.

Incidendam venam, indicat situs.

Interna vena quando tundenda.

Externa.

Media.

Vena poplitis, & malleoli.

Renes ambigunt.

In Nephritide poplitis incidẽda vena.

κατ' ἶξιν.

innuere voluit, nisi τὸ κατ' ἰθὺ, hoc est, quod in rectum, aut è directo est, vel ἀθυωρίαν, id est rectitudinem, ut alibi fusiùs ostendimus. Rectitudinem autẽ non mathematico more, sed verè medico loquendi genere rectam lineam intelligimus, quę in directo, ejus venæ processu cernitur, per quem est humorum cursus. Alii rectitudinem secundum fibrarum, quæ in venis sunt, rectum ductũ, æstimant, quòd in idem recidere videtur. Nam horum sententia illæ corporis partes è directò sitæ sunt, in quas rectę fibræ diriguntur. Qua quidem ratione sinistrũ crus, è directò dextri, & contrà dextrum è directò sinistri situm intelligitur, quòd ex hoc in illud, vena rectis fibris concedit. Estque necessaria consideratu hæc fibrarum rectitudo, non certè quòd trahendo juveni, quandoquidem sanguinis redundantis expulsio, solarum transversarum fibrarum munus sit: sed quòd excretrix facultas, in ista fibrarum rectitudine actionem suam expeditiùs obeat. Proinde etsi rectas fibras nihil trahendo in sanguinis missione conferre concedimus, tamen plus sanguinis & expeditius ab iis partibus, in quas diriguntur, aut rectæ fibræ perveniunt, quàm ab aliis prolicitur. Siquidem ex fluxionis conditione & proclivitate, humores recto fibrarum ductu promptiùs & faciliùs currunt ac fluunt. Quare non temerè in morborum judiciis, humorum cursus omnes, qui hoc modo per directum fiunt, laudantur. Contrà vituperantur, qui ordine inverso obliquè in transversum feruntur. Rectitudo igitur partium, & venarum inter se consensus, societas quædam & communicatio est, quæ nusquam reperitur, nisi simul etiam fibrarum rectitudo adsit. Hæc itaq; perpetuò medico observanda erit, sive revulsione, sive derivatione, sive vacuatione utendum sit. Nam in revulsione humorum nec dextrum, nec sinistrum, nec sursum, nec deorsum, nec foràs, nec intrò, contraria sunt, nisi & in venarum fibrarumque recto cursu col-

In sanguinis missione rectitudo semper observãda.

Rectitudo quid.

Fibrarũ rectitudo, in secandis venis cur observãda sit.

In Revulsione, quid spectetur.

locentur. Sic quidem ſiniſtrum latus, dextro contrarium non eſt, niſi ab hoc, in illud, communis & directa ſit venarum ſocietas, per quam ſiniſtrum latus inciſum, è dextro evocare poteſt. Quod diſertè Galenus multis in locis ſuorum monumentorum teſtatur, præſertim verò libri decimitertii Ther. methodi cap. 11. & lib. 2. ad Glauconem, cap. 7. ubi ita ſcriptũ reliquit: Influentium adhuc humorum retractio revulſióve, obſidentium verò jam locũ, derivatio, medela eſt. Vtrunq; autem vacuationis genus per communes venas fieri debet. Communes autem vocat venas, quæ cum laborante parte communicantiam, & ſocietatem quandam obtinent. Cauſam verò, cur per communes venas, tùm revellendũ, tùm derivandum ſit. Galenus in libello de Artis conſtitutione hanc ſanè reddit: Ex proximioribus enim, inquit, & communibus laboranti parti venis, vacuatio optima & facillima fit. Quin etiam rationi conſentaneum eſt, eam potiſſimùm incidendam eſſe venã. quæ cum ea, quæ in afflictam partem inſeritur, ſocietatem cognationemque præcipuam habet. Quippe per illam ipſam, à laborante particula, humor pernicioſus non modò promptiſſimè, ſed etiam celerrimè & potentiſſimè detrahitur vacuaturque. Cùm itaque propter communicationem illam ſocietatémve, expeditior ejus, qui ad ægram partem jam confluit, aut fluxurus eſt, ſanguinis fiat revulſio, & ejus qui jam confluxit à parte laborante derivatio & vacuatio, debet certè hęc ipſa venarum ſocietas, & communicatio ſummo ſtudio in omni ſanguinis miſſione, ac vacuatione, à medico obſervari, quæ certè quadruplex eſſe ſolet. Vna eſt; quæ ſanguinem in aliquam corporis partem procubiturum & illapſurum duntaxat retrahit, & revellit, hoc eſt, in contrarium trahit latus, parteſq; diſtantiſſimas ablegat. Neq; enim revulſio, quæ Græcis ἀντίσπασις dicitur, aliud eſt, quàm humorum in contrarium tractus. Contrarium autem eſt, quod è contrario fluxionis, in recto venæ proceſſu ſitum eſt.

Revulſio & Derivatio quid?

Communes venæ.

Quadruplex ſanguinis miſſio, atq; vacuatio.

Revulſio quid?

Contrarium quid?

Ejus

Eius certè missionis sanguinis usus esse debet, quum à futuro morbo tueri medico consilium est. Siquidem tum sola confluxuri sanguinis revulsio sufficit, quòd nihil adhuc aut parum humoris in ullam corporis partem confluxerit. Atq; hæc quidem ad maximè longinquas partes fieri debet. Id quod Hippo. in lib. de Ossium natura iis confirmat verbis: Danda, inquit, opera est, ut quàm longissimè à locis, ubi dolor est, & sanguis cogi solet, venarũ incisiones fiant. Sic enim haud magna repentè mutatio fiet, & consuetudinem mutaveris, ne amplius eo loci sanguis coëat. Loqui verò Hippoc. de ea venæ sectione, quę à morbo tuetur, & præservat, hæc verba, Vbi dolor & sanguis cogi didicit: & item hæc, Consuetudinem mutaveris: satis indicant. Sic Galenus etiam cap. 11. de Curandi ratione per sang. missionem, ad revellẽdam menstruam purgationem mulierum, venam in gibbero secandam esse præcipit, nulla alia de causa, quàm quòd tum satis sit medico, profluxurum ad uterum sanguinem, in cõtrarium, & ad maximè longinqua trahere. Altera sanguinis missio est, qua iam illapsi humoris tractus, ad vicina & in latus fit. Hæc Græcis παροχέτευσις, Latinis derivatio, quòd sanguinem è laborante parte in vicinum locum derivet, dicitur. Fit, verbi gratia, in pleuritide, quando sanguis, à venis, costas phlegmone obsessas alentibus, in cavã transfertur venam. Per has enim & costæ alimentum capessunt, & noxii humores præter naturam in easdem influunt. Eius usus est, quando humorem, laborantem partem actu iam obsidentem in latus, & vicina trahere loca, medicus studet. Tertia sanguinis missio est, qua procumbens iam & illabens sanguis, revellitur simul & derivatur. Quare eius usus tum maximè erit, quando phlegmone in generatione adhuc est, quòd scilicet in ea, pars sanguinis adhuc ad laborantem locum confluat, & pars iam ei influxerit. Is enim qui nunc in partem irruit & impetum facit, revulsionem: is autem, qui iam substitit, atque in ea hæret, derivationem requirit. Quar-

Revulsionis usus quis?

2 *Derivatio quid, & unde dicta.*

Derivationis usus.

3 *Revulsio cũ Derivatione coniuncta.*

ta sanguinis vacuandi species est, quæ itidem ex ipsa laborante fit parte. Quando usqueadeò fluxiò infarcta est parti laboranti, ut omni fluendi remeandiq; habilitate sit orbata, quod in diuturnis & inveteratis phlegmonibus frequens est, in quibus scirrhosæ quædam reliquiæ inhærent. Hæc cucurbitularum maximè ope completur, & cõmodissimè simplex, quòd scilicet duntaxat vacuet, citrà id quòd revellat aut derivet, appellatur. Fit enim ex ipsa tãtùm laborante parte, adeoq; nec ad contraria, nec ad propinqua trahere potest. Ex iis igitur, quæ hactenus dicta sunt, perspicuum evadit, quæ vena in quovis partium affectu secanda sit. In plenitudine enim, cui nulla partis plegmone coniuncta est, illinc plurimũ detrahere sanguinem par est, ubi fons & origo est eiusdem. Proinde commodissimè usuq; maximo tundetur tunc vena dextri gibberi interior, quę à iecore, utpote sanguinis fonte, plurimum prolicit: ipsoque de fonte sanguinem exhaurit. Eadem prorsus ratione in febribus (citrà plegmonem) continentibus, tàm simplicibus, quàm putridis, continuis & omnibus aliis, in quibus venæ sectio convenit, interior dextri gibberi vena incidi debet, dempta quartana, quæ interiorem sinistri brachii flagitat venę sectionem. Quòd si verò phlegmone pars aliqua corporis obsessa fuerit, eam venam, quæ rectitudinem cum laborãte particula habet, incidere oportet: verbi gratia, in dextra pleuritide, interior dextri gibberi vena tundenda venit, quòd huic cum dextris costis rectitudo communio, & societas sit, adeoq; promptè, quòd ab ea parte simul revellat, derivet, atque vacuet, pleuritim hanc adiuvat. Revellit namq;, quia sanguinem ad costas procumbentem in contrarium trahit. Derivat, quòd sanguinem, ægram partem obsidentem, ad vicinam, nempe cavam venam, transfert. Hunc revulsum & translatum tãdem, extrà corpus educit, & vacuat. Secta autem in sinistro brachio vena, dextram pleuritidem non adimit: sed cùm illi, nulla sit cum ægra particula

Vacuatio simplex.

Quæ vena in quovis affectu secanda.

In plenitudine.

In febribus.

In phlegmonibus partium.

In pleuritide dextrâ quæ aperienda vena.

ticula

ticula rectitudo & societas, bonum duntaxat sanguinem educit, noxio in laborante particula relicto: eodémve puro sanguini venarū permisto, &, quod frequentissimè accidit, sinistram pleuritidem invehit. Dextræ autem pleuritidis non ab re exemplo usi sumus, quia sinistræ alia est ratio, ubi alibi copiosè mōstravimus. Verùm obstabit huic rationi sciolus quispiam, & dicet: Quomodo à dextro latere in sinistrū transferetur sanguis noxius, quùm, te etiam authore, illis inter se nulla sit societas, ac rectitudo? Respondeo, Duabus de causis. Vna quòd vacui ratio hoc ipsum requirat. Necesse enim est, in vacuati sanguinis locum, vicinis præsertim venis vehementer inanitis, alium succedere. Trahentibus itaq; propter inopiam venis in adversa & sinistra parte, ægræ partes promptè cōcedent, utpote quibus sanguis iam nō tantùm sua copia, sed & vitiosa qualitate molestus est. Quòd si tamen sua sponte partes ægræ non concederent, aut à se propellerent, tamen ut trahentibus partibus, tamquam fortioribus se & adhuc integris, aliquid concedant, necesse est. Trahit enim perpetuò ab imbecilliore, pars robustior. Altera, quia expultrix facultas, (quæ suum munus per transversas fibras, ut dictum est, obit) à noxio & redundante in afflicta parte sanguine irritata, hunc ocyssimè in oppositum latus iam vacuatum, atque adeò tum vacui ratione, tum quia validius eumdem ad se trahit, transfert. Quòd si verò adversarius elabi cupiens dicat, latus sinistrum nō à dextro, in quo vitiosus sanguis est, sed à reliquis potiùs partibus, in quib. bonus est sanguis, trahere: respondendum illi, fieri, quod imaginatur, non posse. Hæ namque partes, in quibus probus hæret sanguis, utpote validiores, sinistro lateri iam vacuato, adeoque imbecilliore nonnihil, harum saltem, collatione, reddito, nihil concedent. Nisi fateri velint, imbecillius ab eo, quod se se fortius est, quod tamen fieri nequit trahere posse. Ergo cum in phlegmonibus omne medici cōsiliū eò spectet, ut à loco

Obiectio diluitur.

Alia Obiectio.

phlegmone obsesso, plus sanguinis, celeriùs, ac potentiùs quàm à reliquis partibus hauriat; vena certè incidenda erit, quæ in directo situ, partis laborantis est. Sic enim & naturam, unà cum ratione, & Hippocratem, summum virum, imitabimur, qui in pleuritide, interiorem manus venam, secare iubet, ab eo latere, quod è directo est. Idem quoq; præcipit gravissimus autor, & post Hippocratem, maximus Galenus, qui non solùm in pleuritide dextra, verùm etiã in iecoris phlegmone (cui tamen venæ omnes societate iungũtur) interiorem dextræ manus aperiendam iubet, libro decimotertio Ther. meth cap. 11. iis quidẽ

4. Victus acut. 67.

„ verbis: Cùm iecur iam phlegmonem contrahere cœ-
„ pit, pariter tùm revellendus, tùm vacuandus. qui ad
„ iecur fluit, sanguis est, interna in dextro gibbero secta
„ vena, propterea quòd è directo est, & ampla via cum
„ vena, quæ cava dicitur, societatem habet. Quibus sa-
„ nè verbis primam eam venæ sectionem, quæ è directo est, non solùm revellere; sed & derivare, ac vacuare disertè docet. Vacuationis enim voce hìc, ut sæpè alibi, quemadmodum cap. 16. libri de Curan. ratione per sang. mis. ostendimus, derivationem intelligit. Atque iis certè venis, quæ sunt in directo rectòve positu, tantam vim attribuit, ut non comparẽte interna, mediam secandam iubeat, & si nec ea se profert, ad humeralem confugere malit, quàm ad eã quæ est in adversa manu. Non solùm autem in iecoris, sed & omnium aliarum partium phlegmonibus, in summa, perpetuò, ibidem eam, quæ è directo est, tundendam venam esse docet. Atq; eius rei rationem alibi passim exponit, nempe cap. 15. lib. de Curanda

Vacuationẽ pro derivatione Galenus sæpe usurpat.

„ ratio. per sang. missio. ubi inquit: Revulsio enim è di-
„ recto facta, evidentem utilitatem celeriter affert: at è transverso, nequaquam. Si revulsionis causa, inquit ibidem, venam incidas, è directò quidem sanguine profluente, evidẽtem protinùs commoditatem percipies: si verò contra venam seces, nihil omnino proficies. Et paulo post: Si pleuriticis, quæ è directò laboran-

cap. 7.

Revulsionem è directo instituendam probatur.

borantis lateris est, vena incidatur, evidentissimum sæpenumerò subsidium ostendit: sin ex manu adversa, aut omnino obscurum, aut longo pòst tempore. Quippe quæ per finitimam amplam, & è directo sitam venam fit revulsio, validissimè, plurimùm, & celeriter à phlegmone obsessa parte deducit & revocat, priusq; putrem & inquinatum, quàm ex reliquo corpore benignum & salutarem sanguinem educit. Dein Galenus maiore usu, & emolumento, venam è directo sitam secari inquit: non solùm quùm fluxio substitit, sed & statim inter initia, ubi iā invadit phlegmone iecoris & lateris, præcitatis verbis innuit aptissimè. Nam ea venę sectio ad omnia ferè conferens revulsionis, derivationis, & vacuationis vices sustinet. Quippe humorem, qui ex vena cava fluebat in iecur, vel in latus, retrò in cavam revellit venam: impactum iecori aut lateri, in eam ipsam venam cavam transferendo, derivat: utrumq; verò foras vacuat, necnon iecur latúsve, adiacentesq; illis amplas venas exhaurit. Quumq; hac ratione, pars laborans, magis quàm cæteræ exinanita fuerit, si ad penuriam usque detractum sit, vix denuò pars eadem alia humorum fluxione conflictabitur, nisi fortè novo vivendi errore peccetur. Distantes enim partes egenæ atque alimento indigentes, proprium sanguinem elabi non sinent, nec pars ægra, nisi dolor aut calor restet vehemens, ab illis eripiet: imbecilla quippe est, nec multo eget alimento. Vbi autem mox ab emisso sanguine phlegmones dolor placatur quidem, tamen posteà, nullo ægroti, aut assidentium errore recrudescit, signum hoc est certissimum, nec ad indigentiam, nec satis detractum fuisse. Quare quod defecit, supplendum erit, eadem vena deintegro incisa denuo, sed tantisper tamen à priore sectione intermittendum est, dum aliquid humorum corporis remigret in venas, quod non ante quartam horā fieri potest. Quæ diximus, nihil cum iis pugnant, quæ libro 13. Ther. method. cap. 13. Galenus scribit, ubi

Eadem deintegro vena quando cadenda denuo.

Obiectio diluitur.

revulsionem ad distantissima fieri præcipit, iis quidē ,, verbis: Siquidem longissimè à tentata fluxione parte ,, quod redundat revellere, nequaquam ad eam trahe- ,, re, convenit. Nam venæ sectio non trahit ad ægram partem, sed ab ea revellit, derivat in latus, & vacuat, ut dictum est. Quare hoc Galeni præceptum ad venę sectionem detorqueri nec potest, nec debet, sed ad ea potius præsidia, quæ ad laborantem partem humorum defluxum promovent, qualia sunt purgatio, vomitus, cucurbitulæ, urinam moventia medicamenta, & id genus alia, de quibus eo loci Galenus nominatim mentionem facit. Quamquam autem etiam venæ sectione interdum utimur, quæ ad maximè longinquas partes revellit, tamen hoc non fit, nisi ubi à futuro morbo, ut diximus, tueri ęgrum, medico consilium est. Vbi autem partes internæ iam phlegmone laborare cœperint, vena in distantissima parte aperienda minimè erit. Nam hæc ipsa noxium humorē ignaviùs tardiusque concitat, neq; hunc à sede laborante abducit, sed benignum duntaxat tollit, & si copiosa fuerit hæc sanguinis missio, vitiosum è propria sede raptum sanguinem, cum utili salutarique confundit. Est autem in phlegmone, celeriùs & validiùs ab ægra sede, Galen. lib. 2. Vict. acut. comm. 10. etiam attestante, tùm revellendum, tùm vacuandum: & ut ibidem Hippocrates quoq; docet, sanguis eousque detrahendus sæpènumero, quoad colorem mutaverit, quorum nullum certè consequemur, nisi quum amplam venā è directo loci laborantis sitam tundimus, utpote quæ hæc omnia commodissimè præstare queat. Non est igitur ulla in phlegmone ex distantissimis partibus sanguis revellendus: sed tum solū, quando futuram fluxionem prohibere studemus, ut scilicet ea fluxio, in tractum novæ viæ longiorem, conversa, sensim à pristina consuetudine citra virium offensionem desciscat. Ex quibus promptè iam intelligi perspicique potest, quanto in errore versentur Arabes, & qui eorum præceptis instituti sunt, pro-

Quando ad maximè distantia loca revellendum.

In distantissima parte, ubi viscera phlegmone laborant, vena non tundenda.

Arabum &

ptereà

pterea quòd arbitrantur in phlegmonibus, non eam quæ in rectum, sed potiùs, eam quæ ex adverso est, venam incidendam esse. Nec huius sui dogmatis aliam rationem prætexunt, nisi quòd eiusdem lateris venam incisam, fluxionis impetum augere dicunt: quod tamen nos constanter negamus, & à veritate, (qua nihil antiquius esse debet,) quod asserunt omnino abhorrere dicimus. Fiunt enim internæ phlegmones, (de quibus hic potissimùm nobis sermo est) ubi sanguis præter naturam in aliquam corporis partem, verbi gratiâ, in pleuritide in latus, irruit. Sectâ itaq; interiore eiusdem brachii vena, sanguis è latere, in cavam venam revocatur, hincque per gibberum foras profunditur. Quapropter apertâ hac vena, fluunt quidem humores, minimè tamen in partem ægram, sed foras eunt, id quod ægrotanti utile est. Sed instant Arabes: In vacuatorum locum, ut alii succedant humores, est necesse, igitur augetur fluxus. Respondeo: Neutrum fieri oportet. Si enim hac sanguinis missione solus humorum excessus tollatur, in eorum locum non fluent alii, quòd neq; in sanis, adeoque transmittentibus partibus, ut pellant, est excessus: neque in recipientibus seu ægris particulis, ut eius ratione attrahant, est defectus. Detur tamen, quoniam, venis vehementer vacuatis, fieri potest, alios in vacuatorum succedere locum humores; iam fluent humores: fatemur, sed non præter naturam: quoniam neq; vitiosi (deteriores enim vacuati sunt) neque multi, cùm in aliis corporis partibus, utpote sanis, nulla sit humorum redundantia. Trahent itaque tunc partes vacuatæ, ac viciniores venæ sectę, alimentum a distantioribus, ac plenioribus, propter totius corporis consensum, sed ea duntaxat quantitate, qua tenuiter refici possunt. Minus igitur attrahent; quàm reliquerunt profuderũtq; naturalis proportionis comparatione, aliàs vis minor traheret maiorem, id quod absurditate non vacaret, suprà ut iam ostendimus. Et quid multis opus est verbis? præstat

qui eorum præcepta sequuntur medicorum immensus error de revulsione, ex adverso instituenda.

Internæ phlegmones causa.

Obiectio diluitur.

In vacuatorũ humorum locum succedũt alii, sed neque noxii, nec nimii humores.

certè in partibus morbo vicinis; esse tàm modicum alimentum, ut aliunde trahant, quàm esse tàm multum, ut vel in alias partes pellant, vel trahentibus ipsum affatim concedant. At saltem, inquiunt, quum ingens aderit plenitudo, ne fluxio geminetur, copia primùm, vel ex inferiore pedis vena, quã Saphenam vocant, vel ex adversi brachii interiore basilica subtrahenda, mox verò reliquiæ ex eodem latere sectione demendæ erunt. Verùm quid hoc quæso consilii est, ægrum toties torquere, ac veluti de industria excarnificare; quũ semel possis hoc è morbo, omnibusque levare symptomatibus? Sectio enim venæ è directo laborantis partis, qua ad indigentiam profunditur sanguis, copiam è plenissimo fonte haurit, simulq; phlegmone obsessam partem relevat, nullum metum novæ fluxionis, morbiq; exacerbationis afferens. At ex aliis venis, quæ è directo non sunt, aut in distantissimis locis, detractus sanguis, solam copiam imminuit, nec quicquam tamen depravati elicit sanguinis, adeoq; oppressę parti levamentum aut nullũ, aut per quam exiguũ adfert. Etsi casu eveniat præ vacuationis multitudine ægrã partem exinaniri, putris tamen eius partis humor, puro venarũ sanguini permiscebitur, redderturq; malũ, quod corrigendũ fuerat, pristino deterius. Vt hãc unam mehercle ob caussam omnibus iis, qui ad Arabum, ac ineptorum quorundam hominum doctrinam impuram, scabram, præposteram, barbarã succum lectori facientem, malæ fidei, vacillantem, garrulam, intricatam, sibi non constantem, adeoq; bonorum ingeniorum omnium scopulos syrenios defecerunt, ad castissimam illam, ac purissimam Grecorũ scholam, sit redeundũ, nisi operæ oleiq; amissione, laborumq; omnium iactura, in iis sentibus, unde exitus illis nullus subinde patebit, consenescere velint. Verùm ut ii, qui mordicus Arabum præcepta tenent, errori suo patrocinium aliquod quærãt, nõ verentur profectò nobis obtrudere Galenũ, inter Grecos summæ authoritatis medicum, quem

Obiectio alia diluitur.

Arabum doctrina qualis.

Obiectio dissolvitur petita ab auctoritate Galeni.

quem manib. & pedibus in Arabũ concedere senten-tiam dicũt, lib. 13. Th. meth. c. 5. ubi altero crure malè habente, reliquum esse scarificandũ præcipit. Quasi verò is locus, illorum errori patrocinari quicquã pos-sit, quùm tamẽ constet, illũ iis verbis aliud nõ docere, nisi iis membris, quæ læsa sunt, nõ esse adhibẽda eius generis remedia, quæ fluxionẽ ad ea concitare pos-sunt, ut sunt cucurbitulæ tùm leves, tùm cum scarifi-catione adhibitæ. Ipsa enim scarificatio per se, eo ꝙ dolorem excitet, fluxionem ad ægram partem trahit. Quapropter rectissimè dextro crure laborante, sini-strum esse scarificandum, ut quàm longissimè à parte tentata fluxione, quod redundat, revellat, Galenus hortatur. Ita enim esse faciendum alibi etiam suadet, nempe cap 95. Artis medicę, ubi ita scriptum reliquit: Si universum corpus plus æquo plenũ fuerit per æ-grã partem minimè vacuandum. Nam si scarificatio-nibus, aut sectionib. sensibiliter vacuabimus, plus ra-tione excitati doloris attrahemus, materiæ morbidæ in ægrã partem. Sed dices, Cur non crure laborante manum potiùs quàm reliquũ crus, quandoquidẽ ibi-dem manu laborante, crus scarificandum esse nõ ob-scuris verbis innuat, scarificãdũ esse docuit? Respon-deo, Quòd nulla sit rectitudo manus dextræ, cum si-nistra, aut contrà sinistræ cũ dextra; sed potiùs cũ cru-ribus manus rectitudinẽ obtineãt, ut ex ꝓcessu vena-rũ, & earũdem fibris manifestissimũ fit. Prætereà di-versitatis nõ exigua subest ratio, hæc nimirũ: Crurib. laborantib. nõ facilè sursum humores trahũtur. Quã enim ratione, fieri posset, ut id quod grave est, expe-ditè sursum traheretur? promptiꝰ utiq; in pãrtes sca-rificatione vacuatas, è vicinis & supernè deorsum, quã infernè sursum, humores ferũtur. Accedit, quòd manus, magis distent à cruribus, quã ut facilè eò ali-quid, à cruribus trahi, aut revelli queat. Nam manu scarificata, aut in ea vena secta, priùs universus, ꝗ est in ea vena, & vicinarum partium vasibus, sanguis va-cuãdus erit, quã sequatur is, qui in crure est. Hinc est

Cur altero crure laborante, reliquum scarificandum sit.

Alia obiectio.

quòd in phlegmone crurum, de qua hîc Galeno sermo est, non in manu, sed in altero, quod sanum adhuc est, crure venam secemus. Longior enim à cruribus ad manus distantia est, quàm ut ab iis revellere, & vacuare celeriter, qđ in phlegmone requiritur, possis. Alterum verò crus, laborãti cruri multò vicinius est, & cum eo quoq;, ut anteà ostensum est, rectitudinem & cõmunitatem obtinet. Quapropter ex eius venis, utpote vicinioribus & ægræ parti communibus, vacuatio fit optima & facillima, Galeno etiam in libello de Artis constitutione teste.

Alia, Arabũ obiectio.

Verùm iterum instabunt adversarii dicentes: Si crura inter se rectitudinẽ, propter venæ cavæ, circa lumborum vertebras divaricationem, habent, quî fit, ut Galenus cap. 19. libelli de Curan. ratio. per sanguinis missionem, in podagrâ ex gibbero detrahendum esse sanguinem, & nequaquam ex cruribus iubeat?

Responsiones. In podagrâ mittendus sanguis non ex crure, sed ex gibbero seu brachii venis.

Respondeo, Duabus de caussis: una, quòd in podagra utrunque crus, etsi non semper uno & eodem tempore, tamen per vices, neq; ex longis temporum intervallis, laboret. Non potest itaque, nec etiam debet, in ægris cruribus revulsionis causa incidi vena, aut scarificatio adhiberi, sed in partibus distantibus, ut scilicet illabentium humorum tractus, in contrarium fieri possit. Altera, quòd in podagra sanguis sua duntaxat copiâ, quæ præter naturam ad crura decũbit, peccet, & minimè, ut in phlegmone, putris ac vitiosus sit. Quapropter licet tum ut & aliis similibus in casibus, imò necessarium est ad prohibẽdum sanguinis ad crura defluxum, minuendamq; partium transmittentium copiam, in distantiore parte secare venã, quòd hîc sola sufficiat revulsio, secùs atq; in phlegmone cruris, ubi etiam vacuatione ex laborante parte opus est. Quocirca tum venam in altero crure, utpote quod cum laborante rectitudinẽ habeat, incidere oportet. Atq; hæc copiosiùs à nobis dicta sunt, ut Arabum perniciosum sanè, hodie tamen usitatum errorem, de revulsione, ex adverso latere instituenda, non solùm detegeremus, sed & confutaremus.

QVAN-

QVANDO AD ANIMI DEfectionem usque sanguis mittendus. Cap. VI.

QVum in virium constantia & firmitudine morbus invadat magnus, & periculosus, vasa insuper immoderatiore copia, ut in bono athletarum habitu; aut continentibus febribus accidit, distendantur: uberior certè sanguinis missio, quæ affectus magnitudini usquequaque respondet, eumque lenire potest, requiritur. Imò in eo quicquid præponderat, & mediocritatis limites transcendit, summovere maiorum & præstantissimorum medicorum institutis conceditur. Quinimò Hippocrate & Galeno, primariis medicis testibus expedit, usq; ad animi defectionem ducere, si æger tolerare possit. Et Galen. quidem sectione 1. Aphorism. comm. 23. multisque aliis locis firmissimè asseverat, in ardentissimis febribus, in maximis similiter phlegmonibus, & in vehementissimis doloribus experientia se didicisse, maximo ægrorum cõmodo, huiuscemodi vacuationem confertam, & largam conferre, modò vires sint validæ. In ardentissimis utique febribus, (quod earundem feruor statim extinguatur, habitusque corporis refrigeretur, plurimis etiam multoties alvus citetur, aut sudores emanent,) conducit huiusmodi largissima sanguinis missio: ad hæc in maximis phlegmonibus, quòd hoc præsidio ferventis sanguinis copia educatur, & obsessa phlegmone pars refrigeretur, atque ne in aliquam partem principem, feruentis sanguinis multitudo ingruat, prohibeatur ulteriùs. In vehementissimis doloribus, quòd sanguinis affluxũ, ad partem quam dolor vexat, inhibeat: Cùm enim dolor omnis attrahat, & fluxiones commoveat, necesse est, ut è vena, quæ societatem cum dolente parte obtinet, sanguinem mitta-

In ardentissimis febrib. quare ad animi defectionem mittendus sanguis.

In maximis phlegmonib.

In vehemẽtissimis doloribus.

Dolor trahit.

mus, ne scil. in hanc supervacuus sanguis decumbat, & in ea phlegmonem excitet absentem, præsentemq; exacuet. Sæpè etiam excretoria facultas causam, quæ dolorem excitat, ejicere dum properat, phlegmonē in particula excitat. Quùm enim primis suis conatibus nihil profecit, vehemētius aggressa, (Galeno etiā lib. 13. Ther. meth. cap. 3. teste,) quod infestat expellere, sanguinis aliquid ex superioribus partibus, in afflictam simul exprimit. Atq; hinc fit, quòd ex dolore particula, ob molem confluentis in eam humoris, in tumorem attollitur. Atqui hîc nobis fortè quispiam alium Galeni locum, cum iis quæ diximus ex diametro pugnantem, obtrudet, in quo disertè prohibet, in doloribus confertim vacuandum esse. Is autem est in lib. 1. ad Glauconem, cap. 13. ubi ita inquit: Quùm vehemens vigilia, dolorq; gravis ęgrum infestat, subitas & multas vacuationes vitare oportet. Sed si rectè cōmemorati iam loci expendantur, & diligenter quid utrobiq; doloris nomine intelligatur, consideretur, nihil pugnare videbuntur. Siquidē ubi in vehementissimis doloribus, ad animi defectionem usq; vacuandū esse hortatur Galenus, illic certè dolor, pro affectu dolorifico, aut in quo dolor excitatur, accipitur. Quo sanè modo sæpè ab Hippocrate, Galeno sectio. 2. Aph. Comm. 6. attestante, usurpatur. Vbi verò cavendas esse, subitas, ac multas vacuationes in doloribus iubet, hîc quidem dolor pro symptomate, nō pro affectu dolorifico sumitur. Loquitur autem eo loci potissimùm de dolore, qui febris symptoma est. Nam illic Galenus ex professo de continuarū febriū, quæ cum symptomatibus dolorosis coniuncta adhuc sunt, curationibus agit. Vera esse, quæ dicimus, confirmant ea, quæ ibidem scribit Galenus, quùm rationem reddit, cur non affatim confertimq; vacuandum sit, inquiens: Sed & aliquid symptomati, relinquendum est. His enim verbis nō universam copiam noxiorum vacuādam esse, sed aliquid dolori, qui vires mirificè dejicere solet, relinquendū tribuendūve

Phlegmones generatio accidentalis.

Obiectio diluitur ab auctoritate Galeni.

Doloris nomine Galenus intelligit quandoq; affectum dolorificum.

potius

potiùs esse innuit. Parciùs itaq; tum vacuandum, ne dolor in febribus excitatus, vires omninò prosternat. Cæterùm veteres quando dicunt ad animi usque defectionem mittendum esse sanguinem, vacuandúmve, non, ut nonnulli existimant, defectionem excludunt; sed volunt, ut hæc ipsa, uberiorem vacuationem cõsequatur, quemadmodum fusiùs in enarratione aphorismi tertii, primæ sectionis aphorismorum monstravimus. Hanc enim defectionem, in malis enumeratis, tanquam legitimum vacuationis modum & terminum statuunt. Verùm non simpliciter, nec sine iudicio sanguinem usque ad lipothymiam, animíve defectionem mittere permittunt, sed eousq; præcipuè vacuandum, quùm iam vires præ vacuatione manifestè ingravescunt, & initium patiũtur defectionis animi, atque lipothymiæ, tunc vacuationes cohibendas esse, neque unquam vacuationes ad extremum, & usque ad syncopen deducendas censent. Syncope enim omnium virium præceps lapsus est, adeò ut qui illâ opprimuntur, nec audiant, nec videant, nec sentiant, nec moveantur, &, ut uno verbo expediam, omnes functiones quasi interceptas habent. Lipothymia autem mitior est omnino affectus, utpote in quâ etiamnùm ægrotus loquitur, audit, videt, agnoscitque præsentes. Nam in hâc spirituum influentium tantùm exolutio fit, remanentibus viribus principum partium insitis, ac congenitis. Hinc alio nomine Græcis ἔκλυσις, id est, exolutio, dicitur. Etsi igitur in λειποθυμίᾳ sive animi deliquio, spiritus iam dicti exolvuntur, & vires aliquo modo dispereunt, attamen ex insitis atque congenitis spiritibus, aliæ denuò suscitantur vires, è quibus facilè æger recreari, ac pristinas vires recuperare potest. Si itaque vires illæ quæ principibus partibus insitæ sunt, languent, ægerque hoc nomine imbecillis est, tùm nequaquam ad animi deliquium vacuandum erit, etiamsi hoc morbus requirat, quòd scilicet si illud obrepserit, instaura-

Ad animi defectionem usq; vacuandũ esse, quomodo intelligendum.

Syncope quid.

Lipothymia quid.

In viriũ imbecillitate minimè vacuãdum ad leipothymiam.

tio nulla fiat, sed hoc, mox syncope, & hanc, ipsa mors sequatur. Tentandum igitur est, exuperantem humorem educere, quoad vires tolerant, ut infrà latiùs dicetur. Quoniam igitur syncope mortis imago est, quæ assidentes perterret, & ægrum in maximum vitæ discrimen adducit, in eam, nunquam medicus, vacuationis magnitudine ægrotum, præcipitet, modò existimationem suam inviolatam tueri, neque in ullas obtrectatorum reprehensiones incurrere velit. Conducibiliùs itaque est ægrum diutius torquere, affligere, quàm unà cum morbo vitam omnem profundere. Nec rectè morbum demit, qui, cum illo, ægrum de medio tollit. Atqui dices, quid igitur faciendum; si cum virium imbecillitate magna redundabit humorum copia, cuius ratione, ut morbum depellamus, multa certè vacuatio necessaria erit? Tum certè semel & universè facta vacuatio citrà maximum periculum adhiberi non potest, utpote quam vires tolerare nequeant. Respondeo: Si propter virium imbecillitatem nequit universa vacuatio simul & semel compleri, cùm præstantior virium quàm morbi sit observatio, partitione utendum tunc, idque summo iudicio, summaque prudentia adhibitis. Partitio autem fit ex modicis intervallis, atque vel dissoluto vinculo, vel digito vulneri intermisso fiat tantisper, dum cibis boni succi, & morbo minimè adversis, vires reficiantur. Interdum autem horâ unâ, interdum plures, quin imò aliquot nonnunquã dies ad virium instaurationẽ necessariæ sunt. Optimum verò, non ultra diem prorogare: ac bis sanguinem, si vires sinunt, eodem die mittere, præsertim in universalibus, hoc est, totius corporis morbis, qui certè nullam cunctationem ferunt, siquidem properandum priusquàm putredo, aut alia invalescant mala, & quantum expedit educere, ducendum haud cunctanter. In partium autem morbis, præsertim earundem phlegmonibus, partitas vacuationes longiore intervallo seiungi oportet. Nam cùm

Quando partienda & iteranda sit venæ sectio.

Venæ sectionis hæc partitio, quomodo perficienda sit.

cùm harum materia, è vasis in partium substantiam confluxerit, utile est repetitam sectionem in posterum, quandoq; in perendinum differre, ut hoc temporis spatio, corrupti humores, ex ægra sede in exhaustas remigrent venas, quos exinde repetita sectio promptiùs eripiet. Nec humores illi, quos pars laborans, sensim, uno alteróve die eò deposuit, propterea quòd corrupti sunt, illic relinqui debent, etiamsi dolores conquieverunt. Venenatam autem materiam, ut in pestilenti bubone, vel carbunculo evenit, non in posterum diem relinques, sed eo ipso die, festinanter, præsertim plenitudine totius corporis præsente insigni iteratâ vacuatione demoliaris, ne pestilens contagio diutiùs in venis hærens ipsi cordi impertiatur.

In venenatis & pestilentibus morbis nullo modo cunctādum.



QVO TEMPORE, QVA DIE, quaq; hora sanguis mittendus. Cap. VII.

Venæ intempestivè sectæ noxæ.

NOn temerè de tempore, quo vena secanda venit, inquiritur. Quippe vena intempestivè secta, spiritum pariter cum sanguine exhaurit, innatum calorem imminuit, & dissipat, principes partes refrigerat, ac earundem calorem adeò extinguit, ut quasi enervatæ ac debilitatæ languescant, ac persæpè destruantur: Quapropter iis, qui nulla necessitate pluries in anno, venas secant, plurima incōmoda accersuntur. Et si enim frequens venæ sectio, detracto quasi pondere, corpus levare videatur, quoniam tamen, non parum spiritus calorisq; adimit, & consumit, maturam senectutem, & hanc gravioribus morbis obnoxiam reddit: cuiusmodi sunt cachexia, hydrops, arthritis, tremor, paralysis, apoplexia, & id genus alii. Impensius enim refrigerato nativo calore, primogenioq; humido imminuto, viscera lāguescūt, cruditas dominatur, quæ tot malorum causa, atq; origo est unica. Dein, si iusta occasio secandæ venæ, à medico neglecta fuerit, tum parum aut nihil prodest, imò sæpenumerò obest, si sanguinem deinceps mittat. Debet itaque venæ sectio administrari mox & ineūte morbo. Hoc enim pacto morbi præsentis auctio, novi introductio prohibebitur: quicquid verò genitum & procreatum iam est, profligabitur. Sic in febribus, priusquam sanguinis moles, fervoris incendio, torreatur, aut valida putredo invalescat, maturanda est sanguinis missio. Sic si phlegmonum ab initio, hoc genus præsidii statim tentetur, proculdubio ipsarum incrementum arcebitur, plerumq; & hæ omnino sanabuntur. Qui enim in partem confluit humor, nondum hæret, & profluentis sanguinis impetum cursumque promptè sequutus foras ibit. Accedit, quòd

Ab initio secanda vena.

vires

vires per initia firmæ ſint & cõſtantes, nec admodum iis diſſimiles, quæ pridem erant integra valetudine. Si quo igitur tempore, ipſo maximè initio hoc auxilii genus ægri tolerabunt. Præterea, venæ ſectio morbis, quibus cõvenit, incipientibus, ſi decernatur, ſublata multitudine quod reliquum erit, faciliùs natura concoquet atque evincet. His igitur de cauſis accelleranda venæ ſectio, ſi modò ventriculus, primæque venę, nulla humoris corruptela, vel cruditate, vel cibo ſemicocto refertæ fuerint, ut infrà latiùs dicetur. Vt meritò explodenda veniat Avicennæ opinio, qui incipienti morbo, prorſus inutilem ac planè adverſam venæ ſectionem nugatur, & cõcoctionem expectandã cenſet. Quum verò ſciam ab aliis perverſam hanc Avicennæ opinionem, pluribus & validiſſimis argumentis confutatam eſſe, lubens mihi tempero, & ad alia, quæ reſtant explicanda, feſtino. Vt autem univerſalium temporum, ita particularium quoque dierum, in quibus morbi recurrunt, ratio habenda erit, nec vena niſi miteſcente jam & remittente, aut intermittente morbo ſecanda. In acceſſionibus itaq; ab ea omnino temperandum eſt, quandoquidem, neq; natura tum ſanguinis excretionem ullam moliatur. Si quæ verò fortè excretiones tum incidunt, ſolius morbi fervore, impetuq; fiunt. Prætereà, cùm in acceſſionibus, humores, maximè quodam quaſi æſtu incitati, efferveſcant, turgeant, conturbatique permiſceantur, nulla tum juſta eorum fieri poteſt ſecretio, quapropter, hoc tempore vena reſignari haud debet. Quandocunque etiam, vel præcautionis vel curationis, gratia poteſtas datur, ſanguini mittendo horam deligere, convenientior erit matutina, quàm pomeridiana. Galeno etiam cap. 21. libri de Curandi ratione per ſanguinis miſſionem ſuffragante. Siquidem à Solis exortu ſanguis ſuſcitatur, viget, atque dominatur, ipſoque diei lumine tenuis, ſerenus, fluxuique fit aptior, maximè ſecunda, tertiaque diei hora. Interim non ſtatim à ſomno excitis, ſed anteà

Fen. 4. Ca. 1. cap. 20

Avicennæ ingens erratum.

Quo die ſecanda vena.

In paroxyſmis, à venæ ſectione abſtinendum.

Qua hora ſecanda vena.

à horam circiter unam vigilantibus, & poſtquam heſternum cibum probè concoxerint, corpusque ab excrementis tùm per urinam, tùm per alvum expurgaverint, ſanguis mittendus erit. Aſtrologica etiam obſervatio tum tenenda erit. In morbis autē vehementibus, quique nimium præcipites peracuti ſunt, nihil iſtiusmodi delectus habendus, ſed quacunque hora ii vehementer prement, & inſtabunt, hac ipſa venam incidito. Quinetiam in febribus, aliiſve morbis, qui circuitibus affligunt, quietis aut remiſſionis, ſive ἀπυρεξίας animadverſio multò præſtantior, quàm matutini temporis. In quacunq; igitur diei noctiſve hora remiſſio inciderit, cæteris ritè adminiſtratis, vena ſecetur.

QVAE ANTE VENAE SECTIONEM neceſſaria ſit præparatio. Cap. IIX.

AD venæ ſectionem maxima potiſſimaq; præparatio, eſt partium, quæ in prima corporis regione ſunt, vētriculi puta inteſtinorum, venarumque meſaræarum elixio, puritas & expurgatio, ut nihil inſit in illis vitii, quod opus impediat, aut certè remoretur. Vitia ea ſunt, ventriculi primarumque venarum, earum ſcilicet, quæ juxtà jecur & meſenterium ſunt, cruditas, noxiorum humorum colluvies, alvus fæcibus adſtricta, os vētriculi impensè ſentiens, vel imbecillum. Hæc certè non omnino prohibent & diſſuadent, ſed duntaxat retardant venæ ſectionē, donec arte ſint ſublata & emendata. Si enim quum ventriculus cibi copia tumet, quem nondum confecerit, ſanguinem mittas, neceſſariò plurimùm crudi ſucci, in ſanguinis locum ſuccedet, quem venæ exinanitæ, indigentesque rapient. Eadem ex cauſa, ſi adſtricta alvo venam aperueris, jecur exhauſtæq; venæ ſordidum quiddam & impurum è fæcibus exugent. Qua ratione Galenus, vel in continente etiam febre, (quę interim omnium maximè accelerato hoc

Primæ venæ meſaraicæ.

præ-

præſidio gaudet) quum ciborũ cruditas eſt, tantum moræ in ſecanda vena interponit, quantum ſatisfacere, tùm ad eorum cõcoctionem, tùm ut excrementa deſcendant, videbitur. Hæc ſpontè niſi ſuccedant, clyſtere vel balano prolicienda ſunt, aut prunis caſſiáve alvus emolienda. Si corruptus noxiusque humor, in ventriculo, aut in vicinis illi partibus exuperat, multò magis differenda eſt venæ ſectio, donec ſit expurgatus, quòd ſcil. is humor, multò majore detrimento, quàm cruditas, raperetur ita in venas, hasque impuritate multa pollueret. Præſtat igitur, ut antequã vena reſignetur, vitioſus humor per alvũ deturbetur. Quibus eximius eſt oris ventriculi ſenſus, iis ante venæ ſectionem conſulendum eſt, osque ventriculi muniendum, medicamentis, quæ corroborant, quæ humorum morſum retundunt, & quæ humoris influxũ arcent, ut eſt mali cotonei vel punici ſuccus, & id genus alia. Atque hæc quidem præparatio omni venæ ſectioni præmittenda eſt, quum morbi clementia eandem concedit. At nonnunquam morbus tàm immanis & importunus eſt, ut nulla præparatione præmiſſa, nullaque interpoſita mora ad venæ ſectionem feſtinandum ſit: velut in bono habitu athletico, à quo præſens aut ſuffocationis, aut ruptionis vaſorum periculum impendet: in vehementiſſimis phlegmonibus, in ardentiſſimis febribus, in caſu ex alto, aut in gravi capitis colliſione. Sæpè etiam quũ craſſior eſt ſanguis, ut ferè ſpes nulla ſit, eum facilè per venę ſectionem poſſe educi, extenuantibus illum medicamentis tribus, vel quatuor, ante venæ ſectionem diebus utendum erit, ut eſt mulſa, cui aliquid hyſſopi, nepetæ, origani, aut pulegii incoctum eſt. Interdum & balneæ neceſſario ſunt pręmittendę, veluti quum venę procul à viſcere diſtantes, in cruribus nimirũ aut ſumma manu, ſecantur, & in iis, qui craſſiorem in venis ſanguinem obtinent. Siquidem balnei calore, ſanguis liquatur & attenuatur, adeoq; ut effluat magis idoneus redditur. In corpore tamen

Clyſtere, aut balano ſollicitanda alvus.

In balneo quando ſecanda vena.

plethorico, & in phlegmone suspecta, balnearum usus tanquã nocentissimus, fugiendus. Proderit etiam hoc nomine, ut scilicet corpus incalescat, deambulatione uti, moderata blandoque quocumq; alio exercitii genere.

QVID SECTIONIS VENAE TEMpore faciendum sit. Cap. IX.

Decumbentibus vena secanda.

CVm venæ sectio non rarò ad animi defectionem deducat, præsertim eos, qui anteà nunquam venam aperuerunt, præstat tàm illis, quàm ægris decumbentibus, in maxima tùm corporis tùm animi tranquillitate venam incidere. Idque faciendum erit maximè, ubi imbecillæ vires fuerint, aut syncopes metus adfuerit. Sit pars, quæ inciditur, prona, & in hanc facilis directusque, ut dictum est, sanguinis cursus, ex corporis ea sede, quam plurimùm exinanire & vacuare proponimus. Artus quoque confricentur, dum incalescant, & proximè supraque eum locum, in quem scalpellus adigetur, arctius vinciantur, ut sanguine prolecto, vena tumentior in conspectum se se det. Infrà etiam venam pars ligetur, quum tremula inconstansq; vena ad scalpelli quemvis impulsum subterfugit, aut è sua sede dissilit. Constat autem, quibus densa & squallida cutis est, & quibus angustæ venæ, aut in altum demersæ, multa carne, vel adipe obductæ, iis multò arctius vinculum injici debere, quàm quibus est diversa cõstitutio gracilis. Minores manuum pedúmque venas, quia hæ non satis implentur, in calentem aquam demittimus, quæ & profluenti sanguini impetum facit. Si ne sic quidem vena in apertum promatur, eam, quo loco inesse solet, digitorum impulsu, percontare, dum sanguinis fluxu & incursione, illius sit explorata sedes. Hancque signatam, scalpello industrius artifex feriat, sedulò etiam prospiciat, ne vel arteriam, vel nervum, tendinémve pro vena petat. Aperta verò arteria,

Partis in qua inciditur vena, situs.

Minores manuum & pedum venæ, balnei calore inquirendæ, & proliciendæ.

Apertæ arteriæ signa.

teria, sanguis emanat tenuis, rubicundus, igneus, & saltu quodam impetuosissimè exiliens. Ex nervo aut tendine puncto dolor ingens, stupor, resolutio, & brachii convulsio, cum tumore superveniunt. Cæterùm, vena ut decet aperta, vinculum à superiori parte laxandum erit, quo inde sanguis uberius defluat. Si ex crassitie sanguinis, aliáve ex causa sanguis minus abundè & segniùs fluat, æger pugnũ arctè vehementerq; adducat, nervos, musculos & latera, tussi ac voce valida cõtendat, vulnus verò aquæ calidæ fomento, proritetur. Vtile denique est, (etiamsi pro ratione sanguis dimanat) in medio sanguinis cursu digitum vulneri imponere, tùm ut vires reficiantur, minusque dissipentur, tùm etiam ut deterior spurciorq; sanguis, ex intimis, in sectionem confluat.

QVANTVM SANGVINIS DEtrahendum. Cap. X.

EManantis autem sanguinis quantitas æstimanda est, ut is demum opportunè & competenti tempore sistatur. AEstimatio autem ex morbi necessitate, magnitudinéve, & ex viribus ægrotantium inprimis sumitur, ut quantum morbus exigat, & quoad vires tolerent, educatur, adeò ut quocunque tempore dissolvuntur, etiamsi restant supervacua, à vacuatione nihilominus desistamus, & cessemus. Tribus autem maximè notis, quo tempore sanguinis effluxio sit cohibenda, cognoscimus, mutatione scilicet sanguinis, labascente effluxionis impetu, ac robore, & pulsus commutatione. Mutatio verò sanguinis, & in colore, & in cõsistentia tum potissimùm expectanda est, quum vehemens dolor, aut ingens phlegmone, est in locis venæ sectæ finitimis, ut lib. 2. Victus acuto. Aphoris. 10. exemplo pleuritidis monstrat Hippocrates. Siquidem sanguis qui juxtà phlegmonem, & in parte phlegmone distenta

Tribus notis quando sanguinis effluxus sit cohibẽdus cognoscitur.

Mutatio sanguinis.

hæret, alius eſt ab eo, qui in cęteris corporis partibus, quę ſecundum naturam ſe habent, continetur, ut qui à vehementi, & præter naturam phlegmones calore, ſuprà modum eſt calefactus, & penè uſtus. Quapropter ſi ſanguis, qui in totum ſpargitur corpus, anteà pituitoſior ac crudior erat, rubicundior & magis flavus evadet, qui in ea quæ phlegmone obſidetur parte, continetur. Quòd ſi verò per univerſum corpus diffuſus ſanguis, rubicundus fuerit, haud dubiè qui ad phlegmonē eſt, aduſtus, aſſatusq; in nigrum permutabitur. Coloris itaq; mutatio, index eſt, ſanguinē ex phlegmone obſeſſa ſede, in qua is eſt, à reliquo diſparem educi.

Coloris ſanguinis mutationem nõ ſemper eſſe expectãdam.

Etſi autem coloris mutatio modum & menſuram vacuationis indicat, tamen non ſemper expectanda eſt, ſed interdum antequam appareat, à ſanguinis detractione, erit deſiſtendum, idq; duabus de cauſis. Vna, quòd virtus ſit imbecilla nimis quandoq;, nec tãtam vacuationem, quã coloris ſanguinis mutatio ſequitur, ferre queat. Altera, quia phlegmone maligna eſt, nec quicquam de ſe ſe ſanguinis concedit, quòd vehementer parti inflammatæ impactus humor ſit. Hæc itaque cogunt tempeſtivè ceſſare, ac potius iterata venę inciſione, quod reliquum eſt detrahere, alias quidem eodem die, alias ut dictum eſt poſtero.

Labaſcens fluxionis impetus, ſanguinem cohibendum indicat.

Pari modo & labaſcens fluxionis impetus ac robur, ſanguinem eſſe cohibendum monent. Si enim ſanguis minori impetu, quàm anteà, effluat, vires iam defecturas præmonſtrat, maximè ſi accedat pallēs faciei color, & oculorum caligo.

Pulſus mutatio certiſſimum inhibendæ miſſionis ſanguinis argumentũ.

Omnium tamen certiſſima & minimè fallax eſt, pulſus mutatio. Si enim ex crebro rarus evadat, aut ex magno parvus, ex vehementi debilis, & obſcurus, ex æquali inæqualis, vires collapſuras præſagit. Hæc igitur tria ſi ex vacuationis ſanguinis quantitate incidant, protinus intermittendũ, ne imbecillitas progreſſa, vel mortem inferat, vel iacturam quæ nullo pacto reſarciri poſſit, cauſetur.

EMIS-

EMISSI SANGVINIS OBservatio. Cap. XI.

SAnguis è vena effluens, mundis tersisq; pelviculis, terrenis, vitreis, plumbeísve excipiendus, non item æneis, ne ab hisce, sanguis vel propriæ substantiæ, vel coloris, vel alterius qualitatis conversionem, & mutationem subeat, quæ medici de corporis affectu iudicium pervertat. Sint & per viculę multæ, in quibus sanguinis varietas conspici & distingui possit: Seponantur loco mundo, quo nec pulvis, nec fumus, nec ventus, nec Solis radii pertingant. Omnium primò, in iis observabitur sanguinis substantia: Viscosus est, qui lentè fluxit, & tanquam glutinum digitis obhæret. Crassus est, & densus, qui multas fibras habet, qui ocyus concrescit, atque conglaciatur quasi. Vterque obstructionum aliorumq; inde oboriri solitorum morborum, fit autor. Qui tardiùs concrescit, ac durescit, tenuis est: qui verò iā refrigescens, minimè durescit, is omnino vel aquosus vel putridus est, cuius omnes fibræ direptæ, atq; corruptæ vanuerunt. Serum multū atque copiosum, aquæ citrinæ ad instar, concreto sanguini innatans, vel potum liberaliorem, vel iecur infirmum, vel imbecilles renes, vel eosdem obstructos ostendit. Spuma innatans, nisi fluoris impetu nata sit, incendium atque fervorem, eius humoris monstrat, cuius colorem præ se fert: rubra quidem, sanguinis: flava, bilis: alba, pituitæ: livida, melancholiæ. Concreti sanguinis color, per summa rubicūdus, boni utilisq; sanguinis est index. Color pallidus, bilem: albus, pituitam: viridis, bilem retortidam: lividus aut plumbeus, atram bilem, cum pernicie; ut disparium colorū permistio, varios humores exuperare demonstrat. Sanguini innatat nonnunquam pingue quiddam & adiposum, instar telæ aranei cohærens. Hoc, si admodum pingue & obesum est, ægrotantis sanive hominis corpus, ex ipso sanguine causam habet, qui est in

Iudicium de sanguine emisso, ex substantia.

Serum.

Spuma.

Color.

Pinguedo.

adipem pronus. Sin corpus macilentum sit, minusq; obesum, idipsum colliquari & marcescere portendit. Si diviso sanguine, grana quædam arenularum æmula, offendantur, aiunt vel Elephantiasin, vel ad hanc propensionem, notari: quanquam observantibus nihil tale deprehensum est multoties. Quare quā facilitate affirmatur, ea quoque contemnitur. Si sanguinem graveolere, quod rarum est, cōtigerit, putredinis, corruptionisq; immensæ fœtor hic, est indiciū.

Grana.

Graveolentia.

QVID À VENAE SECTIONE *faciendum. Cap. XII.*

SAnguine, quantū morbi magnitudo postulavit, viresque ferebant, emisso, æger supinus decumbat, ut omnibus partibus, in spinam dorsi tanquam in corporis basim reclinantibus, summa sit quies, & in quiete ac ocio partes exhaustæ repleantur, resarcianturque spiritus. Neque igitur ad consueta munia properet, neque celerius inambulet, neque ullo exercitationis genere sese nimis fatiget, neq; utatur Venere, neque in balneum descendat. Quippe sanguis & spiritus vehementius, præcedenti sanguinis missione incitati, ne dissipentur planè, aut incalescant nimium sedandi, comprimendiq; sunt. Venæ tamen sectioni, non continuò indormiendum est, ne aut languidior intrò repens calor, extinguatur planè, aut imminuti spiritus obruantur. Itaq; vigilans conquiescat, absitq; omnis tùm animi, tùm corporis cōtentio, & perturbatio concitatior. Hora una aut altera à sanguine misso, alimentum licet offerre, exiguū quidem, quodque boni sit succi, quod promptè alat, & quod sit profligando morbo, instaurandisq; viribus accommodatum. Duabus abhinc horis, aut etiam minus, nihil vetat obdormiscere, modò assidentes prospiciant, ne vel laborans, in brachium venę sectione afflictum se devolvat, vel vinculū dissolvat, quo sanguis dimanet, vel aliud sibi incommodū acce-

Quando à venæ sectione alimentum offerendum.

accersat graviùs. Reliquus cibus sensim increscet, neque temerè aut avidè ad pleniorem properādum est; ut quem nativus calor imminutus, à prægressa vacuatione non plenè sit confecturus, & quem crudum multumque exuctæ venæ raperent; quo ita omnem corporis molem referciant. Et quamquam integra sit omnis alimenti concoctio, quid interim iuvat ilico sese succis largius implere, quos animus est vena secta demere? A misso itaq; sanguine exquisitior victus ratio tenenda erit, neque protinùs æger ad pristinam diætam, perinde ut canis ad vomitum, redeat. Vt maiorem in modum detestādus sit Germanorum mos; qui ferè nunquam lautius comedunt, aut largius bibunt, quàm à venæ sectione. *Detestandus Germanorū mos.*

DE CVCVRBITVLIS.

Cap. XIII.

Cucurbita quid; & undè dicta.

SEcundum artificiosæ vacuationis cruentæ genus, per cucurbitulas fit. Cucurbitas autem & cucurbitulas à forma Latini appellant, instrumentum, quo sanguis, è profundo corporis, attrahitur & elicitur. Has vulgus medicorum vētosas, quòd spiritibus ac ventositatibus, flatulentiisq; è corpore proliciendis sint accommodatæ, nominare solet. Ex quo illud Satyrici, natum:

Iamdudum caput hoc, ventosa cucurbita, quærit.

Cucurbitularum ratio actioq;.

Cæterùm earum omnis ratio, actioq;, ex vacui in rerum natura odio, fugaque proficiscitur. Aëre enim, ac vento ipsarum interiorem cavitatem, vel igni consumpto, vel ore exucto, vi magna & necessaria, qua parte cuti applicantur, scarificatæ quidem sanguinē, integræ verò, spiritus flatusque vehementèr & velocissimè, proximos quosque primùm, tùm & remotiores evocant. Earum olim, (Celso libro 2. cap. 11. authore) duo fuerunt genera, à materia desumpta. Aenea, altera tantùm parte, qua corpus attingunt, perforata, igni comprehendendo apta. Altera cornea, eadem illa parte, æquè ac ænea patens,

Cucurbitularū genera veteribus usitata, quin & à modernis accepta.

summa verò, tenui foramine, quo exugebantur, pertusa. In æneam, linamentum ardens conijcitur, ac sic os eius, corpori aptatur, imprimiturque, donec inhæreat. Atq; hic mos, apponendarum cucurbitularum in hodiernum usque diem durat: Cornea per se corpori imponebatur, deinde ubi, ea parte, qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus erat, superiorque cavitas, cera claudebatur, æquè inhærescebat. Non verò ex iis tantùm materiæ generibus, sed etiam ex aliis, ligno nimirum, vitro, plumbo albo, & argento, hodie parantur cucurbitulæ. Sed è vitro facta, facilè omnium & levissima, & tutissima est. Nam si fixius adhæserit, haud difficilè abrumpitur, quùm reliquę nisi maiore molimine detrahi nequeant. Porrò cucurbitulis non quovis tempore, sed tum ubi universum corpus antè fuerit vacuatum, utendum erit. Siquidem alias, locum, cui adhibitæ fuerint, totum replebunt, & tumore infestabunt phlegmonoso. Quod certè generatim in omnibus localibus remediis, quæ certæ alicui particulæ ita adhibentur, ut à cæteris nihil perinde eliciant, perpetuò observandū erit. Maximoperè itaq; cavendum, ne in plethoricis, ac cerebri, eiusq; membranis phlegmone, quam privatim Græci phrenitin nominant, in principio mali, cucurbitulis utamur, quemadmodum nec ulla alia in parte phlegmone obsessa. Quippe tum à laborantibus partibus humorum influxus magis avertendus erit. Verùm ubi iam nihil influit amplius, totumque corpus anteà vacuatum est, atq; aut movere, aut amoliri, quod in laborante phlegmone particula existit, aut foras trahere necesse est, cucurbitas admovere optimum erit. Quum verò vitia adhuc fiunt, nō iis partibus, quæ laborare incipiūt, sed iis potius quę eis coniunctæ sunt, & cōtinuæ, revulsionis gratia cucurbitulæ affigendæ. Cæterùm gemina est cucurbitularum admovendarum ratio. Quædam enim citrà scarificationem, & cute illæsa manente, & integra corpori adaptantur, & hæ quidem leves nominari

Cucurbitas applicandi modus veteribus acceptus.

Cucurbitarū materia.

Cucurbitulis quando vtēdum, & ubi.

Topicorum remediorum utēdi modus.

Phrenitis quid?

Cucurbitularum admovendarū ratio duplex.

con-

cõsueverunt, nulla alia, ut arbitramur, de causa, quàm quòd minori molestia, quàm illæ quibus scarificatio accedit, adhibeantur. Harum usus primùm est, ubi ab aliqua particula revellere, aut fluxionem quampiam inhibere annitimur. Sic sanè mensibus supra modum promanantibus, cucurbitas sub mammis affigimus, Hippocrate etiam monitore, qui in Aphorismis ita scriptum reliquit: Mulieri si velis menses cohibere, cucurbitam quàm maximam mammis appone. Pari ratione sanguine supra modum è naribus erumpente, leves cucurbitulas hypochondriis affigimus. Infigendę autem super iecoris regionem, si ex dextra nare promanat sanguis: sin ex sinistra, super lienos parenchyma, parte sinistra. Si verò ab utraq; nare profluit, super utroque viscere sunt ponendæ. Deinde ut flatus intus abditus, doloremq; excitans, sævissimum foras eliciatur ac discutiatur. Nam ad tollendũ hunc dolorem unicè confert cucurbitulę appositio. Quod in primis confirmant ea, quæ lib. 12. Therapeu. meth. capite ultimo scribit Galenus, inquiens: Dolor, qui spiritum flatuosum comitatur, propriam quandam curationem sortitus est ex cucurbitula ventosa, cum flamma copiosa multoties sine scarificatione admota. Videbiturq; tibi præsidium hoc in huiusmodi malis incantamenti cuiuspiam simile quid efficere, sive ii in intestinis, sive in quavis corporis particula, sint excitati. Ilicò enim cucurbita admota, qui spiritu flatuoso cruciantur, tum à dolore liberi, tum omninò sani redduntur. Tertiò, vt pars aliqua in locum suum unde excidit, reducatur, uti dum ventri applicantur cucurbitulæ, ut intestina evoluta recipiantur. Quartò, ut appetentiam excitent naturalem. Nam attractis humoribus flatulentiisq;, penurię sensum & suctionem, in ventriculo concitant. Quintò, imbecillum ventriculũ roborant, quòd scilicet naturali eius appetentia excitata, ut statim nutritio sequatur, efficiant. Nutritas autem partes reddi robustiores, omnibus notum est. Sextò, ut ab animi deliquio, san-

Cucurbitulæ leves unde dictæ.

Cucurbitularum leviũ usus.

5. Apho. 50.

Aliæ insigniores cucurbitarum usus.

guinem & ſpiritum ad exteriora revocando, liberēt. Septimò, ut fluxiones ex alto corporis, ad eius ſuperficiem, transferant, & reſiccent. Octavò, ut facultates quæ menſes corrumpunt, extrahant. id eſt, ut cauſas, menſium fluxionem periodicam, impedientes tollant, & è corpore eliciant. Atq; ii ſunt levium cucurbitularum uſus. Quædam autem (antè ſicuti attigimus) ſunt cucurbitulę, quę cum ſcarificatione admoventur. Harũ quis ſit uſus, ſequẽti capite exponemus.

DE SCARIFICATIONE. Cap. XIV.

Cucurbitulæ cum ſcarifi-tione.

CVM ſcarificatione, cucurbitulas applicamus, quùm è propinquo, leviter ac blãdè vacuare, conſilium eſt, virtute, aut ætate, aut corporis teneritudine aliisq; cauſis venæ ſectionem non admittentibus: Hæ enim minori tùm vi, tùm præſidio, è minutis venulis aliquid duntaxat exugunt, nulla virium, aut nativi caloris facta iactura. Quod in pueris, in gravidis, in ſenibus, à morbo longinquo fractis, aut acuto proſtratis, quando alio præſidio uti non licet, attentamus. Atq; ad eum modum admovemus cucurbitulas, ubi phlegmone iam dicti corripiuntur, idque ſtatim morbi initio. Particulæ verò ipſi, quæ phlegmone laborat, inter initia, quùm humores adhuc confluunt, cucurbitulæ, cum ſcarificatione non adhibendæ, ſed tùm potius, ubi in parte firmati ſunt. Si enim ſcarificationibus, aut ſectionibus, ſenſibiliter vacuabimus, plus excitati doloris ratione, ad partem laborantem attrahemus morbidæ materiæ. Non eſt autem initio phlegmones ad laborantem partem trahendum, ſed ab ea magis, & quidem quàm longiſſimè, avertenda eſt fluxio. Phlegmonæ autem factæ, ut humores iam impacti & hærentes educantur, cucurbitæ ſunt applicandæ. Prætereà cucurbitulas cum ſcarificatione admovemus, partibus tenſis, nimirum ut illuſtriores tenſionem efficientes humores elici-

Quibus applicandæ, & cuius uſus gratia.

Scarificationum uſus.

eliciant. Tertiò, partibus, quibus acris infesta est fluxio, ut eà evocata, partes ut anteà, deinceps non irritentur ac molestentur. Quartò, ut venenum quod à rabido cane, aut scorpione, alteriusq; animantis venenati morsu iniectum est, extrahatur. Quintò, ubi materiam, ab una parte, in aliam transferre animus est: ut si capite laborante crura scarificamus. Sextò; quando materiam in corpore redundantem minuére nobis placet: præsertim si redundantia ipsa, à materia, quæ statis temporibus vacuari cōsueverat, provenit: veluti si hæmorrhoides in viris, ac menses in mulieribus supprimantur, crura scarificamus, priùs tamen balneo usi, aut calida per spongiam ea imbutam foventes partes affectas, ut scilicet ab eius calore, sanguis tenuatus & solutus, ad motionem & vacuationem aptior fiat. Et affiguntur cucurbitulæ ferè cruribus, tanquam partibus corporis ignobilioribus, quò nobilioribus opem ferant. Hinc est, quòd Galen. in libello de Scarificatione ita scriptum reliquerit: Scarificatione crurum crebriùs aliàs etiam utendum, quòd sæpiùs per annum incidere venam, nō expediat: quippe cum sanguine copioso, unà vitalis excernitur spiritus: Eo autem copiosiùs absumpto, universa corporis moles refrigeratur, omniaq; naturalia opera deteriùs fiunt. Quapropter ab ignobilioribus, utpote cruribus, detractionem fieri convenit. Prodest etiam scarificatio, Galeno eodem in loco teste, oculis diutina fluxione vexatis, & capitis affectibus, thoraci & dorso accidentib. malis. Adhæc anginis, & multis aliis morbis conferunt cucurbitæ. Item ad hæmorrhoidas, aut menstrua provocanda, cucurbita cum scarificatu, poplitibus & cruribus applicata, confert: idque sæpè utilius, quàm si vena malleoli tunderetur. Renibus applicata, infernis benefacit partibus. Natibus admota, lateribus ac lumbis, ipsique etiam thoraci ægró subvenit. Mento applicata, maxillarum & faciei malis, sanitatem pollicetur. In-

Ante crurū scarificationē cur balneo utendum.

Vbi affigēdæ.

Venæ sectione interdum uti minimè licitum.

Alij scarificationū usus.

ter utrasq; scapulas in ipso dorso apposita quod hodie usitatum est, thoracis malis auxiliatur. Inter collum, & scapulas, spinæ admota, faciei morbis, ut impetigini, succurrit. In summa, cuicunque particulæ, cum cutis scarificatione affixa fuerit cucurbita, huius sanguinem elicit, exugit, vacuatq;, & quicquid ad sequendum est promptissimũ, educit minima molestia.

DE HIRVDINIBVS. Cap. XV.

Hirudinum usus ferè abolitus hodie.

INter præsidia sanguinis vacuatoria, hirudines quoque commemorantur. Hæ veteribus cerebrò in usu fuerunt, hodie ferè iis uti desierunt, præsertim in Germania, medici. Interest nihilominus, propter veterum scripta rectè intelligenda, harum usum habere perspectum. Hirudines itaque captæ, aliquot diebus includantur, ut cicurentur: ita etiam famescẽtes, carnes quibus admovẽtur, faciliùs & avidiùs apprehendentes, exinde sanguinem sugent. Eas autem, quæ recens captę sunt, propter suam virulentiam, apponere non satis tutum est, sed uno die, exiguo pastę sanguine, asservandæ sunt. Sic enim quod in iis virulentum est, exprimitur, propterea quòd sanguini, quem hauserunt, cedat. Pars autem cui hirudines admovebimus, nitro prius est perfricanda, ut incalescat, & sanguis ex alto in summum evocetur. Aut certè inungenda aliquo calorifico, & ex profundo in summam cutim, sanguinem trahente medicamento. Aut si prædictis fueris destitutus, saltem unguibus scalpenda erit cutis. Ita namq; promptiùs apprehendent. Priusquam verò adhibeantur hirudines, in vas purum aqua tepida plenum, & amplum inijcere eas oportet: dein spongia comprehensas & abstersas, & à sordibus purgatas, manibus applicare. Purum autem esse debet vas, ut sordes rectiùs extergi possint.

Quibus hirudinibus utẽdum.

Quomodo pars, cui admovebuntur hirudines, sit præparanda.

Quo pacto parti iã præparatæ sint adhibendæ hirudines.

sint. Eadem de causa, ut aqua sit tepida oportet, quod ea quàm frigida, ad abstersionē sit commodior. Amplum, ut manibus commodè attingi, atque adeò sordes spongia comprehensæ expeditius abstergi queant. Vbi admotæ fuerint, iamq; adhæserint, oleum tepidum particulæ infundendum erit, ne refrigeretur. Hac enim refrigerata, non facilè sanguis ad hirudinum suctum sequitur, ut qui à frigore crassescat & ad interiora pellatur. Quòd si ex manibus & pedibus earundem suctu aliquid trahendum erit, ut manibus applicentur, non est necesse: sed partem aquæ cui innatant hirudines, immergere oportet, ita enim sua sponte citrà manuum nostrarum operam, eam apprehendent. Vbi autem parti iam adhærent, nec sanguinem ad sese satis trahunt, forfice caudæ earundē præcidendæ sunt. Quippe sanguine effluente, trahere non desinent, donec ipsæ sua sponte decidant. Si verò sua sponte haud deciderint, salem aut cinerē ori ipsarum inspergere oportet, ita enim mox decident, exuctamq; deserent cutim. Posteaquam verò deciderunt, cucurbitula apposita virulentiam earundem elicere necesse est. Aut si cucurbitularum usus displicuerit, spongia tepida aqua inebriata, pars cui admotæ sunt, fovenda erit. Hæc enim, præsertim ubi nova fuerit, manifestè desiccat, adeoque virus quod relictum est, discutit & dissipat. Quòd si verò è foraminibus cutis, cruentæ effluxerint lachrymæ, cuminum, quòd illi desiccandi, & fluxiones compescendi insit facultas maxima, aut farinam, quæ emplasticam obturandive vim obtinet, inspergere convenit. Dein partem afflictam lana, quæ exiguo oleo est imbuta, involvere ac circūdare oportet. Lana enim, Dioscoride attestante, vulneribus commodissimè imponitur, ut sanguinis eruptionem compescat. Oleo tamen, utpote cui obturādi facultas inest, imbuta efficacior fit eadem. Si verò sanguis cum impetu erumpat, linteum aceto imbutum, injiciendum. Acetum namque, ut testis est Dioscorides, adstringit, & un-

Quid post admotas hirudines faciendum.

Quid faciendum, ubi iam parti adhærent.

Qua ratione efficiendum sit ut decidāt.

Spongia nova.

Cuminum.

Farina.

Lana.

Oleum.

Acetum.

Galla.

Quem sanguinem hirudines eliciant.

Quando detrahendæ.

decunque promanantem sanguinem, in succidis lanis, aut spongia impositum, sistit. Aut certè galla usta, aut spongia pice liquida madens, & dein usta imponenda. Habent enim hæc omnia glutinandi facultatem. Cæterùm, hirudines non eum, qui in profundo hæret, sanguinem eliciunt, sed eum duntaxat, qui carni adiacet, ideò cucurbitularum vicem supplent. Detrahendæ autem, ubi dimidiam vitiosi ac redundantis sanguinis partem esse extractam, conijcimus. Prohibemus enim, nec permittimus effluere, donec quod satis est excretum fuerit, quòd particula ipsa tùm ab hirudinibus natura frigidis, tùm ab ambiente refrigeretur. Retinendum igitur aliquid sanguinis, ut hinc pars incalescat. Sed de hirudinibus abundè satis.

De Purgatione.

QVID PVRGATIO, QVIBVSQVE *conveniat, aut non conveniat.* *Cap. XVI.*

Purgatio quid.

Qualitas

EXpedito primo vacuationis universalis genere, ad alterum transeundum nobis erit, nempe purgationem, quę, ut sectione prima Aphoris. Comment. 2. testatur Galenus, non est: nisi humorum sua qualitate molestantium vacuatio. Hoc est, purgatio, est vitiosorum, & eorum, qui corpus infestant, & tùm quantitate tùm qualitatibus suis molestant, humorum vacuatio. Quippe qualitas hoc loco, ut fusiùs in enarratione iã citati Aphorismi Hippocratis diximus, non nisi differentiam, aut speciem corruptorum humorum, & contractè quidem significat. Nec temerè dictum est Contractè, siquidẽ generatim ποιότης sive qualitas, Galeno lib. 4. de Tuenda sanit. teste, non nisi ἰδέαν, id est, speciem seu differentiam, cuiusque humoris denotat. In purgationis autem

autem definitione, potius κακοχυμίαν significat. Purgatio aũt duplex est, nẽpe spontanea, & non spontanea. Spontanea est, quæ à natura fit, sua sponte, corp⁹ à noxiis humorib. purgãte. Non spontanea est, quæ per medicamentũ, purgante facultate præditũ perficitur. Cùm itaque purgatio non sit nisi vitiosorum humorum vacuatio, palàm hinc fit omnibus, sanos, & qui inculpatâ sanitate fruuntur, non esse purgandos. quòd pravorum humorum copiâ, qui sani sunt, haùd premantur. Constat autem medicamentum purgans, peculiarem & proprium humorem trahere, flavam nimirum bilem, aut atram, aut pituitam, aut serosam humiditatem, qui ubi non adsunt, necesse est, ut sanguinem, & carnes colliquet, ut scilicet ex ipsis proprium attrahat humorem. Quapropter sani à medicamentis non purgantur, sed potiùs contabescunt & convelluntur. Vt non temerè Hippocrates dixerit: Qui sano sunt corpore, per medicamenta purgati, celeriter exolvuntur. Et mox: Qui bene se habent, hos purgare periculosum est. Et iterum: Veratrum iis, qui sano sunt corpore, periculosum est: quippe convulsionem efficit. Quapropter plurimùm errant nostræ ætatis medici, qui sanis etiamnùm singulis ferè septimanis pilulas, & id genus alia medicamenta purgantia, etiam validissima propinãt. Nec ad tuendum hunc errorem satis est quod dicũt, varia excrementa, quæ in ipsis quotidie procreantur, purgationem requirere. Siquidem hanc rationẽ, pulchrè diluit Galenus sect. 3. Aph. Comm. 15. inquiens: Valde indigentib. & ex longis temporum intervallis, purgatio utilis est. Eorũ verò, quæ quotidie procreantur in corpore, excremẽtorum vacuatio minor est, quàm ut exigat purgãtis medicamenti efficacissimã, & violentã tractionem. Si verò quispiam voluerit bis mense, aut semel omninò, saltem eã uti, veritus ne excrementorum multitudo aggregetur, præter id quòd nocebit, corpora etiam in malam consuetudinem

Purgatio spontanea. Non spontanea.

Sani nõ sunt purgandi, & qua de causa.

Purgantia, trahendo agũt in succos.

1. Aph. 36.

1. Aph. 37.

4. Aph. 16.

Error nostræ ætatis medicorum.

Obiectio diluitur.

„ trahet. Hæc ille: Fatemur quidem excrementa illa, quæ ſingulis diebus in corpore coacervantur, eſſe vacuanda, ſi modò integram ſanitatem conſervare velimus: atqui non per purgationem, ſed alia vacuationum præſidia, ut ſunt ea, quæ alvum leniter ſubducunt, aut quæ urinam ſudorémve moderatè proliciunt educenda. Purgatio igitur iis tantùm convenit, qui cacochymiâ laborant, & pravis ſuccis referti ſunt, modò alii ad purgationem neceſſarii ſcopi, purgandum eſſe hìc quoq; non diſſuadeant.

Purgatio quibus conveniat.

QVI PVRGATIONIS SCOPI. Cap. XVII.

Qualitas humorum.

IDem ferè purgationis, qui ſanguinis miſſionis, ſunt ſcopi: In ea enim principiò, qualitas humorum eſt conſideranda, hoc eſt, quod genus humoris vitioſi ſit vacuandum & educendum, attendendum ſtudioſiſſimè. Non enim aliud, niſi quod corpori noſtro pravitate ſua moleſtum eſt, humoris genus vacuare oportet. Quòd ſi igitur pituita ſuprà modum aucta eſt, corpusque infeſtat, hanc omnino vacuare oportet. Si verò flava bilis, vel atra corpus moleſtat, à pituita abſtinendum, & bilis potiùs vacuanda. Sic ubi ſeroſa humorum pars abundaverit, & hanc ſolam tunc vacuare oportet. Id quod Hippocrates etiam iis verbis innuere voluit: In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontaneis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & facilè ferunt. Sin minus, contrà. Et iterũ: Quæ vacuantur, non ſunt æſtimanda, copiâ, ſed quòd talia vacuãtur, qualia vacuari oportet, & quod æger facilè fert. Proinde ut in omnibus aliis vacuationibus, ita etiam in purgationibus, ſecundo loco ægrotantis vires, diligenter, & ferè ſolæ ſunt expendendæ medico ſtudioſiſſimè. Quùm enim immodicæ purgationes vires lædant, & eò magis quò fuerint copioſiores, donec tolerant, & nondum planè exhauriantur, tentandum

Quid vacuãdum?

1. Aphor. 2.

1. Aph. 23.

Vires ægrotantis.

dum ut exuperans humor expurgetur. Quùm verò dissolvuntur, etiam si restant supervacua, ab eorundem tamen vacuatione desistendum erit. Haud enim temerè Hippocrates dixit, vacuationes quæ ad extremum ducunt, esse periculosas. Et rursus inquit: Plurimum & repentè vacuare, periculosum. Quocirca vehementes purgationes, quibus tamen hodie plerique utuntur, magno studio vitandæ sunt, quòd maximo cum periculo coniunctæ. Nam extrà hoc quòd ex ea vires supra modum debilitantur, demoliunturque, ventriculo etiam noxam inferũt haud levem. Siquidem eum non raro ita lædunt ac turbant, ut deinceps parùm rectè per universum vitæ spatiũ, officio suo fungi possit. Vt hinc perspicuum evadat omnibus, quanto cum errore ægrotantiumq; discrimine, recentiores & barbaram sectantes medicinam, nonnunquam eradicativè (sic enim loquuntur) vacuandum esse præcipiant. Nam ne unum quidem ex omnibus veteribus proferre possunt authorem, qui unica vice radicitùs humores, quantumvis malignos, purgandos esse suaserit. Prætereà nulla necessitas, nulla denique ratio est, quæ eos tam absurdam opinionem concipere, & fovere coëgerit. Quòd verò eorundem opinio sit non solùm absurda, sed & perniciosa, hinc promptè dignoscitur. Quùm enim in sanguinis missione (quæ tamen in nostris est manibus, adeò ut ipsam, nobis pro arbitrio nostro inhibere, liceat) etiam ea, in qua usque ad animi defectionem sanguis detractus est, universum quod noxium erat, haudquaquam vacuetur, quandoquidem, ut Galenus lib. 8. Ther. meth. cap. 4. testatur, nonnullis alvi deiectio, quibusdam bilis vomitus, aut sudores, interdum omnia tria, largissimæ sanguinis missioni supervenire compertum sit, quæ certè haud secuta fuissent, si copiosa illa sanguinis missio, quod noxiũ erat totum, & radicitùs vacuasset: quantò minus per purgans medicamentum id quod noxium est, totum vacuare licebit? Cùm enim in nostra potestate non

1. Aphor. 5.

Vehementes purgationes periculosæ.

Eradicativè haud vacuandum ullo tempore.

Eradicativa vix ulla datur purgatio tuta.

sit, ut purgantis medicamenti vim actionemque inhibeamus, in nullo certè affectu usque ad animi defectionem purgare convenit: tantum abest, ut radicitùs vacuare, per purgantia medicamenta audeamus impuritatum colluviem. Metus enim est, ne etiam animi defectione invadente, universam suam actionem medicamentum obierit. Si itaque iam deficiente animo plus purgarit medicamentum, certum est syncopen, & hanc ipsam, mortem, subsecuturam. Nõ est igitur radicitùs, aut, ut Hippocrates loquitur, ad extremum vacuandum, aut purgandum. Cæterùm in purgatione ætas minimè prætereunda erit, quòd hæc interdum, quò minus purgantia medicamenta propinemus, obstet, aut ad purgantis usum proliciat. Pueri enim, (cùm nondum iustam incrementi perfectionem sint consecuti) purgationibus planè inepti existunt. Quapropter si alvus ipsorum adstricta fuerit, mel, si nihil aliud impediat, cibo adjiciendum, aut resina terebinthina, quæ ciceris quantitatem æquet, Paulo lib. 1. cap. 7 authore, exhibenda. Cassia quoq; fistularis dicta, ad eam rem, quòd vi leniẽte & emolliente prædita sit, satis commoda existit. Senes autẽ, potissimùm ubi viribus admodũ destituti sũnt, quòd naturâ sicciores sint, ac imbecilles frigidi, purgantib⁹ medicamentis parum idonei sunt. Est etiam ideo ætas medico in purgationibus expendenda, quòd hinc non rarò infestantem corpus humorẽ deprehendere liceat. Cùm enim quævis ætas, suos habeat morbos, quemadmodum sectione tertia Aphorismorum palàm attestatur Hippocrates, facilè quales eosdẽ morbos ꝓcreaverint humores, inde medicus cognoscet, qualiaque purgantia medicamenta illis vacuandis idonea, sint exhibenda, intelliget. In purgatione quoque tempus anni præsens, minimè negligendum erit: Sunt enim quædam anni tempora, in quibus purgationem adhibere prorsus temerarium est & periculosum. Ex quorum utiq; numero est æstivum, maximè id, in quo caniculæ sydus exoritur. Exusta enim tunc natura,

Aetas.

Puerorum alvus ut lenienda.

Senes.

Cur ætatis, in purgatione necessaria sit observatio.

Tẽpus anni.

natura, eam, quæ à medicamentis purgantibus fit, acrimoniam & maiorem uſtionem non fert. Natura etiam ipſa, æſtu iam imbecilla reddita, ex purgatione magis diſſolvitur. Quocircà plures hoc tempore purgati, incidunt in febres, & viribus planè deſtituũtur, intereuntq;. Accedit iis omnibus, quòd hoc tempore calor, aëris ambientis in corporis ſuperficiem & partem externam, trahat humores, motionem planè contrariam ei, ad quam medicina ducit, ut hoc nomine pravam admodum hanc purgationem eſſe oporteat. Proinde non temerè dixit Hippocrates: „Sub cane, & ante canem, medicamentorum uſus mo„leſtus atque difficilis eſt. Accommodatiſſimum autem tempus ad purgationem eſt Vernum, quòd nimirum omnis exceſſus in medio ſit, adeoque temperatum. Quapropter in eo non eſt calor, qui corporis efficiat diſſolutionem, neque frigus humorum concretionem afferens, non inæqualitas vires perturbans. Atque hinc eſt, quòd Hippocrates in Aphoriſmis ſic ſcriptum reliquerit: Quibus medicamentum purgans confert, hos verno tempore purgare convenit. Porrò anni temporum obſervatio, non modò in molienda purgatione utilis eſt, ſed & ad noxii humoris dignotionem non parum conducit, adeoque perquàm eſt opportuna. Hyeme namque, ut in libro de Humana natura Hippocrates atteſtatur, in homine pituita augetur, Vere ſanguis, Aeſtate flava, Autumno verò atra bilis exuperat. Quare, ſi hyeme morbi invaſerint, magnâ ex parte pituitoſi erunt: ſin æſtate, bilioſi. In hac itaq;, quę bilem ducũt: in illa verò, quæ pituitam vacuant potius ſunt exhibenda medicamenta. Pari ratione regio quoq; ipſa, in qua degũt qui purgatione indigent, à medico cõſiderãda probè. Hęc enim ſi ſuprà modũ calida fuerit, purgationẽ aut impedit, aut quã concedit parciſſimã impedit, ꝙ ad exteriora humorũ motum, contrà quã purgans ſoleat medicamentum, concitet. Præterea nõnihil etiam ad infęſtantis humoris notitiã confert.

Aeſtate purgationes vitandæ.

4. Aphor. 5.

Vernũ tempus purgationi præſervatoriæ præſertim accommodatiſſimũ.

6. Aph. 47.

Regio.

In calida enim regione, calidi plerunq; humores exuperant, quemadmodum in frigida, frigidi &c. Morbi deniq; species in purgationibus contemplanda medico, & oculis quidem inspicienda lynceis, quòd ex ea, quamcunque tandem ætatem morbus invaserit humor noxius, morbumque excitans causa prompte agnosci possit. Exempli gratia, si è febrium genere tertiana hominem invaserit, quòd à bile modum & debitam mensuram excedente infestetur æger, constat. In ea igitur ipsa febre, bilem purgans medicamentum esse dandum, hinc medicus colligit. Quòd si quartana febris hominem corripuerit, atram bilem corpori facessere negocium, nulli non hinc perspicuum evadit. Hæc igitur purgans medicamentũ requiret melanagogum. Sin quotidiana afflixerit, pituitam molestare corpus omnibus patet. Hanc itaq educere potens medicamētum tunc propinabimus. Quapropter singula jam ordine commemorata medico, quo firmiorem ac magis stabilem noxii humoris notitiam habeat, accuratè consideranda erunt. Neque enim ullo tempore, alius humor præter eum qui in corpore præter naturam redundat, illudq; infestat, purgante medicamento vacuandus erit. Atqui dixerit fortè quispiam: Quid igitur medico faciendum erit, si cum humoris alicujus definiti dominio, alii quoque redundaverint omnes, estne simul utroque vacuationis genere, nempe venæ sectione, qua omnes, & purgatione, qua vitiosus tantùm vacuatur humor, utendum? Minimè gentium, quòd simul & eodem tempore duabus vacuationibus diversis, sibique quodam modo contrariis, quales illæ quidem sunt, uti sine maximo tùm sanorum, tùm ægrorum dispendio, & vitæ discrimine non licet. Nam venæ sectio, humorum cursum & impetum, ad exteriora revocat: purgatio contrà ad interiora eosdem rapit viscera, ventriculum exempli gratia, & intestina. Non parùm etiam duæ vacuationes, nulla interposita mora adhibitæ, vires ipsas debilitarent. Accedit quòd

Morbi species.

Obiectio, & huius dilutio.

Duabus vacuationibus simul eodéq; tempore minimè utendum.

quòd vacuandorum quantitas, hac ratione à medico metiri haud possit. Proinde ubi utroque vacuationis genere opus erit, alterum præcedere, alterum sequi debet. Et præstat quidem venæ sectionem, purgationi præmittere, quàm venæ sectioni, purgationẽ præponere. Id enim ut faciamus, non solùm veterum, Hippocratis potissimùm, Galeni, & aliorũ Græcorũ nos hortatur autoritas, sed & ratio ipsa. Quòd verò uno consensu idipsum veteres docuerint, alibi, nempe lib. 2. Paradoxorum, cap. 3. monstravimus, ut non sit necesse hoc loco repetere. Ratio verò, cur venæ sectio, purgationem præcedere debeat, hæc est: Summota quippe aut imminuta plenitudine, qui redundant pravi & noxii humores, expeditiùs à medicamento purgante trahuntur. Siquidem hoc, venas, arterias, inanesque corporis regiones inveniens, minimè oppletas, nullo negotio in totum dimanat corpus, humoresq; per lata vasorum spacia fusos & attenuatos trahit, vacuatque. Sin præpostero ordine purgationi, primæ concedantur partes, medicamentum purgans, propter plenitudinem & vasorum angustiam, in totum corpus deferri nequit, sed subsistit, & nihil efficit: aut certè id, quod efficit, malè efficit. Nam agitationem aliquam humorum excitat, at propter viarum angustiam, aut immodicam humorum in venis copiam, eosdem attrahere nequit. Præstat itaque, si par adest utriusq; remedii necessitas, ut à sanguinis missione ordiamur. Siquidem melior deinde exinanitis vasis, humorum attractio fiet, & natura, ab eo, quod ipsam premebat, onere, levata, ac purgantis medicamenti vi jam excitata, quicquid noxium & inutile est reliquum, faciliùs segregabit, & impellet, ipsumq; medicamentum, etiamsi minimè vehemens ac debile est, minori negotio, quod restat, trahet, & educet, omniaque ex sententia succedent hic felicissimè.

Venæ sectio purgationi præmittẽda.

Fuchsii liber Paradoxorũ.

Quid incommodi sequatur cum neglecta venæ sectione, ordimur à purgatione.

QVA

QVA DIEI HORA, MEDICAmentum purgans, exhibendum sit sanis ægris. Cap. XIIX.

Purgās propinandum, à cibo maximè vacuo existente.

QVI purgans medicamentum est sumpturus, is curet ut idipsum convenienti tempore, & hora faciat. Neq; enim omnis hora ad ejus sumptionem idonea existit, sed ea sola, qua vētriculus à cibis maximè vacuus est. Quòd si namq; ea hora, qua ille cibis refertus est, purgans medicamentum dederis, vis ejus à ciborum copia obruetur, nec leve periculum imminet, quin ipsi cibi à medicamento sumpto corrūpantur, aut semicocti cum medicamēti viribus, in venas, & totum corpus deferantur. Proinde ad purgantis medicamenti sumptionē, aptissimum tempus, est matutinum, quòd tum concoctiones omnes perfectæ sint, ventriculusq; nihil in se ciborum contineat. Cujus sanè rei optimus est testis Paulus AEgineta, qui lib. 7. cap. 6 ita scriptum reliquit: In universum in omnibus efficacibus purgationibus, medicamentum homini, quem certa prius victus ratione alueris, jejuno, & ei qui probè concoxit ei cibos, exhibere oportet. Quapropter recentiorum, & eorum qui hodie medicinam faciunt, modis omnibus explodenda opinio erit, propterea quòd quum caput maximè purgare conātur, catapotia, seu, ut usitatiori illis utamur vocabulo, pilulas post cœnā, aut certè paulò antè cœnam, devorandas præbent. Quippe is mos non solùm adversus ea, quæ diximus, ex diametro pugnat, sed etiam à veteribus prorsus damnatus est rectissimè. Siquidē Paulus AEgineta libro paulò antè citato, c. 4. eos, qui aloën vesperi exhibēt, aut à cibo sumpto propinant, noxam inferre, disertè affirmat, quòd scilicet alimentū cibúmve corrūpat, & flavam bilē minus vacuet. Si igitur aloë, (quæ ex toto cor-

Matutino tempore purgationes sumenda.

Recentiores practici taxantur.

Pilulas à cœna non esse exhibendas.

to corpore trahere nequit; & grata est ventriculo) à cibo exhibita tantam noxam inferre potest, quid futurum est, si vehementia catapotia, quorum compositionem scammonea, colocynthis, & id genus alia medicamenta violentissima ingrediuntur, exhibeantur? Verùm dicet fortè quispiam: Cùm is recentiorum mos, cum veterum placitis, & ratione ipsa tantopere pugnet, quid igitur eos impulit, ut illum omnes, propemodum ambabus, quod fertur, ulnis, amplexi sint? Perversa mehercle imaginatio, quæ etiam aliâs, illis crebrò imposuit, ut Arabum avidè nimium amplecterentur placita. Arbitrantur namque, quum cibus adhuc in ventriculo hæret, fore ut pilularū facultas, unà cum vaporibus à cibo elatis permista, rectà sursum ad caput feratur, & eā ob causam humores noxios, ex capite promptissimè deorsum in ventriculum trahat. Quasi verò per fauces, & gulam, noxii in capite contenti humores, à medicamento hausto, mox rectà deorsum trahantur, & non potiùs per venas, ad ventriculum & intestina deducantur. Per quas enim venas, purgantis medicamenti vis, à ventriculo, in caput distribuitur, per easdem certè etiam ex capite & universo corpore, in ventriculum & intestina proprios & sibi familiares humores trahit medicamen. Sed & sensus, & ratio ipsa, quàm absurda & erronea sit recentiorum medicorum opinio, abundè testantur. Sensus quidem, quòd nihil noxiorum humorum per fauces & gulam, ii qui sumpserūt medicamentū purgans, descendere ex capite percipiant. Ratio, quia si ex capite, per fauces in ventriculum humores traherentur, multò sanè expeditius screatu & vomitione, vacuarentur, quàm per alvuum. Quum itaque ostensum jam sit, commentū eorum esse planè frigidum, & cum anatomica ratione pugnare, utpote quæ doceat purgantis medicamenti, in ventriculum assumpti, vim, per intestina, & mesaraicas venas, ad jecoris portam, ab hac, ad jecur, ab illo, rursus ad concavam vocatam venam, ab ea mox sursum

Occasio pravæ opinionis recentiorum.

Per quas vias noxii, à capite in ventrem.

Purgationis tempore trahantur humores.

Per quas vias vis purgatrix se se in corpus diffundat, & hoc in ventrem.

ad jugulares, & ab illis ad cerebrum distribui, ac subinde per eandem viam attractos humores, à cerebro, ad intestina, & ventriculum descendere: neque enim, ut testis est lib. 3. de Naturalibus facult. Galenus, alia distributionis, & alia tractionis medicaminum vasa sunt: hac de causâ debent deinceps hanc sententiam tanquam noxiam, & à veritate abhorrentem omnes quotquot veritatis amantes sunt medici deserere.

Obiectio diluitur.

Sexagenario ex aloe parata catapotia dedit Gal.

Atqui non deerunt, sat scio, qui pro tuendo veteri errore, nobis Galeni locum ex cap. 8. lib. 14. Thera. methodi proferent, ubi ille sexagenario cuidam, qui tumefactam linguam habebat, catapotia ex aloë, scammoniâ, & colocynthide composita, vesperi exhibuit, adeoque hoc facto recentiorum morem haud dubiè confirmavit. Sed facilè quòd nobis objicitur, refutari potest ab eo, qui universam historiam paulò attentiùs expenderit. Etsi enim vesperi exhibuisse pilulas, dicto sexagenario Galenum negari non potest, non tamen à cœna, sed vacuo planè ventriculo; illas, hunc exhibuisse satis constat. Si enim cibi aliquid ingessisset æger, Galenus, idipsum silentio non transiisset.

Galeni temporibus in cæna parum, aut nihil comedere.

Quòd verò nihil cibi vesperi sumpserit, hinc primùm colligitur, quòd homines hoc seculo temperantiores quàm hodie fuerint, ita ut non solùm ægri, sed & sani, maxima ex parte, in cœna nihil ciborum assumpserint. Quod dicimus confirmat etiam morbi ratio; quem acutum, imò peracutum fuisse constat, ut hoc nomine tenuissima usus sit victus ratione. Et dato quòd nihil talium acciderit, tamen quia Galeno metuendum erat, ne aucta linguæ inflammatione, deinceps nihil medicamentorum deglutire posset æger, festinatione opus fuit, nec matutinum tempus expectari potuit. Quare ex hoc loco suæ opinionis patrocinium nullum invenire possunt adversarii.

QVAE

QVAE ANTE PVRGATIONEM NEcessaria sit præparatio. Cap. XIX.

QVI purgans medicamentum, convenienti hora est sumpturus, is unicè studeat, ut ad purgationem sit idoneus. Idoneus autem erit, si humores redundantes, & à medicamento purgante trahendi, tenues fuerint, omnisque tenacitatis lentorísve expertes, & meatus omnes, per quos hujusmodi humores transire debent, aperti. Ineptus contrà erit, ubi redundans vitiosus succus, crassus & lentus existit, meatusque, per quos noxius ille succus purgandus erit, haud patent. Qui igitur ad purgationes inepti sunt, hos medicus preparare & idoneos reddere debet, id quod bifariam fieri potest. Vno modo, ut humores crassi & tenaces, extenuentur, & incidantur, adeoq; fluxui apti reddantur. Vtendum igitur in hoc casu, tùm cibis tùm medicamentis, quibus extenuandi & incidendi facultas inest moderata, de quibus Galenus peculiarem librum exaravit, & lib. 8. Therap. meth. cap. 4. de iisdem copiosè tractat, ut & alibi agit sæpè. Non verò simplicibus tantùm medicamētis, ut sunt hyssopum, origanum, calaminthа, pulegium, & similia: sed & compositis, oxymelite, exempli gratia, & serapiis è calamintha, hyssopo, marrubio, & similibus, quorum hodie magna in officinis medicorum est copia, utendum esse abundè constat. Alter præparationis modus est, ut meatus corporis, per quos humores, qui purgādi sunt, transibunt, reserentur, & aperiantur, adeoq; corpus fluidum fiat, ac tale conservetur. Si enim illi meatus minimè patentes & obstructi fuerint, per eos transire noxii humores nequeunt. Reserandi itaque erunt per ea, quæ illos detergunt, & ab obstructione liberant medicamenta, corpusque, cibis humectantibus, ac balneis meatus corporis laxiores efficientib., fluidum faciendum, juxta Hippocratis in Epidemiis con-

Purgationē antecedat oportet corporis, & humorum vacuandorum præparatio.

Duo præparationis modi.

1

Præparationis scopus alter.

Meatus cutis reserantia pharmaca.

6. Epidem. sect. 5.

Aphor. 28. silium, ubi ita inquit: Si volueris, ut is, qui Elleborum
4. *Aph.* 13. bibit, celeriùs purgetur, idem ut lavet, aut comedat, præcipe. Et iterum: Qui ad Ellebori sumptionem non facilè sursum purgantur, horum corpora ante potionem, præhumectanda sunt, uberiore cibo
2. *Aph.* 10. atque quiete, ut & balneo. Et uno verbo: Corpora, ubi quispiam purgare vult, fluida faciat oportet. Id quod efficiet, ubi humores tenues, nulloque lentore præditi, & meatus corporis aperti fuerint. Quod satis in Commentariis hujus aphorismi testatur Galenus, dum ita scribit. Erit fluidum corpus, omnibus quidem meatibus reseratis, humoribus verò noxiis incisis, detersis, & extenuatis, si quis modo humor in corpore crassus ac lentus fuerit. Quum itaque duo in universum sint præparationis ante purgationem necessarii modi, nempe crassorum & lentorum humorum attenuatio, abstersio, & incisio, meatuumq; corporis interiorum apertio, omnibus perspicuum evadit ubi meatus corporis, per quos humores purgari debent, aperti sunt, & humores jam alias sunt tenues, nulla opus esse præparatione. Quapropter biliosi humores, cum suapte natura tenues sint, adeoq; ad vacuationem, (illam maximè, quę per medicamenta purgantia fit) faciles & expediti, modò viæ & meatus, per quos transire debent, reclusi sint etiam, pręparationem nullam requirunt. Hinc est, quòd Galenus lib. 14. Therap. meth. cap. 17. inter cætera sic scriptum reliquerit: Flavæ bilis vacuatio facilis est: pituitæ verò, ac potissimùm ejus, quę crassior & glutinosior est, vitrea ac gypsea quodammodo: item nigræ bilis difficilior Hippocrates quoque in libro de Humana natura, bilis vacuandæ facilitatem, satis innuit, dum quodvis medicamentum purgans, post familiarem & cognatum sibi humorem, flavam bilem statim, & præ reliquis omnibus trahere scribit, quòd scil. ductu facillima sit. Galenus denique lib. 3. Progn. com. 25. humores corporis calidiores tenuioresque, (quales

Biliosi humores nulla egent præparatione.

sunt

sunt biliosi) paratissimos esse, ad excretionem tradit. Quòd si verò meatus, per quos bilis duci debet, obstructi sint, certè altera purgatoria, pręparatione, quæ illos aperit ac reserat, opus erit. Ad eam verò parandam non adhibenda sunt vehementer calida, quòd illa, bilis copiam augerent: sed ea potius, quæ facultatem habent extenuandi, & abstergendi, ac reserandi citrà vehementem calorem: ut est in ciborum genere ptisana, in medicamentorum autem serie cichorium, intybum, semina peponum, & cucumerũ, item serapium acidum simplex, oxysaccharum, & id genus alia. Non parum etiam ad relaxandos corporis meatus, tali in cacochymia biliosa balneum aquæ dulcis conducit, ut comprehensum est anteà. Ex iis omnibus perspicuũ fit, Avicennæ verba Fen. 1. Canone 4. tract. 2. cap. 7. de Intentione, ad curationes universales, febriũ, putredinis, docẽtis; subtilem seu tenuem humorem esse incrassandum, & lentum econtrà incidendum, neque simpliciter ad præparationem, neque etiam ad concoctionem noxiorum humorũ, ac ipsius morbi posse referri, adeoque meritò, tanquam à veritate abhorrẽtia, ab Averroë & aliis quibusdam esse reprehensa. Ad concoctionem morbi non posse referri, sequenti cap. monstrabimus. Nunc de præparatione tantùm dicemus; quæ solius est crassi & tenacis, (ut ostendimus) humoris. Nam is ut commodè purgari possit, extenuantibus & incidentibus tùm cibis, tùm medicamentis, (antè ut dictum jam) est præparandus. Humor autem tenuis, cùm suapte natura ad vacuationem sit facilis & expeditus, ut faciliùs ac promptiùs purgetur, nunquam à medico incrassandus erit. Quantò enim subtilior est, tantò facilius à purgante medicamento trahitur, ipsaque vi expultrice pellitur; quod tùm ratio ipsa, tùm experientia etiam satis confirmant: Quum itaque Avicenna in purgationibus quoque opus esse dixerit, ut tenues humores incrassentur, meritò ab Averroë est reprehensus, iis quidem verbis:

In bilis redũdantia quibus medicamẽtis meatus reserãdi sint.

Avicennæ error detectus.

Præparatio solius crassi humoris.

7. collect. cap. 9. Avicenna jubet, in morbis, â tenuibus humoribus genitis, concoctionem præmittere, quam hoc pacto definitam tradidit: Concoctio tenuium, est eorum incrassatio, crassorū verò extenuatio. Verumenimverò faciliùs humores tenues, purgabūtur ipsis crassis. Vnde à nonnullis scriptum est medicis; se nunquam purgans medicamentum exhibuisse, quin flava bilis prior vacuaretur. Levissimam enim & tenuissimam esse bilem; cæteros autem humores sequi eamdem. Quod idem sensus tibi indicat, tenuiora scilicet, crassioribus promptius purgari. Hæc Averroës.

Humorum tenuium præparationis definitio Avicennæ.

„ bilis prior vacuaretur. Leviſſimam ...

Avicenna quod de sola tussi & sternutamentis verū de purgatione quoque omni falso statuit.

Maximo igitur errore, Avicenna retulit, in universum ad omnem vacuationem, adeoq; ad eam etiam, quæ per purgantia fit medicamēta, quæ ad peculiares, eas nimirum, quæ per sternutamenta, aut tusses fiunt, duntaxat pertinent. Nam cùm sternutamentum, & tussis non fiant, nisi per plurimum & vehementē spiritum, celerrimè foras erumpentem, qui impetu suo, explodit ea, quæ in naribus & respirationis meatibus contenta sunt acria, ipsiq; naturæ infensa necesse est, ut ea, quæ per illa vacuantur, neq; lenta & crassa, neq; tenuia admodum sint aquosa. Quæ enim lenta & crassa sunt, adeò naribus & arteriæ asperæ inhærent, & impacta sunt, ut ab iis facilè avelli & abstergi nequeant. Quæ tenuia sunt nimis, hæc sublevata, inter sternutandum, & tussiendum, à spiritu divisa retrò fluunt, ut copiosiùs lib. 4. de Laborantibus locis, c. 9. Galenus docet. Cùm itaque ea, quæ sternutamentis, aut tussi, expellenda & vacuanda sunt, crassitudine quadam participare necesse sit, ut ea, quæ supra modum tenuia sunt, aliqua ex parte etiam prædictis in vacuationibus, incrassentur, oportet. Non etiam eadem expellenti facultati omninò obsistere, adeoque violenter ac tenaciter inhærere debent: quocirca si lentore ac crassitie participant, extenuantibus & incidentibus medicamentis attenuanda & incidenda veniunt. Quid multa? quæ hac ratione vacuanda sunt, essentiæ mediocritatem habeant, necesse est. Quapropter

Sternut. & tuss. ut fiant.

propter rectiſſimè de iis Avicennæ dictum, quo præcipit tenues humores incraſſandos, & craſſos ac lentos extenuandos eſſe, intelligitur. Malè autē ad eam expulſionem vitioſorum humorum, quæ per medicamenta purgatoria fit, torquetur. Hæc enim non aëris impulſu, ad quem, debita ejus, quod patitur & pellitur, reſiſtētia requiritur, quæ in mediocritate certæ eſſentiæ conſiſtit: ſed attractoria purgantis medicamenti, & expultrice facultate perficitur. Quantò itaq; humor tenuior ac mobilior fuerit, tantò facilius à medicamēto purgante per anguſtos meatus trahitur, ac ſubinde expeditiùs expellitur, abſq; omni prævia præparatione. Errandi autem occaſionem Avicennæ hauddubiè Galeni locus, ab eo parum rectè intellectus, præbuit, qui eſt in libello de Conſtitutione artis medicæ, ubi non obſcuris verbis inquit, craſſum & lentum humorem, eſſe attenuandum, tenuem verò incraſſandum. Verùm ſi locum illum Galeni intentis oculis conſpexiſſet Avicenna, non de iis, quæ è corpore per medicamenta ſunt vacuanda, ſed de iis potius, quæ in eo manere debent, adeoque in ſtatum naturalem redire poſſunt ac debent, intelligendum eſſe animadvertiſſet. Nam Græcè ſic habet: *τὸ δ' ἐπανελθεῖν δυνάμενον εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἀλλοιοῦν διὰ τῶν ἐναντίων: τὸ μὲν παχὺ καὶ γλισχρὸν λεπτύνοντα: τὸ δὲ λεπτὸν παχύνοντα*: Quod in naturalē ſtatum redire poteſt, contrariis alterare oportet prçſidiis: craſſum quidem & lentum, attenuando, tenue verò incraſſando. Verbi gratia, ubi humores in capite præ nimia ſua tenuitate, in thoracem deſtillant, incraſſari debent, & in naturalem ſtatum, ut deinceps deſtillare nequeant, reduci. Pari modo, ſi pituita plus juſtò craſſior fuerit, attenuari debet, & in naturalem ſtatum reduci, ut ſubinde cocta in ſanguinem mutari poſſit. Atq; hæc de præparatione, quæ arte fit, adeoque à concoctione, quæ à natura perficitur, (ut ſequenti oſtendemus capite) differt, dixiſſe ſatis ſit.

Avicennæ errandi occaſio.

Galeni locus Avicen. favens, enarratur.

Præparatio, à Concoctione differt.

QVID CONCOCTIO, ET QVOT eius differentiæ. Cap. XX.

Crudi humores non purgandi. PVrgans medicamentum, à medico temerè nunquam est propinandum, nisi ubi humores vitiosi, morbumque excitantes fuerint concocti: Siquidem peracta concoctione, naturam ipsam, vacuationi habemus adminiculantem, utpote quę tum humores secernit, & redundantias excernit. Vt non *1. Aph. 12.* abs re Hippocrates in Aphorismis ita præceperit: Cō„ cocta purgante medicamento educere, & ea, quę non „ sunt cruda, movere oportet medicum, neque in prin*Quæ turgent purganda.* cipiis morborum, nisi humores turgeant. Magna verò ex parte non turgent. Vt igitur quæ cruda, quæ itē concocta sint, cognoscamus, quid concoctio sit, & quot differētiis cōstet, ostendamus necesse est. Con*Concoctio quid.* coctio itaque, Aristotele lib. 4. Meteor. cap. 2. authore, est perfectio, quæ à naturali proprióve calore, ex oppositis fit passivis, quæ sua cuiq; materia existunt. *Aliæ Concoctionis definitiones.* Vel breviùs ac clariùs: Concoctio est actio quædam nativi caloris, in qualitates, quæ patiuntur. Galenus & eum sequentes Medici, concoctionem definiunt esse alterationem cibi, & humorum ab innato corporis calore factam. Atque hæc perspicua planè est definitio, & perfecta, ut quæ singulas concoctionum differentias complectatur, quæ certè, eodem Galeno *Concoctio duplex.* lib. 1. Epidem. sectione 2. constit. 3. comment. 41. teste, gemina existit. Vna, quæ est alimentorum, & eorum, quæ secundùm naturam se habent. Hanc Galenus libro 3. de Naturalibus facultatibus ita definit: *Alimentorum concoctio quid?* Concoctio est alteratio & cōversio ciborum, in propriam ejus, quod nutritur, qualitatem. Et in libro de Symptomatum differentiis, cibi alimentive, in qualitatem animanti familiarem permutationem esse tradit ipsam concoctionem. Libro autem primo Epidemiorum, Commentario secundo, Aphoris. 44. concoctionem in coquentis, ejus, quod cōcoquitur, sub-

substantiam quādam esse deductionem scribit. Quæ quidem definitio cum prioribus in idem recidit. Hæc Græcis propriè πέψις, & Latinis privatim concoctio nominatur. Eius autem tres sunt species. Vna, qua cibus, in ventriculo concoquitur: altera, qua inibi generatus succus, in iecore, & vasis, in sanguinē mutatur: tertia, quà sanguis, in singulis partibus corporis, in idoneam alendæ partis substantiam mutatur, ut fusiùs libro primo, sectione sexta, capite quinto diximus. Quæ in ista concoctione, alterationéve in ventriculo & iecore exquisitam elaborationem non sunt adepta, & citrà sanguinem substiterunt, cruda vocātur. In habitu autem totius corporis cruda sunt & habebuntur, quæ elaborationem nullam: semicocta autem, quę imperfectam consecuta sunt. Sanguis itaq; pituitosus, & lentus reverà crudus ac semicoctus existit, quòd caro ex eo tumida, aquosa, flatulēta, in summa, alba, & pituitosa procreetur, ac species hydropis, quā ob id λευκοφλεγματίαν appellāt, oriatur. Cruda itaq; sunt, quæ in ventriculo nullam prorsùs alterationem, aut imperfectam, (quę tamen propriè semicocta nominantur) acceperunt. Crudi sunt humores similiter, qui in iecore, aut habitu totius corporis, nullam alterationem sunt experti, aut qui perfectam elaborationem non attigerunt, humores: qui tamen propriè semicocti appellantur. Crudi insuper omnes sunt generatim humores, qui citrà sanguinem bonum subsistunt: ut libro 4. de Tuenda sanitate, capite 4. fusiùs monstrat Galenus. Tales autē sunt frigidi & crassi, seu pituitosi, ut loco iam citato, & multis aliis in libris suis Gal. ostendit. Vnde perspicuum evadit, biliosos humores non esse hac ratione crudos, quòd nimirum excessu caloris, atq; ex sanguine supra iustum modū percocto, adeoque asso & exusto fiant: non igitur hanc concoctionem primā, de qua nunc loquimur, requirūt, sed sol⁹ sanguis, & humor, ut in sanguinē mutetur, idoneus.

πέψις. *Chylificatio,* *αἱματοποΐα.* *Cruda quæ.* *Semicocta.* *λευκοφλεγματία.* *Crudi humores,*

Ventriculi cruditates immediatè educendæ.
Cruditatis remedium.
Cruda purgantibus medicamentis non vacuanda.

Cæterùm cruda, quæ in ventriculo hærent, quòd illis non ſit per anguſtas vias tranſeundum, etiam priusquàm concocta fuerint, educi poſſunt. Et præſtat etiam illa, priusquàm in habitum totius corporis traducantur, educere. Hinc eſt quòd Galenus unicum cruditatis eſſe remedium lib. 1. de Aliment. facultatibus ait, ſi ea, quæ cruda ſunt in ventriculo, per alvum ſecedant. Cruda verò, quæ in primis venis, iecore, & aliis vaſis hinc in univerſum corpus diſtributis, & in habitu totius corporis ſunt, medicamentis purgantibus vacuanda non ſunt, priusquàm concoquantur.

Cur crudi ſucci ante cõctionem non ſint movendi.

Cuius quidem rei cauſam recenſet Galenus lib. 4. de Tuenda ſanitate, cap. 5. in hunc ſcribens modum: Deiectio, inquit, in iis, quibus plurimi crudi humores in venis ſunt, tormina cruciatúſve, circa umbilicum, & roſiones creat maximas, animique deliquia, taceo, quòd nec notatu dignum quippiam educitur, quādo crudi omnes humores, pigri atque ad motum inepti, propter craſſitiem frigiditatemq; ſunt. Quo fit, ut etiā omnes anguſtas vias, per quas, id quod medicamentum deiicit, ferri ad alvum debebat, obſtruant: itaq; nec ipſi educuntur, & aliis ſunt impedimento. Id quod ſanè Hippocrates illo oraculo præcavit, quo breviſſimè præcipit ſuis in aphoris: Concocta medicamentis tentanda eſſe, non cruda. Eadem de cauſa nec exercitare, nec omnino movere, ſed nec lavare expedit eos, qui in primis venis, crudorum copiam habent: ſiquidē omnes id genus motus, ſuccos illos crudos in totum corpus agunt. Servandi igitur hi ſunt in omni quiete, dandaque ipſis cibus, potio, medicamenta ſunt omnia eius generis quæ attenuent, diſſecent, & conficiant ſuccorum craſſitudinem, idq; citra manifeſtum & vehementem calorem. Nam qui excalefacti vehementius ſunt ſucci, hi in omnem corporis partem feruntur. Ergo nutries hos maximè, oxymelite, aliquando etiam ptiſanæ & mulſæ exiguo quopiamvé alio moderatè attenuante pharmaco. Suſtinent enim ii victum, ſi modò ulli alii, tenuem, i-

ipsa nimirum crudorum humorum copia, quos paulatim concoquunt, ad corporis alimentum iisdem abutentes. Hæc ille. Atq; hæc quidem de prima, quæ propriè concoctio nominatur, dixisse satis sit. Altera est eorum, quæ præter naturam sunt. Et hæc quidem non est nisi humorum morbum efficientium alteratio, atq; Hippocrati in Epidem. & Galeno πεπασμός, Latinè maturatio, discriminis gratia nominatur. Cocta itaq; de hac ratione hocque in significato Hippocrati & Galeno appellantur, quæcunque à natura ipsa evicta sunt. Cruda verò, quæ non sunt evicta. Verùm esse quod affirmamus, testatur Gal. lib. 1. Epid. Com. 2. aphor. 46. inquiens: Vt concoctiones fiunt, natura, morbosas causas evincente: sic non evincente natura, contraria fit affectio. Et libro 2. de Vict. acut. morb. Com. 44. ubi ita scriptum reliquit: Concoctio est, ubi natura causis morbosis fortior fuerit, easque suo robore permutaverit. Ibidem quoque disertè docet, cocta esse, quæ à natura ipsa evicta sunt: cruda contrà, quæ minimè adhuc superata. Hac ratione, pus in phlegmone, quod à natura evictum est, concoctum vocatur, etsi pars nulla, ex pure alatur, quemadmodum ex crudis & pituitosis, ubi concocti fuerint, humoribus aluntur. Eadem ratione & urinas crudas concoqui dicimus, cùm ad naturales proximè vergunt: etsi corpus ex coctis urinis ali non possit. Ita sputum quoque crudum vel coctum appellamus. Ad hunc quoque modum destillationem, gravedinem, ichores, & humiditates, quæ in lippitudine emanant, aut crudas, aut concoctas esse dicimus. Hoc denique modo biliosos humores crudos, vel coctos esse pronunciamus; variarum qualitatum suarum habito respectu. Et Galenus quidem, loco paulò antè citato, crudam bilem, suis notis depingit, quemadmodum etiam concoctam, inquiens: Cruda quidem bilis flava est, & acris, & malè olens. Cocta verò & pallidior, & minimùm malè olẽs. Vt hinc palàm fiat, hanc alteram concoctionem, nihil aliud

Altera concoctio succorum morbidorum.

πεπασμός.

Maturatio.

Cocta.

Cruda.

Lib. Epid. 1. Comment. 2. Aphor. 44.

πέπασμὸς quid propriè sit? esse nisi dominatum, & victoriam naturæ, in humorem noxium, sive putridum, sive non putridum. Ex hac itaq; concoctione id consequitur natura, ut humorem illum, qui antea parum obsequens fuit, nunc gubernare, ac pro suo arbitratu excernere possit. Proinde omnis humor, qui excernendus venit, antea cõcoctus sit, oportet, quòd tantisper dum crudus est, & à natura nondum evictus, vacuari commodè non queat. Concoctus autem, & tanquam subactus ac edomitus, nullo, aut saltem minore negotio à vacuante medicamento profligatur, & exhauritur ac vacuatur. Hanc igitur concoctionem non solùm pituitosi, ut priorem, sed & biliosi exigunt humores.

An flava bilis concoctione egeat. Quapropter libenter admodum concedimus, flavã bilem, quamquam natura tenuis sit, concoctionem hanc alteram requirere. Nisi enim priùs à natura evicta sit, medicamentis purgantibus, & vacuantibus etiam aliis, commodè educi nequit. Hac verò ratione cocta, & veluti subácta & edomita, naturæq; obsequẽs reddita, absq; ulla molestia, minoriq; negotio, deinceps ad convenientia evacuationis loca, à purgante medicamento trahetur. Nam nisi in eum quem diximus, edomita fuerit modum, sua acrimonia erodet, atque excoriabit, fœtoreq; suo, & fervore molesta erit. Atqui adversus ea quæ dicimus, fortè

Obiectiones. quispiam ita instabit: Flava bilis ex tali concoctione crassior evadet, & sic ægriùs expelletur. Crassiorem autem evadere, in primis testatur Aristoteles libro 4. Meteor. cap. 2. ubi non obscuris verbis ea quæ concoquuntur, crassiora aridioraque effici scribit. Idem Alex. Aphrodiseus in universum omnia quæ concoquuntur, ex tenuibus crassiora evadere, testatur. Quinetiam Galenus lib. de Totius morbi temporibus asserit, tum saniem ipsam, tùm urinam, tùm sputum, item lippitudinem, humoresque, qui è cerebro in palatum & nares destillant, deniq; omnia excrementa, initio atq; dum cruda adhuc sunt, aquea & tenuia esse: quum verò processu temporis concoquuntur,

quũtur, crassiora & pauciora evadere. Quibus omnibus & ratio & experientia ipsa subscribit, quę omnia, quæ concoquuntur, & à calido patiuntur, humida nimirum parte evaporante, & quod tenuius est absumpto, aliquo modo crassescere docet atque testatur. Fatemur itaq;, ea quæ à natura evicta concoctáverint, necessariò crassiora & pauciora fieri, quandoquidem concoctio ipsa, ut etiam Galenus lib. 4 de ratione victus in morbis acutis fatetur, cogat, & incrasset. Adeò ut recentiores medicos plurimùm hallucinari hinc constet, propterea quòd concoctionẽ, vel; ut ipsi loquuntur, digestionem, quùm id quod crassum est, attenuatur, fieri statuant: Errandi autem occasionem, iis, qui crassi concoctionem, cum eius subtiliatione (ita enim loquuntur recentiores) fieri censent, Avicenna præbuit, qui, (ut præcedenti capite ostensum est(Galeni locum malè intellectum, ad cõcoctionem eorum, quæ præter naturam sunt, adeoq; in hábitum corporis converti nequeunt, perperàm detorsit. Nam etsi concedimus concoctionem tenuium, esse incrassationem, tamen falsum erit, eandem crassorum attenuationẽ esse, cùm omnes humores, natura etiam crassi, in ea immutatione, qua à natura evincuntur (ut monstratum est) crassiores aliquo pacto reddantur. Atq; hac quidem ratione, bilis flava concocta, mitiorq; facta, aliquo modo crassescit, interim, dum id quod in eo nimis subtile fuit, partim evaporavit, partim ad quandam æqualitatem moderatã redactũ est. Verùm infert aliquis cõfestim: Igitur bilis, & alii humores, qui ex tali cõcoctione crassiores evadũt, ægriùs deinde expellũtur. Respõdeo, Nequaquã. Nã cùm eam crassitudinẽ, ab innato calido, & nequaquã ab immodico fervorę, neq; etiã à frigore, adepti sint fieri nõ potest, ut hæc ipsa, excretioni, evacuationíve obsistat, & adversetur: imò cũ hãc crassitudinẽ, nõ nisi quia à natura evicti sint, cõsecutos esse cõstet, multò prõptiùs iã, ac minori periculo expellẽtur. Quippe eum natura ordinẽ & morẽ, (Galeno etiã teste) observat, ut primò cõcoquat, dein secernat,

Quæ concoquũtur crassiora & pauciora evadere.

Recentiorum medicorum error.

Obiectio diluitur.

Non omnis crassitudo excretioni adversatur.

1. Aphor. Com. 22.

Cōcocta quare facilè vacuentur.

postea vacuet. Quùm itaq; post concoctionem na-turam ipsam, vacuationi adminiculantem habe-mus, expectandum erit, quoad ab ipsa natura evict adeóq; crassiores redditi fuerint humores noxii. Nec igitur omnis crassitudo vacuationi obsistit, sed e-duntaxat, quæ non fit à natura, & p.n. est, ac nimi

Non omnia crassa, etiam cocta.

Nec cuncta, quæ crassiora redduntur, ea quoq; con-cocta sunt, quòd nimirum duę sint crassitudinis cau-sæ, calidum videlicet, & frigidum. Nam calidum qu-dem, evaporando, frigidum autem adstringendo in-crassat. Quæcunq; igitur ab innato calido, crassio redduntur, ea concocta sunt, non item ea, quæ à fri-gido, seu nō naturali calore concrescunt, & cogūtu Cùm autem ea, quæ crassiora sunt, à calore nativ facta, sint concocta, necesse est, ut crudis sint contra-ria. Rursum si crudis, (quæ immoderata sunt) cōtra-ria existunt, mediocria sint oportet. Quapropter re-ctissimè Hippocrates urinam crassam, appellat eam quæ mediocris est, collatione nimirum ad tenuem quæ immoderata existit. Quæ contrà à frigore, au immodico calore crassiora redduntur, & uruntu quasi ac coguntur, hæc cruda sunt, & vacuationi ad-versantur.

4. Aph. 76. 77.

Concoctiones, à calidis externis iuvantur.

Cæterùm etsi utraq; concoctio, (ut mon-stratum est,) ab innato calido fit, tamen ab externi auxiliis, quæ hunc robustiorem reddunt, augent & fovent, iuvatur plurimùm. Idipsum verò possunt o-mnia, quæ temperatum, & mediocrem calorem ob-tinent, adeoq; caloris nativi substantiam, non quali-tatem augent & intendunt. Cuius rei testis est Gale-nus, qui lib. 5. de Simpl. med. fac. cap. 5. disertè natura-les alterationes, concoctionésve ab innato fieri calo-re, ab externo autem iuvari, scribit.

Qualis calor externus concoctionē iuvet?

Qualis autem es-se debeat is externus calor, in fine libri de Constitu-tione artis medicæ explicat, ubi quietem, calefactio-nem moderatam, boni succi ciborum mediocrem e-sum, & vini moderatè calidi potionem, ad cōcoctio-nem deducere tradit. Non efficere interim conco-ctionem, quia id munus solius est nativi caloris, sed

[πέ]ψιν ἄγειν inquit. Nec obstat, quòd sect. 5. Aphor. Comm. 22. idem Galenus calorem externum concoquere scribit: Concoquit interim calor hic, non quia concoctionem efficit; (ea enim à solo nativo, ut cōprehensum est, fit calore:) sed quia calorem nativum concoctionis effectricem causam principalem iuvat, fovet, & auget. Aut certè concoquit, non quidem primò & per se, sed secundò, & ex accidente, nativo nimirum calore, interveniente. Nam quando de iis, quæ aliquid efficiunt, sermo est, diligenter, Galeno etiam ipso lib. 1. de Simpl. med. fac. cap. 2. & 3. monitore, discernendum erit, num per se ex propriaq; facultate, an ex accidente, & aliquo interveniente, idipsum præstent. Proinde quum Gal. lib. 1. Ep. sect. 2. Const. 3. Com. 41. scribit omnia, quæ mediocriter calefaciunt, tùm cibaria, tùm fomenta, tùm cataplasmata, frictionem item medioctem, ac balnea, cōcoctiones efficere (ἐργάζεσθαι enim verbo utitur:) intelligendum erit; cuncta hæc non primò & per se, sed secundò, & aliquo alio, nempe nativo calore, quæ singula hæc fovent, augent, & iuvant, interveniente ac principaliter agente concoquere. Atq; locos hos ita esse intelligendos, alius eiusdem authoris, quem paulò antè ex lib. de Simpl. med. fac. citavimus, palàm evincit. Ibidem enim disertè inquit, concoctiones ab innato calore fieri, ab externo autem iuvari. Simili ratione certè explicandus venit Hippocratis locus, qui est in sect. 5. Aph. 21. ubi aquæ frigidæ perfusionem, curare distentionem sive tetanum scribit. Non enim per se & primò, aliàs, hoc tritum medicorū axioma, contraria cōtrariorum sunt remedia, everteretur: sed ex accidente, revocando nimirum calorem nativum, distentionem aqua frigida sanat. Calor autem per se, metipso Hippocrate teste, curat. Vt iam abundè pateat, calorem nativum per se, & primò concoctionē efficere, externum autem ex accidente, quatenus nimirum nativo opitulatur, illumque fovet, & auget. Quòd manifeste etiam Arist. 4. Met. cap. 2. iis signifi-

Galeni locus enarratus, & emendatus.

Causæ efficientes per se & per accidens.

Concoctionē adminiculantes causæ.

Concoctionis causæ primariæ, secundariæ.

Tetani curatio.

Arist. aucto-

vitas & testimonium. care verbis voluit: Quùm quid concoctum est, perfectum est, ac genitum, perfectionis exordium à nativo calore provenit: quamvis aliquo externorum adminiculo ad calcem usq; perduci soleat, quomodo alimentum, per balnea, & id genus alia concoquitur. Et idem quoq; ibidem testatur, quùm humoris concoctionem, quam maturationem aliâs vocat, nativum calorem efficere scribit. Porrò cùm ex iam dictis omnibus sit manifestum, concoctiones, à calidis tantùm, neq; iis quidem omnibus, sed duntaxat temperatis ac mediocribus iuvari, & perfici, hallucinari cõstat omnes nostræ ætatis medicos, qui bilis concoctionem à frigidis syrupis, violaceo, rosaceo, & nymphæa, intybo, & id genus aliis, fieri dicunt. Constat enim frigidum concoctioni, perpetuò adversari. Nam calorem nativum, qui concoctionem efficit, refrigerando extinguit. Hinc est, quòd Alexander Trallianus libro 1. cap. 10. biliosum humorem non per frigida, sed mediocriter calida, cõcoquendum esse docet: idque ex Galeni lib. 2. de Comp. med. loc. cap. 11. sententiâ, qui itidem balneis temperatis, & unctionibus, & potu diluto, bilẽ esse concoquendã hortatur. Sed præstat verba Tralliani subjicere, quę sic habent: Εἰ μὲν οὖν ἕνεκα τοῦ πλεονάζειν τὸν χολώδη χυμὸν πολλάκις ἡ κεφαλαλγία γίνεται, ποιεῖν ταύτης τὴν θεραπείαν διὰ τῶν καθαιρόντων, καὶ ὑποκλέπτειν δυναμένων τὸν χολώδη χυμόν. ἀλλ' ἵνα τοῦτον δυνηθῇ κενῶσαι καλῶς, ὑγροτέρας δεῖται τροφῆς πρῶτον, εὐκράτοις τε λουτροῖς, καὶ ἀλείμμασι, καὶ ὑδαρεῖ ποτῷ πλείονι. οὕτω γὰρ διαχυθεῖσα, καὶ οἷον ἀσθενεστέρα γενομένη εὐχερέστερον ὑπὸ τοῦ ἕλκοντος αὐτὴν κενωθήσεται φαρμάκου: Si igitur capitis dolor subinde propter biliosi humoris redundantiam nascatur, curatio eiusdem medicamentis, quæ biliosum humorem purgant & subducunt, perficitur. Verùm ut probè hunc vacuare possit, humidiore prius victu opus est; balneisq; temperatis, unctionibus, & potione diluta liberaliore. Ita enim diffusa bilis, & veluti imbecillior

Concoctio nulla à frigidis fit.

Error recentiorum medicorum.

Alexander Trallianus.

lior

lior facta, facilius à medicamento ipsam trahente vacuabitur & superabitur. Atqui objiciet quispiam, frigida serapia biliosos humores alterare, crassioresque reddere, ideoq; etiam concoquere. Respondeo, Alterant quidem, sed cùm hæc alteratio non fiat à calido nativo, proinde concoctio nec dici, nec esse potest. Incrassant quoque, sed non evaporando, ut calor innatus, sed adstringendo meatus corporis. Quapropter humores biliosi, à frigidis serapiis crassiores redditi, crudi adhuc sunt, & à natura nondum evicti, nec substantiæ mediocritatem cõsecuti, igitur etiam ad excretionem & vacuationem inepti sunt, & manent. Sed instabit rursùs alius, frigida concoquere, si non per se, saltem ex accidente, nempe revocando calorem. Respondeo, verum esse, si idipsum de iis frigidis intelligatur, quæ extrinsecùs admoventur. Hæc enim cutem constringendo, & caloris evaporationẽ prohibendo, vegetiorem calorem nativum reddunt, qui subinde per se concoquit. Frigida verò serapia, & id genus alia medicamenta, quæ intra corpus assumuntur, calorem nativum imbecilliorem efficiunt, aut prorsus, si frigida admodum fuerint, quale est è papavere compositum, extinguunt. Vt hinc manifestissimum sit, Serapia frigida concoctionem iuvare non posse. Quapropter Actuarius in lib. de Comp. medic. zulapia frigida, non exhibet ut bilem concoquant, sed ut eius fervorem potiùs extinguant, adeoque alterent, ut natura, illam subinde evincere & concoquere possit. Hinc disertè inquit, si bilis excandescat, & hominem exurat, & calefacientia respuat, frigida zulapia ante bilis purgationem esse danda, donec in urinis decens apparuerit concoctio. Sed de concoctione satis.

Obiectio prima.

Altera.

Frigidum cõcoquit per accidens.

Actuarii opinio.

QVO MORBI TEMPORE purgandum. Cap. XXI.

HActenùs de concoctione, & quòd à purgationibus medico abstinendum sit, donec humores iam præparati, & concocti fuerint, diximus. Vnde omnibus palàm fit, in morborum principiis; quòd tùm omnia adhuc cruda sint, nec nisi vigoris tempore, Galeno lib. 3. de Iudic. cap 5. teste, exquisita concoctio fiat, non esse purgandum. Nam nec natura ipsa, (cuius medicus minister & imitator est,) unquam in morbi principio, & dum humores adhuc crudi sunt, ullam vacuationem instituit. Neq; enim hoc tempore vel naturæ vel purgantibus medicamentis, obediunt, eaque de causa gravissima symptomata excitant. Quapropter eo tempore, quo natura supervacua utiliter expellit, si imperfectè ipsa movet, purgante medicamento, medicus uti debet, ac id quod deficit medicamētis exhibentis supplere, ut ex utroq; noxii humoris vacuatio rectè fiat, natura quidem expellente, medicamento verò attrahente. Idq; perpetuò faciendum, nisi humores turgeāt: tùm enim in principio etiam morbi, & humoribus nondum coctis, medicamento purgante uti licet, ne scilicet humores parùm stabiles, & ab unâ parte ad aliā sine ordine defluentes, in principem aliquam partem decumbant. Nam turgere, vel, ut Hippocratis verbo utamur, ὀργᾶν, Galeno lib. 8. de Composit. medicament. localib. capite 3. authore, nihil aliud est, nisi humores motu impetuosiore, ac concitatiore ab unâ parte in aliam defluere, idq; statim morbi initio hominem irritantes; quiescere nulla ratione permittentes. Hos itaq; humores, eò quod agitentur, & de uno ad alium locum transfluunt, purgante medicamento in morbi principio vacuare necessum est. Eos verò humores, qui aliquâ in parte firmantur, ac fixi hærent, ante concoctionem, neque purgantibus medicamen-

In principiis morborum non purgandum.

Natura industria, imitāda medico.

Humoribus turgentibus in principiis etiam purgare licet.

Turgere. ὀργᾶν.

dicamen-

dicamentis, neq; aliis præsidiis movere oportet. Siquidem naturam tum vacuationi adminiculantem medicus non habebit, ut quæ, illos, hoc tempore, nõ vacuare, sed concoquere studeat. Cuius rei certissimum est indicium, quòd humores illi fixi quiescunt. Nam in quiete, non motu fit concoctio. Motus humorum econtrà significat, quòd natura eosdem vacuare nitatur, utpote partibus corporis omnib⁹ molestos & infestos. Quæ omnia, Hippocrates innuere voluit, dum concocta purgante medicamento, vacuanda tãtùm censet, ea autem quæ cruda sunt, nequaquam movenda, neque in principiis morborum, nisi humores turgeant inquit. Et rursus, ubi in acutis morbis rarò, & in principiis medicamentis purgantibus, utendum esse præcipit. Et iterum, ubi medicamentis purgantib. utendum in valde acutis morbis, si materia turgeat, eádem die hortatur. Vt hinc omnibus perspicuum evadat, inter morborum initia, non esse purgandum, modò humores non turgeant, neq; validis, neq; iis, quæ materiam morbum excitantem, imminuunt, & ab iis, qui hodie faciunt medicinam, minorativa appellantur, medicamentis. Siquidẽ Hippocrates crudos humores, ne movendos quidẽ ullis remediis esse pręcipit, tãtum abest, ut purgandos esse iudicet. Non aũt abs re dictum est, Materiam morbũ excitantem minuẽtibus pharmacis uti non licere. Nõ enim prohibemus, quin initio morborũ, nulla adhuc apparente cõcoctione, mitiora illa medicamẽtá, quæ vulgò benedicta vocantur, & laxativa exhibeantur, quòd eorũdem vires primas venas, multò minus loca illa, in quibus crudi humores morbum excitantes, hærent ac firmati sunt, non attingant, sed duntaxat materias, in viis illis, per quas morbifici humores ducendi sunt, hærentes, educunt. Quibus planè vacuatis, natura nonnihil exonerata, ad reliquos morbificos humores tùm concoquendos, tùm expellendos, expeditior & alacrior fit. Eam certè ob causam Galenus non rarò exhibet, inter initia morborum,

Impacti humores concoctione indigent.

1. Aph. 22.

1. Aph. 24.

4. Aph. 10.

Imminuentibus materiã medicamentis purgantibus inter initia quoq; humores nisi turgeant uti prohibitum.

In principiis morborũ cur laxativa propinare profit.

medicamenta, quæ humores in ventriculo & intestinis hærentes vacuant, etiam crudos, quòd scilicet illis, non sit per angustas vias, transitus futurus: Sic surditate, à crassis humoribus prognata, nondum apparente licet eorundem concoctione, totum corpus de Galeni etiam consilio, purgamus, non profecto, ut crudos adhuc in auribus humores vacuemus; quòd eo vis medicamenti purgantis non perveniat, aut etiamsi perveniret, quũ non cedant, nec tractioni obsequantur, nihil tamen educeret: sed potius ut inhibeamus, ne alii humores, in venis, aut in aliis corporis partibus fluctuantes, ad laborãtem partem ulteriùs confluant. Quinetiam idem Galenus lib. 1. de Comp. medic. local. inter initia Alopeciæ nulla præcedente concoctione, aut præparatione purgat, non tamen eos humores, qui in capite firmati sunt, sed alios, qui per universum corpus sparsi, sanguinem vitiant, ut in nostris super Hippocratis Aphoris. Commentariis copiosissimè demonstravimus. Atqui dicent adversarii, si non nisi concoctis iam humoribus, medicamentum purgans, medico exhibere licet, certè nullo unquam morbi tempore dandum erit. Quia non in principio, in quo quippe tempore, humores omnino crudi sunt. Nõ etiam in augmento, quia tũc nondum integrè concocti sunt. Exquisita namq; cõcoctio, ut paulò antè ex Galeno ostensum est, nõ fit, nisi vigoris tempore. Non licet autem in vigore purgante medicamento uti, quòd tẽpore hoc, quo morbi cõsistunt, & vigent, (Hippocrate monitore,) quiescendum sit, corpusq; nullatenus movendum. Quippe præter id, quòd tunc natura, concoctioni noxiorum humorum intenta, ab opere suo distrahitur, adeoque ne eosdem evincere possit, impeditur, etiam per quam viam molitura sit iudicium natura, non facilè dignoscere potest medicus. Quomodo igitur operi naturæ favebit, quando nondum ad quam partem vergere velit, ille sciat? Quùm itaq; medico perito cavendum unicè sit, ne contrariũ naturæ motum mo-

In surditate, cur initio statim totũ vacuemus quãdoq; corpus.

Idem in Alopeciæ principio quoq; faciendum.

1. Aphoris. Comm. 22.

Obiectio diluitur.

2. Aph. 29.

In vigore cur non purgandum sit?

moliatur, & vigoris tempore, quo hæc ipsa tendat, ab illo ignoretur, nullis prorsùs vacuationib. nedū purgationib. quùm morbus viget, utendū erit. Nō etiam in declinatione, quia tum non est opus purgatione, quādoquidē tum vis morbi decrescat; hominēq; interimere amplius nō possit. Quibus omnib. instantiis ita respondendū esse puto: Verū esse, ꝙ perfecta iam cōcoctione, & morbo inclināte nō sit purgandū, tūc, quādo natura sola per iudicationē, universum id, qđ noxium fuit, expurgaverit, iuxtà id Hippocratis: Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, non movere, neq; novare, vel medicamētis, vel aliis irritamētis, sed sinere oportet. Si verò post exquisitā concoctionē ad id, qđ noxiū est expellendū, natura satis potens nō fuerit, medici officiū erit, ut declināte iam morbo, illud, quod deficit, suppleat, ne scilicet recidivam morbi ipsius relliquiæ, efficiant. Quæ enim in morbis, à iudicatione, ait Hippocrates, relinquūtur, recidivas facere consueverunt. Quapropter rectissimè Galenus, loco paulo antè citato inquit: Experientia testatur, neminem umquā vi morbi in declinationib⁹ periisse. Sed adhuc magis ratio: Neq; enim cōtingit; ut postquam causæ morbosæ iam coctæ sunt, ac natura ipsum morbū evicerit, æger moriatur, modò recta curatio à medicis adhibeatur. Cæterū rectam curationē adhibebit medicus, si quod imbecillior natura vacuare non potuit natura, ipse vacuet, & ne recidiva, quę plerunque ipso morbo deterior est, accidat, prohibebit. Vt sole meridiano iam clariùs sit, ante perfectam concoctionem, in morbis illam admittentibus, nunquam esse purgādum, cùm eo tempore, quo concoctionem absolvit, quod noxium est, natura per iudicium expurget, ut hoc nomine importunis remediis, à concoctionis munere non sit distrahenda, nec in suo opere impedienda. Non autem temerè dictum est à nobis, non esse purgandū, aut purgantibus medicamentis utendum. Siquidem iis verbis non esse medicamenta validiora, & è longinquo trahentia,

Non purgandum in declinatione.

Obiectiones prægressæ diluuntur.

2. Aph. 20.

2. Aph. 22.

Recidivarū caussæ.

In declinatione, nemo moritur.

Natura sui rite defungēte officio non propinanda purgantia.

adeoq; quæ reverà sunt & dicuntur electivè purgantia, usurpanda innuere volumus. De iis enim Hippocratem, ubi cruda non esse purganda monet, locutū esse constat. Proinde mitioribus, & quorum vis ultra iecur non transcendit, ut sunt Cassia nigra, manna, oxyphœnicum, hiera picra, & id genus alia, ad alvi subductionē in principio etiam morbi, quemadmodum paulo antè dictum est, uti medico licebit: quòd ea tantū, quæ in ventriculo & intestinis sunt vacuent. Nonnunquam etiam, quæ in primis venis continentur, modo illis non sint impacta, educunt.

In principiis morborū mitioribus purgantibus pugnandum.

QVID PVRGATIONIS TEMPORE, & à purgatione sit faciendum. Cap. XXII.

Medicamentum purgans calefactū bibendum.

Tepida pharmaca obsunt.

QVi purgans medicamentum est sumpturus, is calidum idipsum hauriat, oportet, non tepidum, aut frigidum. Nam ita medicamentum, ventriculum minus offendet, & citius suam exeret facultatem. Tepida namq; ventriculum relaxant, frigida verò non parum offendunt. Quū verò promptè admodum, iis præsertim, qui ad vomendum proniores sunt, vomitus post medicamenti sumptionem excitetur, præstat odoris vehemētiam, aliquo iucundo & odorato præsidio obtūdere, ne ei, qui hausturus est, à medicamenti odore parum grato, nausea concitetur, quam mox vomitus excipiat. Aut nares obstruere tunc oportet, ne illas odor medicamenti attingere queat. Porrò ad arcendum vomitum, medicamento sumpto, assum panem aceto imbutum, odorare convenit, & calidis pannis, ventriculum fovere oportet: ita enim vomitus arcetur. Prodest etiam os colluere statim, ubi haustum fuerit, vino odorifero, aut mandere aliquid suave & iucundum, quod ingratissimum medicamenti saporem obscurare possit. Dein per horam unam circiter quiescat, qui sumpsit medi-

Vomitus, ut praecavgatur?

medicamentum, nec somnũ interim admittat, ut vis medicamenti ad universas corporis partes pertingere possit, & ne ab immodico calore, præsertim si lene fuerit medicamentum, dissipetur. Omnium autẽ maximè à somno arcendus erit, ubi iam purgare cœperit, quòd ita medicamenti actio intercipiatur. Quòd si tardius actionem suam medicamentum purgans exerat, ut inambulet, & se moveat, modo per morbũ id liceat, præcipiendum erit, iuxtà id Hippocratis: Eum, qui Elleborum bibit, ad corporis motus magis, ad somnos verò & quietem minus ducere oportet. Corpora autem motu turbari, navigatio indicio est. Et statim post hæc. Quum autem volueris, ut Elleborus magis ducat, corpus move: ubi verò sistendum esse censueris, somnum conciliato, & haùd moveto. Cæterùm ab assumpto medicamento, ne eius actio impediatur, nihil cibi est offerendum, nisi os ventriculi natura admodum sensile ac imbecillum, purgantis medicamenti acrimoniam sustinere non possit, adeoque syncopen minitetur. Tunc enim ptisanæ cremor, aut etiam cicerum ius, cum saccharo, ut quæ gulam & os ventriculi vellicant, detergeantur, exhiberi potest. Quòd si verò prosperè & citrà ullius symptomatis accessionem, purgatio procedit, nihil penitus attentandum: sed satis erit, si æger ab immodico tùm calore, tùm frigore se tueatur. Absoluta tandem purgatione, æger, mediocri & boni succi alimento reficiendus erit. Satiùs autem fuerit, humidũ ut sit potius, quàm siccum, & concoctu facile alimentum. Id enim promptiùs in ventriculo, iam imbecillo aliquo modo à medicamento facto, transmutabitur, atque ad expellendas purgantis medicamenti, & humoris ab eo attracti reliquias, præsertim si illi aliqua insit abstergendi facultas, aptius erit, huiusmodi autem sunt iuscula sacchar o condita, aut ea, quibus cicer, aut hordeum, aliáve similia incocta fuerint.

Somnus interdicendus.

4. Aph. 14.

4. Aph. 15.

Quid à purgatione faciendum.

Quomodo purgatione absoluta purgatione æger reficiẽdus sit.

QVOVSQVE PVRGANDVM, ET *quomodo impeditæ & immodicæ purgationi sit occurrendum.*

Cap. XXIII.

4. Aph. 19.

Quæ sit absolutæ & iam peractæ purgationis nota, Hippocrates in Aphorismis ostendit, ita scribens: Qui medicamentorũ potionib. quùm purgantur, haùd sitiunt, ii non desinant, priusquam sitiant. Sitis itaq;, quòd humiditatis indigentiam nuntiet, abundè esse purgatũ corpus, noxiosq; humores perfectè vacuatos ostendit. Quanquã non semper expectanda est sitis, quòd interdum minori quantitate oblatum medicamentum, non satis purget, nec noxios omnes humores educat: neque enim facilè conveniens cuiq; naturæ, medicamenti quantitas sciri potest. Ne igitur longiori, quàm par sit, inedia crucientur ęgri, prestat ut iis, qui propterea quòd non satis purgati sunt, sitim haud sentiunt, à medicamenti sumptione, sex, aut septẽ horis, cibus exhibeatur, eo nimirum tempore, quo aliis, qui abundè purgantur, offerri consuetum est. Porrò si eveniat, ut haustum medicamentum sua actione frustretur, nec quidquam educat, sed ventriculi morsum, aut tormina, aliaq; gravissima symptomata excitet, adnitendũ erit medico, ut protinus eos, quos medicamentum attraxit, humores, emolliente & alvum subducente clysteri, aut glande podici indito vacuet. Sin contrà accidat, ut immodicè purget medicamentum, somno indulgendum erit, ac quiescendum. Ita enim esse faciendum, Hippocrates in præcitatis Aphorismis monet. Preterea impetus humorum intrò confluentium, ad alias partes, frictionibus, vinculis, balneis aquæ dulcis, & id genus aliis præsidiis revellendus. Aër etiam, in quo æger versatur, temperatus esse debet. Iusto namq; calidior, vires dissolvit: frigidior autem ad internas partes, humorum impetum propellit, adeoq;

Peractæ purgationis nota est sitis quæ interim non semper expectanda.

Quãdo purgatis cibus sit offerendus.

Si medicamentum sua frustretur actione.

Si immodicè purget. 4. Aph. 14. & 15.

adeoq; purgationem auget. Prodeſt etiam tunc exhibere theriacam, ut quæ humorum impetum ad exteriora ducat, ac purgatoriam medicamenti vim hebetet, atque obtundat. Confert etiam diacydonium vocatum medicamentum, & ſimilia, quibus adſtringendi facultas ineſt, offerre. Perdurante verò adhuc purgatione, inanes cucùrbitulas ventriculo admovere, & adſtringentia unguenta, emplaſtra, & cerata imponere, utile eſt. In ſumma, omnia ea ſunt admovenda, quæ ad coërcenda alvi profluvia uſurpantur, de quib. in medēdi ratione noſtra, diffusè tractavimus, ut neceſſe non ſit, hoc loco, de iis copioſiùs diſſerere.

Theriaca hypercatharſeis ſiſtit & coercet.

Cucurbitæ ventoſæ.

EXPVRGATORVM HVMORVM obſervatio. Cap. XXIV.

PVrgatione peracta, alvi excrementa, & quæ vacuata ſunt, à medico accuratè ſunt conſideranda. Initio autem, quæ vacuantur, vulgi more, non multitudine ſunt æſtimanda, Hippoc. etiam ſuffragante: ſed ſi talia vacuata ſint, qualia vacuari oportet, & æger facilè toleret bonum eſt. Talia verò vacuantur, qualia oportet, ubi noxii ac vitioſi humores vacuantur, utiles autem in corpore retinentur: Id ipſum certè tunc accidit, quando æger vacuationem hanc leviter fert. Non ſolùm verò qualitas excremētorum alvi, ſed & conſiſtentia eorūdem, nùm ſcilicèt ſolida, an liquida ſint, expendenda venit. Deniq; color eorundem, nùm pallida, rufa, livida, aut nigra ſint excrementa, attendēdum. Ex eo namq; varia dignoſci & præcognoſci etiam poſſunt, ut copioſiſſimè libro 2. Prognoſticor. Aphoriſ. 13. & ſequentibus aliquot Hippocrates, necnon ibidem in Commentariis ſuis, & lib. 1. de Iudiciis Galen. monſtrarūt, & nos infrà lib. 4. ne quid lector deſiderare poſſit, hæc omnia breviter perſtringemus. Cæterùm præter jam dicta, excrementorū quoq; mutationes, diligenter medico

Alvi excremēta, ut medico ſint conſideranda, æſtimandaq;.

1. Aph. 23.

Qualitas.

Conſiſtentia.

Color.

Mutatio excrementorū.

sunt contemplandæ. Nam si in spontaneis & à natura excitatis alvi profluviis, variæ humorum species vacuantur, laudabile est, propterea quòd corpus hîc exquisitissimè expurgatur. Quod confirmat Hippocrates, qui in Aphorismis ita scriptū reliquit: In profluviis ventris mutationes excrementorum juvant, nisi in prava commutentur. In prava autem commutantur, si nigra, aut livida fuerint, aut colliquationem & putredinem præ se tulerint: Quò itaque plures, & ii quidem deteriores in alvi profluviis fuerint colores, eò peius erit. Siquidem multorum & pravorum in corpore affectuum, sunt signa. A purgante verò medicamento hausto, meliùs est plures, & deteriores etiam, excrementorum, ac dejectionum esse colores. Et certè quantò plures fuerint colores, tantò minus mali erunt. Quod Hippocrates in Aphorismis iis significare verbis voluit: Nigræ, inquit, dejectiones, veluti sanguis niger, sua sponte exeuntes, & cum febre & sine febre pessimæ: & quo plures deteriores fuerint colores, eò peius. A medicamento autem, si tales egeruntur, melius est; & quò plures colores fuerint, eò minus mali inferent.

2. Aph. 14. — *In prava quandónam excrementa mutentur.* — *4. Aph. 21.*

DE VOMITV. Cap. XXV.

HActenùs, de purgatione disseruimus: nunc ad vomitum, tertium tamquam vacuationis genus, accedemus. Vomitus autem est vacuatio, per superiora earum cruditatum quæ in ventriculo contentæ, illum gravant & molestant. Hunc præcedit nausea, quæ non est nisi inanis vomendi conatus. Vomitus autem non temerè in cōsiderationem medici venit, quòd ejus non cōtemnenda sint commoda & incōmoda. Qui enim frequenter vomunt, magna ex parte, semper sani esse consueverunt. Siquidem vomitus, non bilem modò, sed & pituitam molestantém ventriculum, educit, adeoque ne ille, malis ac vitiosis humoribus impleatur, efficit. Cùm verò à pra-

Vomitus quid. — *Nausea quid.* — *Vomitus cōmoda.* — *Quas superfluitates vomitus educat.*

à pravis humoribus vapores ſurſum ad caput ferantur, præſertim ubi bilioſi fuerint, non parum à vomitu, etiam caput ipſum ſublevatur, & à dolore liberatur. Vtilis verò præ aliis eſt vomitus, omnib. bilioſis, quòd bilis utpote tenuis humor, facilè ſurſum vergat. Præterea iis, qui cibis & potibus ſe nimiùm impleverunt, vel parum rectè aſſumpta alimenta concoxerunt. Si enim plus juſto quàm ut concoqui poſſit, ingeſtum eſt, periculum imminet, ne in ventriculo corrumpatur ac morbos inducat. Nihil igitur conducibilius, niſi ut priusquam quod aſſumptum eſt, corrumpatur, qua via commodè expelli poteſt, nempe per gulam, ejiciatur. Quanquam ne tum quidem æquum corruptũ eſt, intùs ſit relinquendum, quod ingeſtum eſt, ſed quò commodè poteſt expellendum. Cæterùm ſingulis menſibus vomendum eſſe Hippocrates præcipit. Nam libro primo de Ratione victus ita ſcriptum reliquit: Conſultiùs eſt, ut is qui ſingulis menſibus vomere conſuevit, continuo biduo hoc agat, quàm interpoſitis quindecim diebus: ita enim ſecundus dies, prioris relliquias extrudit. Quæ quidem ſententia etiam in libro de Salubri victu repetitur. Hanc Galenus lib. 5. de Vſu partium, cap. 4. confirmat iis verbis: Rectè igitur, inquit, veteres medici, vomitus à cibis, in ſingulos menſes, repeti præcipiebant, alii quidem ſemel, alii verò bis. Omnes autem hi, qualitates ipſas, eo caſu comedendorum acres atque abſterſorias diligere conſulunt, ut pituita omnis è ventriculo purgetur, neque pravo ſucco corpus oppleatur. Cavendum itaque omnibus, qui rectè valere & ſeneſcere volent, magnopere erit, ne vomitum prorſus negligant, ſed illum, modò fieri poſſit, ex præſcripto Hippocratis adhibeant, ſingulis nempe menſibus, & duobus continuò diebus. Nec minori diligentia cavẽdum iis ipſis erit, ne quotidianum vomitum habeant. Quippe ejus frequentia, aſſiduúsve uſus, ſurditatem inducit, viſui obeſt, thoracis pulmonisque venas disrumpit, dentibus nocet, & capitis

Quibus utilis vomitus.

Corrupta etiam alimenta vomitu prolicienda.

Vomendum ſingulis menſibus.

Creber ac quotidianus vomitus cavendus, & quare?

dolores modò ex ventriculi vitio non sint orti, offendit. Non autem abs re paulò antè diximus, vomitum, si fieri potest, suo tempore adhibendum esse. Nam in ciendo vomitu, magno studio medico considerandum erit, qui ad vomendum faciles, quique difficiles sint. Qui enim non nisi difficultate maximâ vomunt, ad vomitionem nequaquam cogendi sunt, sed per inferiora potius purgandi: difficulter namque vomentibus, ubi eos ad vomendum quispiam urserit, venarum, quę in thorace sunt, ruptionis periculum imminet præsentissimum. Porrò difficiles & inepti ad vomendum sunt, mediocriter carnosi ac pingues, angustoq; thorace præditi. Contrà faciles & idonei, qui natura tenues gracilesq; sunt, & amplum habent thoracem. Priores enim utplurimùm pituitosis aut melancholicis humoribus abundant, ideoq; per inferna, quandoquidem eò maximè, jam dicti humores tendant, vacuandi sunt. Posteriores autem natura calidi & sicci, atque adeò biliosi sunt, plurimumque bilis coacervant; quare per superiora, quò maximè natura repit, vacuare eos oportet. Quæ singula Hippocrates in Aphorismis quoq; iis docuit verbis: Graciles, & ad vomendũ faciles, per superiora purgare convenit. Qui verò ad vomendum difficiles sunt, & mediocriter carnosi, hos, per inferiora purgare, juvat. Non temerè autem dictum est, Natura graciles. Nam qui vi morbi tales sunt, veluti tabidi, iis vomitus inutilis est. De quibus sanè locutus est Celsus lib. 1. cap. 3. ubi inter cætera, in eum scribit modum: Vomitus inutilis est gracilibus, & imbecillum ventriculum habentibus: Qui enim hac ratione, graciles sunt, iis thorax angustus est, & vasa ruptioni obnoxia. Qui verò imbecillum habent ventriculum, ii vomitum, (quòd vomitus, ventriculum ipsum præcipuè mirum in modum lancinet & convellat) sustinere non possunt. Cæterùm tempus vomitui aptissimum est æstas, utpote, in qua biliosi maximè procreantur humores, qui suapte natura, quòd tenues admo-

Facilitas & difficultas vomendi.

Difficiles & inepti ad vomendum.

4. Aphor. 6.

Celsi locus enarratus.

Tempus vomitioni aptissimum est æstivum.

admodum sunt sursum ferũtur, & nullo negotio vomitu rejiciuntur. Quod Hippocrates etiam confirmat, qui in Aphorismis inquit: Aestate quidem superiores magis ventres, hyeme autem inferiores medicamentis purgare convenit. Neq; obstat quòd Hippocrates, aut potius Polybius, in libello de Victu salubri, contrarium adstruere videatur, dum sex hybernis mensibus, vomendum esse tradit: & hunc etiam secutus Cornelius Celsus loco paulò antè citato, vomitum utiliorem hyeme, quàm æstate, esse scribat. Nam uterque in iis locis, de pituitæ vacuatione, quæ citrà purgantia fit medicamẽta, loquitur. Nemo verò est, qui nesciat hyberno tempore pituitam, potissimùm in ventriculo, magis quàm alio tempore generari. Vt igitur vomitu expurgetur, necesse est. Vbi verò universum corpus medicamentis purgare consilium est, æstate per vomitum atq; superiorem ventrem: hyeme per dejectionem, ac ventrẽ inferiorem, ut in Aphorismis relatum est, purgandum erit. Quid multis opus est verbis? Quum nõ universum corpus exonerare libet, sed ventriculũ solùm à pituita in eo coacervata vindicare placet, vomitu illam ejicere licebit, & plurimùm conferet. Sin universum corpus expurgare animus est, æstate per superiora, & vomitum, hyeme verò per inferiora purgandum erit. Denique ea, quæ per vomitum quovis tempore ejiciuntur, accurata opera, medico sunt consideranda, quòd ex his, perinde atque ex alvi excrementis, multa prædicere possit, quemadmodum lib. 2. præd. Aphor. 38. & sequentibus aliquot, Hippocrates, & post eum in suis Commentariis Galenus luculenter & perspicuè docuerunt. Quibus verò medicamẽtis vomitus ciendus sit, alibi ostendimus: nostrá scilicet in praxi, ad quam lectorem ablegamus.

4. Aphor. 4. ,,

Obiectio diluitur.

Polybius.

Corn. Celsus.

Pituita hyeme maximè dominatur.

Vniversaliũ vacuationũ tempus accõmodatißimũ.

Quæ per vomitũ eiiciuntur, medico considerãda.

DE

DE VRINAE EXCRETIONE. Cap. XXVI.

Natura supervacua corporis per urinam vacuat. VRinæ excretio, etiam inter vacuationum genera censetur. Quippe non rarò accidit, ut corporis supervacua, per urinam vacuentur; potissimùm in laboriosis & lassitudinariis, hoc est, in quibus lassitudinis sensus inest, febribus, quemadmodum in Aphorismis iis verbis testatur Hippocrates: *Laboriosæ febres ut dicantur.* Quibus spes est, ad articulos futurum abscessum, *4. Aph. 74. per urinas finiuntur.* eos liberat ab abscessu, urina multa, crassa, & alba prodiens, ut in laboriosis febribus quarto die nonnullis exire incipit. Et in Epidemiis, idipsum *6. Epidem. sectio 4. apho. 2.* exemplo quodam confirmat, inquiens: Vrina crassa & alba, qualis Amphigenis famulo prodiit, in laboriosis febribus, quando quarto die exit, ab abscessu liberat. Cùm itaq; natura interdum corporis excrementa, noxiosque humores, in morbis per urinas expurget, debet & ipse medicus, (huius minister veluti) *Quando urinæ provocatione utendū.* in plerisq; morbis urinæ provocatione uti. Hoc verò præsidio tunc potissimùm utendum medico erit, ubi obstructio, vel humorum redundantia circà iecur, eius præcipuè gibba, item renes, & vesicam fuerit. Nam anatomes ratio monstrat, quòd ea, quæ iam dictis in partibus continentur, per nullum corporis locum commodiùs & expeditiùs, quàm per urinarios meatus vacuari possint. Non autem temerè adiectū *Cava iecoris per alvum gibba per urinas purgatur.* est paulo antè, Eius potissimùm gibba. Quæ enim in cavo iecoris fuerit obstructio, per alvum potius, quã per urinas, purgare oportet. Nam & id dissectionis ratio probat, & multis in locis, præsertim lib. 7. Ther. methodi, cap. ult. & 13. eiusdem operis, cap. 13. & lib. 2. ad Glaucon. cap. ult. Galenus docet in hanc sententiam prorumpens: „ Sicut iecoris cavum, per alvum „ purgatur, ita gibba eius, per ea, quæ modicè urinas movent. In elicienda verò & provocanda urina, ac- *Quando ab urinæ provo-* curata diligentia inquirēdum erit, nùm phlegmone,

aut

aut exulceratio aliqua ſit in renibus, veſica, & aliis urinæ inſtrumentis. Quippe ſi aliquid horum adſit, urinam moventibus pharmacis, nequaquam utendum erit: quòd tum à laborante particula longiſſimè avellere, nequaquam ad eam trahere conveniat. Id quod lib. 13. Therap. method. cap. 6. Galenus, ut alia omnia, prudenter & doctè admodum iis verbis etiã admonuit. Præceptum, inquit, in contrarium averſionis, in omnibus commune eſt. Neq; igitur quùm vel circa ſedem, vel aliquam huic vicinam partem initium phlegmones incidit, alvum dejicies: neque quùm in veſica, vel colo, vel renibus phlegmone incipit medicamenta, quæ urinas provocant, bibenda dabis. Nec ſi mulieri uter. vel pudendum obſidet, menſes huic movebis: ſed ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, ſemper averſionem molieris. Cæterùm, quando urinam provocare medico conſilium eſt, convenientiùs ante cibum id efficiet, & eò magis ſi quæ urinam proliciunt, admodum calida fuerint; abſentibus interim prædictis urinariorum meatuum affectibus. Nam cùm urinam moventia in cenſu eorum ſint, quæ valde diſtribuunt, nequaquam à cibo offerri debent, ne illum adhuc crudum ad venas deducant. Quæ verò ſint medicamenta urinas moventia, alibi diximus, & idipſum ex profeſſo Galenus lib. 5. de Simplic. medicamentorum facul. capite 13. docet fuſiſſimè.

cationé cavẽdum.

Vrinam provocantia quo diei tempore & hora dãda.

Provocantia urinam medicamenta.

DE SVDORE. Cap. XXVII.

EX iis, quæ corpus noſtrum vacuant, ſudor etiã commemorandus venit. Cuius ſanè provocatio, tum potiſſimùm utilis & neceſſaria eſt, ubi noxius aliquis humor interiora corporis infeſtat, ut in febribus, præſertim peſtilentialibus evenit: Elicitur verò ſudor, variis modis, & artib⁹: principiò, ſicco calore laconici, de quo ſequẽti dicemus capite, igni-

Sudor quando provocandus.

Sudoris eliciẽdi modi.

torum lapidum, arenæ calidæ, solis, & exercitiorum. Commune enim omnibus est istis, humorem corpori immersum atque inibi redundantem, præsertim aqueum frigidumq; excoquere, elicere, consumere.

Ferventi arena ut eliciendus sudor.

Quare nonnulli ferventissima arena, maximeq; marina, quæ & salsedine & ariditate cęteris præstat, corpus defodiunt, quę & siccitate & lenitate sua sitientissima, humiditatem, & calore frigus corporis absumit. At ita, ut adsint ministri, qui continuò novam æstuantemq; corpori accumulent, priore refrigerata deiectaq; necessum est. In qua & corpus circumvolvitur, & certis intervallis invertitur, ut undiq; arenæ commodis insignibus fruatur. Verùm sicubi maritima arena defuerit, fluviali pro ea uti licebit, eademque corio denso instrata: propterea quòd & hæc ipsa sit, & eius aër, ab evaporationibus humectior, & corio subiecto tùm incalescit, à sole acrius, tùm à vicino alveo minus madefit.

Quibus sicco calore sudor non est eliciẽdus.

In quibus tamen hoc studiosè observandum erit, non aridis corporibus, nec in siccis morbis, febribus, humoribus exiccantibus & calidis, imò ne frigidis quidem omnibus, nisi vitio iam inclinante, haud certè cum crassis, aut cum lentis humoribus coniuncto morbo, quicquam horum, quæ arido calore opem pręstant, congruere. Id quod monẽdum esse duximus, ne arida vitia nimium exiccarentur, & ne calida inflammarentur, atque ne crassa lentaq; absumpta horum tenui parte, admodum inspissarentur. Quapropter declinantibus iam frigidis humidisque noxis, aut planè aqueis à causis ortis affectibus, tutò commodeq; superiora, & sicco calore opitulantia, usurpabuntur. Alii sunt, qui se soli æstuanti soli obijciunt, atq; ita sudores eliciũt, quę res hydropicorũ maximè humores exugit.

Fomẽtis quo modo sudor provocetur.

Sudor prætęrea, quę hactenus exposita sunt, etiã fomentis provocatur. Quæ multis modis ipsa quoq; institui possunt. Simplicissima verò sunt, quũ linteis calefactis, sudor prolicitur. Calor enim laxat, aperit, evocat, attrahit, discutit, post quæ singula plerunq; sudor sequitur. Pro-

xima

xima sunt, quùm linteo aliquid retinẽdo calori, movendoq; accommodatum involvitur corporiq; affricatur. Quæ, si arida expetas, milium facilè est omniũ suavissimum, aut defrixi furfures, deinde arena, tum sal quoq; : Quæ & torreri omnia, dehinc linteis sacculisve includi arida calidaque; vel aquæ cuipiam aptæ calidæque immergi, corporique itentidem applicari possunt. Duriora fortioraque sunt, lateres, æra, ferraque, pannis linteisque similiter involuta. Sin minus arida desiderentur, oleo calido, aut aqua calida, utrem, aut vasculum æneum, testaceum fictiléve, vesicamque implere, & corpori adhibere convenit. Sudorem quoque elicit chamæmelum aridum tritumque, & oleo inspersum, si summæ cuti validè infricetur. Item Seseli, pyrethrum, anisum, similiter oleo inspersa. Nitrum etiam tostum, at non omninò tenue, cum oleo infricatum, efficax est. Si humectiora expetãtur, lana, aut spongia mollis, in aquam simplicem calidamque aut herbis, radicibus, seminibus, aliisq; idoneis rebus incoctis : altera tam iniecta, aut in oleum quodvis, rei presenti aptum, immersa competit. Adhæc salis flos oleo temperatus, & liquor Cyrenaicus aqua dilutus, corporiq; infricatus, aut ciceris magnitudine epotus. Pari modo calamintha & pota cum mulsa, & extrinsecus cum oleo infricata efficacissima. Cæterùm, fomenta illa in morborum declinatione ante omnem cibum, veteriq; esca iam probè concocta, nec excrementis ullis intus relictis securissimè, & cõmodissimè applicãtur. Sic Arthritidi iã inclinanti, sic colico dolori, sic pleuritidi, magno cõpendio succurritur prægressis sudoriferis. Sic alias manib. pedibus, lateribusq; calefactis, sudor toti corpori excitatur. Sic deniq; cruciatus viscerum discutiuntur. Porrò in eliciendis sudoribus, (ut in omnibus etiã aliis vacuationũ generibus,) unicè cavendũ erit, ne is immodicus sit, & vires planè deijciat. Atq; hinc est, quòd Hippocrates, in Epidemiis nõ temerè monuerit, ut in sudore provocãdo medicus caveret, ne

Fortiora sudorifera.

Surem cõcutãdi adminicula, & præsidia alia.

Flos salis.

Liquor Cyrenaicus.

Fomẽta quo tempore morbi adhibẽda.

In eliciendo sudore virtutis ratio habenda.

6. Epidem. sectio. 4. Aphor. 21.

Medicorum inscitia in Anglico vocato sudore curando.

nimiùm hunc eliciendo, & immodicè vacuando vires deficerent, adeoq; æger in summum vitæ discrimen perduceretur, quemadmodum accidit, quùm sudorificæ febres, Anglicum sudorem vocabant, per omnem Germaniam anno Christi millesimo quingẽtesimo vigesimonono, Autumno potissimùm, grassarẽtur. Quippe tum imperitorum medicorum, aut, ut rectiùs dicam, carnificum, opera, non solùm plebeii, sed & potentes multi, & episcopi aliquot immodica sudoris provocatione interempti sunt. Quæ autem & qualia ex sudoribus prædici possint, suo dicemus loco, in semeioticè.

DE BALNEIS NATVRALIBVS. Cap. XXVIII.

Balnea duplicia.
Naturalia.

IN genere eorum, quæ vacuant, esse etiam recensenda balnea, nemo est, qui nesciat. Sunt autem hæc ipsa duplicia: quædam enim naturalia, quædam verò arte confecta seu artificialia sunt, & nominantur. Naturalia, de quib9 hoc capite disserem9, sunt, quæ per se, & spõte sua nascuntur, naturalitérve proveniunt ac scaturiunt, insitisque operantur viribus. Hæc usitato nomine, quòd omnia propemodũ calefaciendi vim obtinent, thermæ vocantur. Horum certè multa sunt genera, & a Paulo quidem Aegineta lib. 1. octo præcipua recensentur balnearum genera: alia enim nitri, alia salis, quædam aluminis, quædam sulphuris, nonnulla bituminis, aliqua ferri, aliqua æris, alia auri naturam, & qualitatem resipiunt. Nec temerè diximus Præcipua hæc esse thermarum genera: sunt enim aliqui fontes medicati, qui ex nullo horũ fiunt. Nam aliquas spontè natas aquas, mistas atramento sutorio, chalcitide, misy, & id genus aliis recẽset Galenus: Sunt igitur aquæ etiam atramentosæ, ærugine fossili infectæ, & auripigmento, item cadmia fossili, chrysocolla, & melanteria permixtæ. Præterea

Thermæ vox cur naturalibus indita balneis.

Balneorũ naturalium genera.

tereà quæ argenti vivi venas lambunt, quas omnes Georgius Agricola, ſingulare Germaniæ ornamentum, & qui in iis rebus deſcribendis omnem antiquitatem longè ſuperavit, in libris de Natura eorum quę ex terra fluunt, percenſuit. Quædam, ex pluribus horum miſtis, conſtant: Eſt autem in univerſum omniũ aquarum, quæ medicam præ ſe ferũt vim, Galen. lib. 1. de Tuen. ſani. cap. 6. atteſtante, facultas exiccatoria: atque ſunt ex iis, quæ cum exiccatione egregiè calefaciunt, licet etiam quædam illarum exiccando conſtringunt. Atq; idcirco proſunt intemperiei frigidæ & humidę, & morbis ex pituita natis. Speciatim verò, nitroſæ aquæ, potæ alvum turbant, & pituitam trahunt. Vulvas prætereà, quoniam eas abſtergunt, faciunt cõceptioni habiles, & ſtrumarum tumores minuunt ac præcavent. Earumdem aquarum balnea, malum corporis habitum, qui eſt ex pituita, emendant. Proſunt nervorum vitiis, thoraci, deſtillationibus infeſtato: omninoq; eaſdẽ facultates habẽt, quas ſalſæ, ſed eas multò efficaciores. Attamen non adſtringunt, ſed abſtergunt. Quapropter cutem emendant, & ſcabiem ſanant. Adhæc inſtillatæ, medentur purulentis auribus, earumq; inflationibus, & tinnitibus conferunt. Salſæ multum potæ, itidem ut priores, alvum turbant, pituitam trahunt, & ſanguinem concretum vacuant, ſolvuntq; Corpus prætereà minuunt, & ad maciem ducunt. Sed pituita omni conſumpta, ventriculum lædunt, inteſtina corrodunt, & exulcerant, pruritum, & ſcabiem, (quatenus ſua ſalſedine inficiunt ſanguinem.) gignunt. Sin parum fuerint ſalſæ, & tardius eadem efficiunt, & non adeò offendunt ventriculũ & inteſtina, atq; omnino minus totius corporis valetudinem perturbant. Tepidæ verò iniectæ in anũ pituitam extenuant: calidæ tollunt tormina. At balnea earundem malum habitum, qui eſt ex pituita, emendant: proſunt nervorum vitiis, thoraci, qui deſtillationibus infeſtatur, ventriculo frigido & humido itidem conferunt. Scabiem ex pi-

Georgius Agricola.

Vniverſalis eorundem facultas.

Nitroſæ aquæ cõmoda.

Salſæ aquæ utilitates.

tuita natam sanant. Si nulla est, pruritum excitant; quem post aliquot dies rursus sanant. Ferventium vapor capitis gravitatem, & aurium dolores corrigit. Sed infusæ, tumores, tàm eos qui ex morbis remanserunt, quàm ex pituita ortos, discutiunt. Prosunt hydropicis, liventia reducunt ad calorem naturalem.

Aluminosæ aquæ usus.

Aluminosæ adstringunt in universum omnes. Potæ, ventriculum vomere solitum, roborant. Vlcera vesicæ curant. Prosunt mulieribus, quæ nullo ordine, aut immodicè purgantur, & iis, quæ non concipiunt, & sine manifesta causa crebrò abortire consueverunt. Parum enim tenacem uterum roborant, & claudunt. In ore retenta, sanant eius ulcera, & tumorem gingivarum sedant. Gargarizatæ, tonsillas tollunt. Sed earum balneæ etiam vitiis supradictis cutaneis eximiè medentur, in primis verò externis ulceribus, quæ fluxionibus abundant commodæ. Sunt etiam nervis resolutis, & iis qui tardiùs concoquunt, utiles. Sanguinis eruptiones, ex thorace, & ano compescunt, nimium sudorem reprimunt. Verumtamen noxiæ sunt propensis ad febrem, quia obstruunt & constipant.

Sulphureæ aquæ effecta.

Sulphureæ nervos molliunt, & calefaciunt, igitur resolutis, tensis, contractis, tremulis, perquàm utiles sunt, & eorum dolores sedant. Artuum tumores evocant ad cutim, & discutiunt. Medentur ergo podagræ, chiragræ, coxendicum, aliorumque articulorum morbis. Pellunt etiam dolores iecoris, lienis, uteri, & eorundem tumores discutiunt. Sed ventriculum evertunt. Scabiem insuper & ulcera sanant, lentigines tollunt, impetigines & vitiligines emendant.

Bituminosæ aquæ ad quæ conferant.

Bituminosæ potæ, intertoribus corporum vitiis medentur. Earum balnea, nervos sensim calefaciunt, & temporis spatio emolliunt. Sed caput implent, & sensuum instrumenta, oculos potissimùm lædunt.

Aeratæ beneficia.

æreæ seu æratæ, ori, tonsillis, uvæ, & oculis excellenter prosunt. Repurgant enim eá, quæ claritati ipsorum officiunt.

Ferratæ utilitates.

Ferratæ, utiles sunt ventriculo, lieni, renibus. Prosunt colicis, dolores articulorum pellunt,

pellunt, auxilium afferunt in exulcerationibus vesicę. Vnde in Tuscia, ad quinquagesimum ab urbe lapidẽ ferratæ appellãtur vesicariæ. Atramentosæ, sive quæ ipsum atramentũ sutorium imbiberũt; sive misy, sive chalcitida, sive sory, sive melanteriam, easdẽ vires habent quas aluminosæ, multò tamẽ efficaciores, multa acrimonia cum adstringendi vi cõiunctas. Qua de re ulceribus quæ pascendo serpunt, prosunt. Sed si nimiùm fuerint acres, necãt. Cæruleo, ęrugine, & chrysocolla, infectæ, potæ vomitiones movent. Earũ balneæ itidẽ medentur ulceribus, quæ pascendo serpũt. Auripigmẽto abundantes, calefaciunt & adstringũt. Item Sandarachæ paululũ habent, sed hæ ipsæ vocẽ purgant, & suspiriosis prosunt: At quæ fluunt, per silices, aliosq; lapides frigore concretos, quia parũ admodũ, aut nihil à subterraneis succis afficiuntur, simplicis aquæ penè vires habent: plerumq; tamen min⁹ frigidę & crudę sunt. Quę verò alios lapides lambũt, si duri & macri fuerint, parũ infici possunt: sin molles & pingues, multum, qualis est calcarius lapis, eum in primis calidæ aquæ molliunt, deq; eo non parum abradunt. Quod ipsum genus aquę exiccat, nec tamẽ mordet. Plumbeæ lædunt nervos & artus. Hos enim pituita implent, & inflant: illos autem indurant, contrahunt, ac tendũt. Acidæ sive acidulæ aquæ, quę etiã ignem senserunt, urinam potæ movent, & calculosis medentur, ebrietatemq; discutiunt. Earũ balneæ idẽ præstant, febresq;, quòd calorẽ restinguant, discutiunt. Aquæ, argentum, aurúmve purũ lambentes, cor reficere traduntur. Atq; hactenus de aquis & balneis unius duntaxat subterraneæ substãtiæ qualitatib. imbutis dixim⁹. Nũc ad eas progrediemur, quę duab. tribus, pluribúsve reb. permistę sunt. Hę omnino certè, earũ rerũ, ex quibus sunt cõpositę, vires habent. Verbi gratia: est aqua quæ habet misturã salis & aluminis, talis epota calefacit & exiccat: id enim utrisq; cõmune est. Quòd si pl⁹ in ea salis inest, quã aluminis, alvum quidem turbat, sed nec hanc, nec intestina multũ læ-

Atramentosæ quid possint.

Cæruleo, ærugine, & chrysocolla infectæ.

Auripigmẽto.

Sandaracha.

Per silices fluentes.

Per calcarios fluentes.

Plumbeæ.

Acidæ.

Argenteæ & aureæ aquæ quid possint.

Mistæ aquæ & balneæ.

dit, quòd alumen eius vim reprimat. Sin plus aluminis habeat, tunc adſtringit, & alvum ſiſtit. Ad eum modum de reliquis miſtis iudicandum erit. Ita ut iam facillimum ſit, cuivis omnium thermarum, quas vocant, modò miſturas earumdem cognitas habeat, vires dijudicare, quæ quidem in orbe terrarum multæ ſunt. Nos in ſtudioſorum gratiam eas tantùm, quæ Germanis noſtris ſunt hodie cognitæ, & ab omnibus valetudinis tuendæ aut conſequendæ cauſa petuntur, nominatim percenſebimus, ac earundẽ tùm miſturas, tùm facultates breviter perſtringemus. Principio autẽ, quę in Lotharingis ſunt thermę Plumbarię nobis occurrunt, ita à copioſa plumbi miſtura appellatæ. Quò reſpiciẽtes Germani noſtri, Plumbersbad vocant. Fertur eas, plumbi, aluminis, & ſulphuris miſtura conſtare. Quapropter malignis ulceribus, cancro, phagedænis, fiſtulis, elephantiæ recens cœptæ, & omnibus cutis vitiis opitulatur. Quippe ulcerum curatio, omnibus tribus, è quarum miſtura conſtat, communis eſt. In Curienſi diœceſi, nec longè à Curia Rhetorum ſitæ balneæ, ſecundum ſibi vẽdicant locum, à Germanis noſtris Pfeffersbad/hoc eſt, piperinæ nominantur. Hæ quidem auro, ſulphure, & nitro infectæ dicuntur. Capitis doloribus mirificè conferunt, memoriam confirmant, viſum auditumque acuunt: cerebri, nervorum, aliarumq; partiũ obſtructiones nitri ratione, quod abſtergit, auferunt: articulorum doloribus, ulceribus, fracturiſque oſſium, ſulphuris cauſa, opitulantur. Harum aqua, nõ continuò & perpetuò, ut aliarum, manat; ſed certo tempore, nempe 3. Maij quotannis erumpit, ac ſubinde iterum ſtato tempore, nimirum 14. Septembris die, ſeſe recõdit, & in penetralia terræ ſubducit. Haùd procul ab arce, quam Helvetij Badenſem vocant, aliæ ſalubres thermæ habentur, quæ ob id Badeniæ appellãtur. Hę copioſi ſulphuris, & exigui aluminis miſtura conſtant. Quapropter frigidis & humidis capitis, ac

Plumbariæ calidæ.

Piperinæ balneæ.

Badeniæ Helvetiorum.

tis, ac cerebri vitiis, lethargo nimirũ, amissę memorię, & id genus aliis capitis affectib. frigidis prosunt. Calefaciunt & exiccant ventriculum, eiusq; concoctionem, aluminis ratione iuvant, iecoris & lienis obstructiones tollunt, detentos menses evocant, & sterilitatem adimunt. Mulieribus magis quàm viris, quòd sulphuris copia turgent, conveniunt. E ferventium enim sunt numero. Quippe earum aqua non modò coquit ova, sed etiam de alitum cute, plumas eximit, de suilla setas, sive immergantur animantes, sive ea perfundantur. In finibus lacus Podamici, supra Cōstantiam, thermæ sunt Embsebadæ dictæ, aluminis & nitri mistura participantes. Quocircà capitis doloribus, destillationibus in thoracem, & suspiriosis, item nervorum resolutionibus, à coli cruciatibus factis, & ulceribus malignis conferunt. In Alsatia propè Gebersveilum balneæ sunt aluminosæ, nitrosæ, & ferratæ: quòd maximè alumen continent, deinde nitrum, postremò ferrum. Succurrunt lienosis, quartana laborantibus, ulceribus sordidis, & omnibus cutis vitiis. In ditionis Marchionis oppido, Bada, quod ab ipsis nomen duxit, balneæ miræ sunt efficaciæ, quæ olim M. Aurelii Antonini dictæ, quarum mistura ex sulphure, sale, & alumine existit. Cōducunt difficilè spirantib. & asthmaticis, dolorib. articulorum, anasarcæ, ictero, & podagræ à frigidis humoribus enatis, uteri morbis, albo potissimũ fluori conferunt. Conceptionem iuvant, quòd salis gratia uterum abstergant, ac sterilitatem removent, & in summa, uteri vitiis frigidis & humidis, præ cæteris ferè omnibus balneis, conveniunt. Vlceribus deniq; & cutis vitiis, mirificè medentur. In ditione & ducatu Virtenbergensi, non longè ad unum lapidem nimirum, à Chalbo oppido thermæ sunt, quæ Latinè Bildebadæ, Germanicè Wildbad/ hoc est, ferinæ balneæ, & à Martiana sylva (sic autem Romani superiorem Hercinii nemoris partem vocāt) Germanis Schwartzwald bad/ id est, nigræ sylvæ, balneæ no-

Embsebada.

Balnea Gebersveilana.

Badenia Marchionis.

Bildebada.

minantur. Harum mistura, ex copioso sulphure, & exiguo alumine, constare fertur. Sunt tamen qui æris, salis, & nitri misturam accedere priori censent, atque hi rectè iudicant. Nam quùm plurimùm balneæ hę oculis prosint, ut æris aliquid habeant, est necesse. Vnicè capitis vitiis frigidis, resolutioni nimirum nervorum, convulsioni, stupori, & similibus auxiliantur. Instrumenta sensuum roborant, ea quæ oculorum claritati officiunt, repurgant, tinnitum aurium, iecoris & lienis obstructiones tollunt, malo habitu corporis, & ictero laborantibus, item anasarcą seu leucophlegmatia defædatis, renum & vesicæ calculis, ventriculoq; frigido succurrunt. Appetentiam deniq; excitant, & propemodum omnia, quæ Badeniæ Marchionis, præstāt, nisi quòd viris magis quàm mulieribus, quòd non ita ferventes sint, competant:

Balneæ Cellenses. In ditione Marchionis Badensis, non ita procul à Phorcena appellato oppido, sitæ sunt balneæ Cellēses, ab oppidulo Cella paucis passibus ab illis distante, dictæ, quarum mistura, ex alumine, ære, & exiguo sulphurę: vel ut quidam censent, ex alumine & ære tantùm, constat. Succurrunt ulceribus diuturnis & malignis, articulorum doloribus & caninæ appetentiæ accommodatissimæ. Prosunt insuper febribus ex pituitosis simul & biliosis humoribus natis, adeoque iis, qui calido & sicco temperamento sunt præditi, conveniunt: id quod mirum non est. Quippe iisdem effectibus omnes constat pollere acidulas. Nam hæ calorem restinguere possunt, quòd in acidis, calore exhalato, frigiditas tanquam victrix permanet. Quùm verò acida non tantùm in profundū penetrent, sed etiam abstergant & mordicent, nihil mirum has balneas calculorum quoque vitia discutere.

Fons Tungrorum. Similis fuit aqua fontis Tungrorum, cuius meminit. Plin. lib. 31. cap. 2. ferruginei saporis, quæ corpora purgabat, tertianas febres discutiebat, & calculorum vitia emendarat.

Fons acidus ad Geppingam. In ditione Virtenbergensi prope Geppingam urbem ad fluvium Vilsum, fons

est

eſt alter acidus, quem Germani etiam Saurbrunnen vocant, quòd aciditate iam dictum fontem longè ſuperet, & ob acidum ſuum ſaporē, in potū hominum illic degentiū, magno ſtudio hauritur, & expeditur. Vt plurimū errent, qui fontem illum chalcanthi ſive atramenti ſutorii venam habere putant. Aquæ enim ſic infectæ, magnā acrimoniam habēt, nec potui hoc nomine aptæ ſunt ordinario. Ventriculum & iecur propter inſignē adſtrictionē iuvant, & corroborant, hocq; nomine luxatis corporis partibus proſunt. Cū verò acidulis penetrandi & abſtergendi vis inſit inſignis, iecoris, lienisq; obſtructiones ſolvunt, adeoq; ictericis & malo corporis habitu laborantibus ſuccurrunt. Febres tertianas, propter cauſam paulò antè expoſitam, partim refrigerant & extinguunt, partim diſcutiunt, & calculos frangunt. Vomitum bilioſum reſtringunt, & ulceribus medentur. Fons acidus tertius ad unum fermè lapidem, ſuprà Rotenburgū ad Nicerum ſitum in pago Au reperitur, qui certè plus ſulphuris obtinet, ideoque minus eſt acidus, ac magis calidus. Efficaciori vi ea quæ in partium cavitatibus deliteſcunt, exiccat, & ad ſananda ulcera utilis eſt. Prope Tubingam ad torrētem Stainachium balneæ ſunt Blaſianæ, ab excelſo illic à miſſariis ſacrificulis extructo, & divo Blaſio dicato, appellatæ, non quidem celebres, & multùm frequentatæ, ſed ob præclaras virtutes, nobis ſilentio non prætereundæ, quarum miſtura haud dubiè ex alumine, ferro, exiguo ſulphure, & nitro, aut certè calcario lapide exiſtit. Nā earū aqua, igni admota turbida fit primū, poſtremò rubeſcit, qđ de fonte ferruginei ſaporis Plin. quoque ſcriptū reliquit, unde aluminoſam & ferratā eſſe cōjicimus. Alias miſturas, ex facultatib. deprehendim⁹. Deſtillationibus namq; in thoracem, & aſthmaticis, articulorum item doloribus, & tumoribus mirificè proſunt. Scabiem, & ulcera curatu difficilia ſanant, & ea quæ fluxionibus infeſtantur, facilè exiccāt, ut hinc partim aluminis, partim nitri, & ſulphuris miſtura,

Fons acidus in Au.

Balneæ Blaſianæ.

Fons ferrugineus.

Balnea Vberlingenses. eluceat apertissimè. Ad Venetum lacum, in suburbio Vberlingo, balneæ sunt, quarum mistura è plumbo, ære, & sulphure est. Sunt qui sulphur omittunt. Interim aiunt quod ventriculum roborãt, & artus labore admodum debilitatos confirmant. Renum & vesicæ vitia calculosque pellunt. *Balneæ Oppenavenses, sive Anthegastæ.* In ipsa Martiana sylva iuxtà Oppenavam oppidulum, balneæ sunt, quæ nominantur Anthegastæ, aluminis, nitri & sulphuris mistura constantes. Cerebrum, nervos, & renes purgant, corpusq; universum excrementis vacuum reddunt. Vlceribus sordidis, iisq; diuturnis, præ cæteris balneis medentur. Appetentiam tamen dejiciunt, ac supra modum siticulosæ sunt. In magna Germania *Visebadæ. Mattiaci fontes.* sunt Visebadæ ferventes admodũ, à veteribus, Plin. præsertim lib. 32. c. 2. Mattiaci fontes appellati, quorum haustus triduo fervere tradit. Harum balnearũ mistura è sulphure, alumine, & exiguo nitro existit. Easdem cũ Badensibus Marchionis vires obtinent. *Gasteniæ.* In Norico sive Baioaria sunt thermę Gastenię nominatę, quibus vehemens adstrictoria & exiccatoria inest facultas, quo nomine corporis excrementa dissipant, & absumunt, quod partim exprimendo, partim exiccando efficiunt. Vterum humidum plurimùm iuvant, ideoq; mulieribus imprægnandi facilitatem conciliant, atq; ne gravidę abortiant, efficiunt. Vt harum misturam alumine copioso, & exiguo sulphure constare sit verisimilimum. In Vindelicia ad Abudiacum castellum Danubianum, supra Rheginoburgum *Abudiacæ.* balneæ sunt Abudiacę vocatæ, quæ sulphuris copiosi, aluminis, &, ut quidam volunt, nitri quoq; copiosi mistura constant. Odorem enim insignem sulphuris efflant, adeò ut ferè ova frixa referant. Nervorum vitiis, articulorum doloribus, podagræ, & chiragrę medentur. *Carolus V. Imperator.* Hinc est quòd Carolus V. Romanorum Imperator, superioribus annis harum usum expertus sit. *Elbogana acidula.* Scabiem & ulcera sanant. In Elboga Sliconũ oppido, acidula est, quam furiosam appellant, quòd tanto sonitu feratur, ut ad passus centum, aut etiam plures resonet,

sonet, non secùs ac tonitru aliquod remotum. Sulphure, alumine, & exiguo nitro constat. Sunt qui nitrum silentio involvant. Idem quod Cellenses ferè balneæ potest calefacit enim, exiccat, & robur partibus corporis cōciliat maximum. Cæterùm, quod ad usum thermarum, & aquarum spontè natarum attinet, eas certè sensim & paulatim ingredi & usurpare oportet, nec nisi corpore prius vacuato. Cuius rei causæ è superioribus patent: Nec certum & statutum tempus, quantisper illis utendum sit, omnibus ex æquo est constituendum, imò virtutis maximè habenda hic, ut in omnibus aliis vacuationib. est ratio principalissima. Tantisper enim iis utendū, donec virtus ferre cōmodè potest. Nec nobis probatur, quòd horis certis dimetiuntur medici, balneandi morā. Nam ita fit, ut pleriq; properent, non sine maximo corporis & virtutis incommodo, præscriptas sibi horas absolvere. Præstat enim dierum aliquem, intrà quem balneandi finem faciant, numerum præscribere, nempe vigesimumquintum, aut trigesimum, aut trigesimumquintum, aut ad summum, quadragesimū diem. Ita enim paulatim ac sensim, vis balnearum, laxo & soluto corpori occurrere potest.

Balnearum calidarum usus & regimen.

Præstat dierū quàm horarū numerū certū balneantibus præscribere.

DE BALNEIS ARTE CONfectis. Cap. XXIX.

HActenùs qua potuimus brevitate spontè natarum & naturalium balnearum misturas, ac vires enarravimus. Nunc reliquum est, ut earum etiam, quæ arte parantur, rationem exponamus. Vt autem veteres balnearū summum usum habebāt sibi commendatissimū, (quotidie enim, quo vel pulverem sordesque abluerent, vel sudorem provocarent, valetudinis, voluptatisve causa, se lavabant) sic quoque quinq; ordine positas partes. Prima Græcè ἀποδυτήριον ἀπὸ τοῦ ἀποδύειν, quod est exuere, dicebatur. In ea enim balneaturi sese exuebant, atque nu-

Balnearum artificialium quinq; partes.

Balnearum partes quinq;.

Prima: Apodyterium.

Tepidarium. dabant. Latinè tepidarium vocabatur: tepebat enim hac in parte aër, vel ex calidis ac ſiccis vaporibus, ab igne delatis: vel calidis ac humidis ab herbis & ſtirpibus decoctis in aëra transmiſſis: vel ab aquâ in ignitos lapides, aut candentes laminas infuſa excitatis. *Altera: πυριατήριον. Calidarium.* Altera balnei pars Grecis πυριατήριον ἢ ὑπόκαυστον, Romanis calidarium, Senecæ ſudatorium, aliis Laconicum, à Laconibus & Spartanis, quibus in uſu frequens fuit, appellabatur. Quod indicat libro 6. Epigrammatum de Hetruſci thermis Martialis iis verſibus:

De virgine & martia aquis, Plin. lib. 31. cap. 3.

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, martiaq; mergi,
Quæ tàm candida, tàm ſerena lucet,
Vt nullas ibi ſuſpiceris undas,
Et credas vacuam nitere Lygilon.

Virgo dicta quid & quare? Cæterùm virgo appellata eſt, ut obiter id etiam dicamus, quòd quærentibus aquam militibus, puella virguncula venas quaſdam monſtraverit, quas ſecuti qui foderunt, ingentem aquæ molem invenerunt. Martia verò, ab Anco Martio rege, qui primus omniũ, eam in urbem ducere eſt auſpicatus, nominata eſt. Galenus hanc partem, multis in locis ξηρὸν θόλον, hoc eſt, ſiccam teſtudinem nominat. Siquidem fornicem habuit concameratum, ſeu locum in ſe recurvum, in quo ſuccẽſus ignis, calidos atq; ſiccos vapores emittebat, ad ſudorem eliciendũ idoneos. *Fornices, & teſtudines balneorum.* Tales certè fornices & teſtudines hodiernis etiam temporibus in noſtris balneis conſpicimus, è quibus vapor ſiccus ad ciendos ſudores egreditur, corporibus interim, in tabulam quandam ſudorem illum excipientem, proſtratis. *βαλανεῖον.* Eandem certè partem libro tertio, de Tuend. ſan. idem Galenus βαλανεῖον vocavit. *Aeriũ balneum.* Hodie facientes medicinam, aërium nominant balneũ, quòd eo utentes in aëre degant calefacto. *Tertia. Soliũ calidũ.* Tertia balnearum artificioſarum pars erat ſolium calidum. Solium

lium autem nihil aliud fuit, nisi cisterna, aut piscina, aut vas, aut cupa, in qua homines considentes abluebantur. Vnde Latinis & labrũ, & lavacrum, vulgo etiam tina vocatur, nostratib. sanè usitatissima. Galen⁹ ab inscensu & descensu ἔμβασιν, κολυμβήθραν, καὶ δεξαμενὴν nuncupare solet. Posterior appellatio Homero quoq; familiaris fuit. Quarta pars, frigidum soliũ erat, in quo corpus priorib. balnei partibus exhaustũ, nimisq; laxatum & calefactum, refrigerabatur, densabatur, ac firmabatur. Veteribus Græcis λοῦτρον simpliciter vocabatur. Quinta ac novissima pars, detergendo corpori dedicata fuit. Nam postquam cuncta iam ritè peracta essent, post frigidi solii usum iterum sudabant, ut omnia excrementa citra refrigerationis noxam vacuarentur. Proinde ut tandem sudorem iterum detergerẽt opus fuit, quod quidem in postrema hac balnearum parte factum est. Cæterùm Galen. lib. 10. Ther. meth. cap. 10. quatuor duntaxat balnei partes, apodyterio præterito, recenset. Plinius tamen lib. 5. epistola 6. huius, & etiam aliarum omniũ disertè meminit. Nostra quidem etiam balnea, aliqua ex parte antiquorum referrent, si prima & ultima pars distinctæ, ac aliis continuæ essent. Tepidarii enim vicem, supplet ea pars, modò continua alteri sit, in qua nos nudamus & vestes exuimus. Calidarium, in quo sudamus, veterum propemodum per omnia refert. Frigidis enim hodie uti desierunt. Aestivo interim tempore Germani nostri non tantùm se in frigida mergũt, sed multas quoq; horas, fluviis innatantes consumunt. Pars ultima itidem desideratur, cui tamen, ubi continuum est, tepidariũ, in quo denuò vestimur aliquo modo, respondet. Atq; hactenus balnei arte parati partes enumeravimus, nunc quę sit earundem balnei partium facultas, breviter commemorabimus. Prima, quasi quædam est, ad alteram præparatio. Neque enim satis tutum est, à frigido aëre statim, in calidum admodum sese transferre. Secunda, materias, per totum corpus tùm

Tina.
ἔμβασις.
κολυμβήθρα.
δεξαμενή.
Quarta.
Solium frigidum.
λοῦτρον.
Quinta.
Balneorum nostrorum, cum veterib. comparatio.
Frigida Germanorum balnea.
Balnei partium facultates.
Prima.
Alterius.

calefacit, tùm fundit, liquátve, & quæ inæqualia ſunt æquat, cutemq; laxat, & ſub ea detenta vacuat. Quare nobis non rarò exercitii neglecti vices ſupplet.

Tertia. Tertia, qua in aquam calidam deſcenditur, Galeno lib. 3. de Tuenda ſanitate, cap. 3. teſte, ſi media temperie ſit, calefacit & humectat: ſin tepida fuerit, humectat & refrigerat. Vtraq; igitur, in ſicco corporis affectu, madorem utilem, ſolidis partibus immittit. Quòd ſi verò juſto calidior ſit, calefacit quidem, ſed non perinde humectat: quippe horrere corpora, cōtrahique, & denſari exiles eorum meatus facit adeo, ut nec madeſcere ab extrinſecus accedente humore queant, nec excrementi, quod intus latet, quicquam vacuare & emittere poſſit. Quæ itaq; moderatè calida fuerit, madorem utilem ſolidis partibus, ut diximus, immittere poteſt, fatigationem ac laſſitudinem ſolvere, plenitudinem diſcutere, dolorem mitigare, coërcere, duras tenſasque partes mollire, excrementum liquamentúmve, ſi quod intùs ad cutem hæret, evocare, flatus abſumere, ſomnumque allicere valet. Tepidum verò, febribus exiccantibus, & præſertim iis, quę immodicam ſitim excitant, vehementibus ſolis exuſtionibus, & ſcabioſis puſtulis confert. Vt rectiſſimè dixerit Galenus, nihil eſſe quod valido æſtu occupatos, pręſentiùs refrigeret, aut, magna affectos frigiditate promptiùs calefaciat, quàm balneū aquæ dulcis moderatè calidum.

Lib. 5. de Vſu par.

Balneū quibus inutile. Porrò inutile eſt quibuscunque vel crudi humoris multitudo in primis venis continetur, vel viſcus aliquod, (ut jecur, ventriculus, pulmo, renes, meſenteriū, colum) imbecille eſt: adde pedes, manus, coxas, artus, & quamlibet, ſine vitæ tamen pari periculo, ſimiliter infirmam particulam, vel denique quibuscunque horrorem aut cutis denſitatem adfert balneum, ut fit in iis qui acribus humorib. abundant maximè ſi cutis etiàm aliunde denſata eſt. Nam & liquata balneo excrementa, in membra qualiacunque infirma decumbunt, & cum impetu quodam irruunt, & cruda nutrimenta in corpus diſtribuun-

buuntur, denique horror vel præsentem febrem intendit, vel sæpe, quæ antè fuit, magis incendit & exacuit. Quarta balnei pars, qua in frigidam immerguntur, universum corpus firmat, ac robustū reddit, cutem densat, & vires firmat. Quod sanè optimum ad externa nocumenta arcenda præsidium est. Quare si quis stagnis atque fluminibus uti consuevit, minus habet periculi, præsertim si non intempestivè adhibeatur. Sanè tempestivum fuerit, Galeno libr 3. de Tuen. vale. teste, si iis assuefactus, firmisque viribus præditus, ubi in sole fervente fecerit iter, vel diu sub eo versatus fuerit, jam aridus & squalore obsitus, vel in frigidum solium descendat, vel in flumen aliquod se præcipitet. Nam is dicto citius, omnem tunc cum æstu ariditatem cutis extinxerit correxeritq;. Si verò quis minùs assuevit frigidarum aquarum balneis, multiplici cautione summaque prudentia opus erit. Quippe non omnibus conveniunt: neque enim iis, quorum corpora adhuc augentur, quòd horū incremētò illo adversentur: sed iis, qui inculpatè sani sunt, & qui exacta victus ratione, ac laboribus, cibisque commodissimè utuntur. Non sit etiam eorum corpus, eo die, nec nocte ea, quæ præcessit, ulla re, vires debilitante aggravatum, non venere, non vigilia, non crapula, non fatigatione, non inedia, nōn deniq; ullo excretionis genere infestatum; sed pristinam integritatem ad unguem habeat, & bonis ac salutaribus cibis utatur, sit juvenis, animo præsente, & planè hilari, eo præcipuè die, quo balneat. Priùs etiam frictionibus præcalefaciendum corpus erit, ut fusiùs Gelen. & lib. 3. cap. 178. Aëtius docent. Solis itaque juvenibus ac robustis, nō mulieribus, & mediocriter carnosis, frigidæ lotione assuetis, nec omni tempore, sed æstivo tantùm, & die ab omnibus ventis silente. & quoad tempus fert calidissimo, atque meridie. Cùm itaque, tanta cura ac cautione, ut quis tutò frigida se lavet, opus sit nihil mirum, hodie innumeros lædi, qui sine consilio ac discrimine sese in flumina conji-

Quarta.

Stagnantiū, & fluentium aquarum usus.

Balnea quomodo hodie à medicis parentur.

ciunt, ac toto illic die se lavant. Porrò potest interdum medicus, conjectis nonnullis in aquam dulcem, rebus metallicis, mineralibus, vegetabilibus, verbi causa sale, nitro, sulphure, alumine: aut in ea decoctis herbis, balnea, quibus discutiendi vis insit, parare. Quorum tum precipuè usus erit, ubi habitum corporis attenuare nobis consilium est, ut in pinguibus & obesis, vel ubi totum corpus, vel pars ejus aliqua, in tumorem attollitur. Item, ubi humores in coxam, aliasq; corporis partes decubuerunt. Sed præstat horum formulam aliquam subjicere, ad cujus præscriptum alia parari possunt, ad similes usus plurima. Ad coxæ e. g. dolores hoc uti licebit balneo, quod habet meliloti, chamæmeli, anethi herbarũ, seminum fœnigræci, lini, singulorum manipulos duos. Absinthij vulgaris, menthæ, pulegii, calaminthæ, abrotani, chamæpityos, stæchadis arabicæ vocatæ, betonicæ, sampsuchi, verbasculi odorati, salviæ, chamædryos, singulorum manipulum unum cum dimidio. Bulliant in cacabo aquæ fontanæ, quoad tertia ejusdem pars dissipetur, dein colentur. Aquæ colatæ adjiciatur sulphuris vivi lib. semis. Nitri unc. 4 salis communis unc. 6. Iterum ferveant unica duntaxat ebullitione, ac colentur, & colata aqua usui servetur. ex eademque balnea fotus insessiones &c. parentur.

Formula balnei.

DE HAEMORRHOIDIBUS.
Cap. XXX.

Hæmorrhoides.

HAEmorrhoides venarũ, quæ anum ambiunt, sunt excretiones, per quas natura, fæculẽtum ac melancholicum sanguinem, statis temporum intervallis, expurgat. Venæ verò illæ partim à vena porta nominata, partim à cava, ut alibi copiosiùs monstravimus; oriuntur. Major tamen copia, fæculẽtioris sanguinis per ramum, qui à porta nascitur vena, expurgatur, quàm per eum, qui à cava exoritur: quod à liene facillimè, ac breviori compendio, is hu-

Hæmorrhoidum ortus duplex, à vena cava & vena porta.

is humor deorſum profluat. Proinde quum natura magnam fæculenti humoris à liene elaborati & confecti colluviem, partim per hæmorrhoidas appellatas venas, ſtatis temporibus excernat, omnibus perſpicuum evadit, harum mediocre profluvium, à multis, nos, morbis, tutos ſecurosque reddere. Hinc non temerè Hippocrates in Epidemiis de Hęmorrhoidibus ita ſcriptum reliquit: Quibus hæmorrhoides profluunt, ii neque pleuritide, neq; pulmonis phlegmone, neque phagædena, neque furunculis, neque terminthis, pariter neque lepra, neq; vitiliginibus albis corripiuntur. Cæterùm non ſolùm ea vis eſt hæmorrhoidum promanantium, ut à morbis imminentibus tueantur ac præſervent nos, ſed etiam ab iis, qui jam invaſerunt, prorſus liberent, & immunes reddant. Quod palàm quoque in Epidemiis Hippocrates iis confirmat verbis: Hæmorrhoides ab atra liberant bile, eò quòd per has ſimile excrementum melancholicum profluat. Et in Aphoriſmis, ubi in hunc ſcribit modum: Melancholicis, & renum malo laborantibus, hæmorrhoides ſuccedentes bonum ſignificant. Et ibidem rurſus: Inſanientibus ſi hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio. Cùm itaque hæmorrhoides, nòn modò à futuris morbis tueri, ſed & à præſentibus ac jamiam infeſtantibus liberare nos ſanos, ægros queant, diligenter ac ſedulò medico cavendū erit, ne temerè easdem ſupprimat. Quod niſi fecerit, multorum certè, & eorum ſanè non levium morborum, quibus ille, cui intempeſtivè, & nulla urgēte neceſſitate ſuppreſſit, corripietur, author erit. Quod dicimus, Hippocrates ſuo teſtimonio confirmat, qui in Epidemiis ita inquit: Multi intempeſtivè ab hæmorrhoidibus ſanati; prædictis morbis mox correpti ſunt, & fuerūt pernicioſi. Et in Aphoriſmis: Sananti diuturnas hæmorrhoidas, niſi una relicta „ fuerit aperta, periculum eſt aquam intercutem, aut „ tabem ſuccedere. Nec diſſentit Cornelius Celſus, „ qui libro 6. cap. 18. ſic ſcribit: Atque in quibusdam „

Hæmorrhoidum commoditas.

6. Epidem. ſectio. 3. Aphor. 29.

Hæmorrhoidalis fluxus à qua & quātis malis præſervet.

6. Epidem. ſect. 5. Aphor. 25.

6. Aph. 11.

6. Aph. 25.

Hæmorrhoides non temerè ſupprimēdæ.

Suppreſſio hæmorrhoidū inducit morbos.

6. Epidem. ſect. 3. Aphor. 29.

,, parum tutò ſupprimuntur hæmorrhoides, qui ſan-
,, guinis profluvio imbecilliores non fiunt. Habent
,, enim purgationem hanc, non morbum. Ideoq; cu-
,, rati quidam quum ſanguinis exitum non haberent,
,, mente in præcordia ac viſcera materia, ſubitis & gra-
viſſimis morbis correpti ſunt. Porrò emanantibus hæmorrhoidibus medicus caveat, ne immodicum ſit earundem profluvium. Siquidem ut omnes aliæ vacuationes, ita quoque hæmorrhoides, ubi plus juſtò profluxerint, virtutem vehementer dejiciunt, atq; interdum aquæ inter cutem, propter jecoris refrigerationem, quæ immoderatas hæmorrhoides comitatur, cauſa erunt. Quod cùm omnibus ſit manifeſtū, non eſt cur ea de re copioſiùs diſſeramus, præſertim cùm in libris noſtris de Medendi ratione id pleniſſimè tractaverimus.

Cavendum ne hæmorrhoides immodicè promanent.

DE MENSIVM PROFLVVIO. Cap. XXXI.

Menſiū profluvii utilitas.

VT virorum corpora, per hæmorrhoidas, ita mulierum, ſtatis etiam temporibus, per menſes expurgantur vacuanturque. Quo fit, ut iis moderatè & legitimo tempore exeuntibus, ſanę permaneant mulieres: Contra, ubi præter naturam ſupprimūtur, nimiúmve vacuātur, hic hauddubiè morbum pariunt. Nec temerè à nobis dictum eſt, Præter naturam: ſi enim naturaliter retinentur, nulla inde moleſtia, aut noxa mulieri accidit. Naturaliter autem retinentur, vel ætatis ratione, quòd ſcilicet juniores aut ſeniores ſint mulieres, quàm ut illis emanare mēſes poſſint. (Neque enim, utplurimùm, ante quartumdecimum annum menſes erumpere ſolent: deſinunt autem aliis quinquageſimo, aliis quinquageſimoquinto, pauciſſimis ſexageſimo anno.) Naturaliter etiam ſupprimuntur menſes, iis, quæ uterum geſtant ac conceperunt: & extra conceptionem in iis, quæ

Naturaliter quando retineantur menſes.

quæ lactant communiter ſubſiſtunt. Item ſaltatricibus, calidioris temperaturæ mulieribus, viraginibus exercitiis utentibus, & agreſtibus. Nam quicquid in iis eſt excrementi, hoc totum validus calor, & exercitationis vehementia abſumunt. Non eſt igitur cur in prædictis, & omnibus aliis, quibus menſes naturaliter ſupprimuntur, medicus de evocandis iis ipſis ſit ſolicitus. Neque enim ſi admodum conetur, eventus conatibus unquam reſpōdebit. Præter naturam autem detinentur in iis, primùm quæ juſtò pinguiores, aut graciliores ſunt. Pingues enim, cæteris mulieribus magis exangues ſunt, minimasq́; & anguſtas valdè venas habent. Graciliores autem, & ob diuturnū aliquem morbum admodum extenuatæ, nihil ſupervacui ſanguinis obtinent, imò vix unde alantur corporis partes, ſatis habent ſanguinis. Dein non profluunt menſes, quibus ſanguis craſſus ac lentus eſt. Siquidem is ob ſuam craſſitiem & lentorem, uteri venas permeare vix ac ne vix quidem poteſt. Denique iis, quibus per alia loca delatus, vacuatusque fuit, veluti per nares, aut ſedem, aut thoracem, aut ſectam aliquam venam. Sunt etiam aliæ multæ, ſuppreſſorum menſium cauſæ, quas libens prætereo, quòd lib 3. de Medendis morbis, cap. 53. eas omnes ordine percenſuerimus. Cæterùm menſes non modò præter naturam ſuppreſſi, bonam corporis valetudinē deſtruūt: ſed & ubi plus juſtò promanāt, ut teſtis eſt in Aphoriſmis Hippocrates ita ſcribens: Si, inquit, menſtrua immodicè fluunt, morbi accidunt: & ſi ſupprimuntur, ex utero morbi eveniunt. Quocircà ſi immodicè manant, conſtringenda erunt: ſin præter naturam diutiùs quàm par ſit retineantur, evocanda veniunt. In ſupprimendis & evocandis menſibus, prudentem ſeſe exhibeat medicus neceſſe eſt, ne ſcilicet citiùs aut tardiùs quàm cōveniat ſupprimere conetur menſes. Sunt enim ex mulieribus, quib. natura etiam diutius menſes profluentes quàm cæteris durent. Quod diſertè Hippocrates in Epidemiis iis ſignificavit verbis:

Præter naturam quibus menſtrua detineantur.

Pingues habitus magis exangues quàm graciles.

Suppreſſionis mēſiū cauſa.

Nimiū fluentes menſes quantum incommodent.

5. Aph. 57.
6. Epidem. ſect. 1.
Aphor. 6.

Menstrua, ait, humidis mulieribus diutiùs durant: Quum verò non citò prodeunt, intumescunt: Caveat etiam ne ubi non oportet evocare tentet menses. Ita enim nō tantùm ludet omnem operam, sed se etiam aliis doctioribus ridendum exponet. Atqui de mensibus in præsentia satis: plura enim de iis loco jam citato in Medendi nostra ratione invenient studiosi.

DE VACVATIONE PER NARES. Cap. XXXII.

Errhina nasalia, præsidia.

PEr nares vacuantur ea, quæ in capite, ac cerebro continentur, excrementa, idque sternutationem cientibus, & errhinis vocatis medicamentis, de quibus copiosè libr. 2. de Compos. medic. hodie usitata, cap. 25. diximus. Sæpè etiam sanguis per nares profluit. Quo quidem vacuationis genere, natura, multos corporis morbos curat, & judicat, quemadmodum in Prognosticorum, & Epidemiorum libris Hippocrates, & lib. 3. de Iudiciis, ac multis aliis locis Galenus docent. Sanguinis autem ex naribus profluvium, ipsaque adeò hæmorrhagia cerebri maximè obstructionibus, & à capite factis destillationibus confert, quòd eum, qui in capite redundat, sanguinem potissimùm vacuet. Vt verò in omnibus aliis vacuationibus medico unicè observandum est, utrum nimium, aut parcius educatur: ita quoque in narium profluvio sive cruento sive etiam nō cruento diligenter contemplandum erit, quando idipsum sit constringendum, & quando minus. Cum enim ex sanguine omnes corporis partes alantur, & is veluti vitę, quod dicitur, thesaurus sit, non committendum, ut illum immodicè vacuari ex naribus sinat medicus. Quapropter, ubi immodicum esse sanguinis ex naribus profluvium cognoverit medicus, ad ea, quę illud restringere possunt, medicamenta, se confestim conferat oportet. Vbi verò propter vitiosi sanguinis multitudi-

Sanguinis ex naribus profluvium quibus maximè conferat.

Sanguis vitæ thesaurus.

Quando constringendum, quādo minus

titudinem, profluvium sanguinis excitatum fuerit, minimè cohibendum erit. Non enim sine magno incommodo ejus, cui è naribus sanguis promanat, noxii sanguinis vacuatio impediri potest. Proinde juvanda potiùs hic est natura in expellendis noxiis humoribus, quàm in suo, quē rectè instituit, motu impedienda. Constringendū autem sanguinis ex naribus profluviū, etiamsi mediocre est, quandò sanguis qui vacuatur bonus fuerit, virtusq; laborantis imbecilla. Nec etiam perpetuò, per nares vitiosus vacuandus sanguis, sed tantisper id faciendum dum noxia vacuantur, & virtus ferre potest. Quæ singula ferè Hippocrates brevissima sententia in Epidemiis complexus est, ubi ita scriptum reliquit: Sanguinis ex naribus profluvia, quibus parum adquievimus, sicco medicamento obstruere oportet. Aliis autem obstruentibus non est opus. Vbi verò alba è naribus profluxerint, sicco, ut galla, & alumine, obturare convenit. Reliqua quæ ad hoc institutum pertinent, ex medendi nostra ratione petenda sunt.

Moderata etiam hæmorrhagia coërcenda quandoq;.

6. Epidem. sect. 3. Aphor. 18.

DE VENERE. Cap. XXXIII.

Veneris moderatæ & legitimæ commoda.

Rectissimè inter vacuationum genera principaliora venus, & concubitus recensetur. Est autem hujus, si legitimus, justus ac moderatus fuerit, ita ut ex ejus usu, exolutio virium non sentiatur, nec sequatur ulla ad prosperam valetudinem magna vis, & efficacia. Contrà, si immoderatus fuerit concubitus, multorum malorum occasio erit. Rectè itaque & uti decet usurpata venus, plenitudinem exhaurit, corpus agile, auctum, & virile magis efficit. Durum corporis habitū emendat. Emollit enim instrumenta, meatus dilatat, atque à pituita expurgat. Quod ad animum attinet, mentis ac rationis vim implicatam & impeditam explicat, ac solvit, ingentes iras & furorem remittit & mitigat.

Proinde melancholicis, si quid aliud præsidium opitulatur, alioq; modo insanientibus sensuum integritatem, modestiam, ac sapientiam restituit. Convenit etiam tristibus, & iis, qui hominum consortia ac conversationes oderunt: quos quidem μισανθρώπους Græci vocant. Morbis deniq; à pituita ortis, magna efficacia succurrit, quod Hippocrates in Epidemiis, iis confirmat verbis: Venus morbis è pituita prognatis utilis est. Aristoteles sect. 1. problem. 15. rationē ejus rei hanc affert, quòd fervor coëundi calefaciat, & exiccet, multumque pituitæ detrahat. Quin & cibi, (præter ea, quæ dicta sunt,) appetentiam excitat, & ejus cupiditatem recuperat. A crebris deniq; rei venereæ imaginationibus, insomniisq; parum pudicis, liberat. Veneris igitur opportunæ & moderatæ tot tantaque sunt commoda, Aëtio lib. 3. cap. 8. & Paulo libr. 1. cap. 35. testibus. Accedit, quòd nisi congressu licito, moderatoq; semen excernatur, Galen. lib. 6. de Laborant. locis teste, multa & gravia mala & incommoda homines incurrant, quę apud illum legant studiosi. Vt autem jam dictæ veneris multa sunt commoda, ita vicissim immoderatæ veneris non pauciora sunt incommoda. Nam immodicus, & assiduus, ac intēpestivus usus Venereus oculis plurimùm nocet, omnibusq; sensuum instrumentis, capiti, nervis, thoraci, renibus, lumbis, coxis, pedibus deniq; & artubus, præsertim si debiles fuerint. Omne namq; hominis robur, per immodicum concubitum debilitatur. Calorem quoque innatum extinguit, senectutemq; & mortem accelerat sæpissimè, naturis præsertim valetudinariis. Hincq; adeò fit, ut ii, qui nimium veneri student, libidinique immodicè indulgent, & malè concoquant, & pallidi fiant, & neq; visu, neque auditu, nec ullo prorsus sensu quicquam satis integrè percipiant. Obliviosi pręterea sunt, tremuli, articulorumq; doloribus, coxendicum maximè, renum & vesicæ vitiis laborant. Porrò ex anni temporibus veneri aptissimū, Ver existit. Aestate autem & Autumno, minus

μισάνθρωποι

6. Epidem. sect. 5. Aphor. 23.

Veneris usu pituita detrahitur, & exiccatur corpus.

Veneris immoderatæ incommoda.

Tempus veneri aptum.

minus est utilis venus. Tolerabilior tamen per autumnum. Aestate enim, si fieri potest, (Celso astipulante) in totum abstinendū est, ne æstu jam alias debilitatum corpus, & sudoribus, & multis transpirationibus imminutum solutumque, concubitu frangatur, planè rarefiat, magisque exhauriatur. Sed neq; hyems propter immodicum frigus cōveniens est veneri tempus: Minus tamen quàm Aestate & Autumno hoc ipso concubitu, præsertim mediocri, uti nocet. Hora verò ad concubitum, Galeno cap. 86. Artis medicę teste, optima est, quum in excessuum mediocritate corpus fuerit constitutum, ubi scilicet neque plenum, neque vacuum extiterit, neque in calore, aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excessus, in corpore ullus adfuerit. Ideoq; in venerem congressurus vitare debet recentes satietates, ac cruditates, ebrietatem, famem, fatigationem, vomitum, purgationem, & id genus alia, corporis robur dissolventia. Optimum autem de Pauli & Aëtii sententia est congredi cum uxore, à cibo, & ante somnum, quoniam ad robur sic conducit, & quia frigiditas, quæ evenire solita est, minus accidit, & quia mulier conceptū semen, subsequente quiete, ac somno, meliùs retinet. Hi igitur noxę, quam adferre coitus solet, prospicere voluerunt. Minor namque, si quis à cibo concumbat, & ante somnum, moxq; se quieti & somno det, virium resolutio sequitur. Hippocrat. lib. 6. Epidem. sect. 6. Aphor. 5. & Galenus loco paulò antè citato, ac lib. 2. de Sanitate tuenda, cap. 1. concocto jam cibo, post somnum, venerem exercendam esse docent. Hippocrates namque inquit: Labor, cibus, potio, somnus, venus, omnia mediocria. Galęnus verò mox subjicit: Nam & modum ipsum singulorum definivit, addito ad finem dictionis epitheto mediocria, & tempus æquè signavit ipso sermonis ordine. Quippe sanitatis tutela à labore auspicanda, quem excipere debent cibus, potio, deinde somnus, mox venus. Præstat igitur non à cibo statim, & ante somnum,

Est Vernum & Autumnale.

Hora concubitus idonea quæ & qualis.

Pauli & Aetii hac de re sententia.

Hippocratis & Galeni opinio.

ſed cibo jam confecto, ac jam ferè ſub auroram venere uti, ita interim ut mox nos iterũ ſomno & quieti demus. Cæterùm venus non omnib. ex æquo convenit. Inutilis enim ſenibus, ac omnibus frigidis, juſtamque ætatem nondum adeptis. Deinde æſtate & autumno, parcè ac ſobriè admodum viventibus, vel nunquam, vel raro antè coitum expertis. Nullis tamen æquè atque iis, qui exucco ſunt corpore, exitialis, præſertim æſtivo tẽpore. Tutiſſima verò eſt temporibus & naturis calidis ſimul & humidis, & in primis, ut dictum eſt, Vere, ac juventute corpori vegeto ſucculento.

Quibus venus conveniat, & quibus non.

DE EXCREATIONIBVS. Cap. XXXIV.

Excreationum cõmoda.

EXcreatione vacuantur, quæ à capite in fauces deſtillant, & quæ in thorace redundant excrementa. In iis autem vacuandis diligenter medico, quæ ſit eorundem conſiſtentia, quis color, & quæ quantitas conſiderandum erit? Si enim admodum tenuia fuerint, expelli per excreationem atque tuſſim facilè, quòd à ſpiritus impetu diviſa, retrofluãt, haud poſſunt: Sin lenta & tenacia fuerint, adeò ut violẽter inhæreant pari ratione, quòd avelli ab iis, quibus adhærent, nequeant, penè, excreationi reſiſtunt. Quapropter ſi ea, quæ à capite in fauces deſtillãt, juſtò tenuiora & aquea fuerint, excreari, & per tuſſim educi nequeunt, niſi aliqua ex parte per naturam partim, partim medici opera incraſſentur. non autem temerè adjectum eſt, Aliqua ex parte. Quia non ſupra modum ſunt incraſſanda, ſed conſiſtentia ſua mediocria eſſe oportet eadem. Vt hinc conſtet, quæ hac ratione craſſa ſunt, revera eſſe conſiſtentia mediocria, quòd media ſint inter ea, quæ admodum tenuia, aut ſupra modum craſſa ſunt. Quo ſanè modo, Hippocrates in Aphoriſmis urinam craſſam ſæpenu-

penumerò appellat eam, quæ mediocris est consistētię, comparatā nēpe cum summè tenui lotio. Quæ autem in thorace continentur lenta & crassa, adeò ut moventis, aëris ac spiritus expellentis impetu, pelli non possint, ea à medico medicamentis, quibus extenuandi & incidendi facultas inest, attenuanda & incidenda veniunt. Proinde ad hanc vacuandi speciem Avicennæ præceptio, qua iubet tenues humores esse incrassandos, & crassos extenuandos, referri commodissimè potest, minimè autem ad eam, quæ per purgantia medicamenta efficitur, ut cap. 19. huius libri quoque dictum est. *Avicennæ præceptum de præparatoria humorū concoctione.*

DE SOMNO VACVANTE. Cap. XXXV.

Qvùm à veteribus medicis inter vacuantia præsidia etiam somnus numeretur, operæprecium nos facturos existimavimus, si hoc loco, de quo somno idipsum accipiendum, verumq; esset explicaremus. Neq; enim quivis somnus, nec quocunque tempore factus, sed is principiò, qui famescente iam corpore, ipsaque inedia, vacuare potest. *A fame admissus somnus vacuat.* Siquidem nativus calor per somnum interiora corporis petens, quùm non inveniat cibū quem conficiat, utilem solidarum partium corporis humiditatem, absumit, adeoq; corpus ipsum necessariò siccat, extenuat, vacuat. Id quod Hippocrat. lib. 2. de Victus ratione, iis confirmat verbis: Somni, inquit, ieiunum vacuumque corpus magè attenuant, & refrigerant, humidū quidqd inest vacuantes. Qui verò plus calefaciunt, carnem colliquant, & corpus diffundentes exolvunt, ac imbecillum reddunt. Saturum autem calefacientes humectant, & alimentum in universum corpus diffundūt. Hæc ille: Dein vacuat & is somnus, qui ab exercitiis magnis, præsertim & matutinis deambulationibus fit, eadē planè ratione, qua in famescētibus, prę sertim ubi multus fuerit. Vacuant enim cor- *Ab exercitiis factus somnus vacuat itidem.*

pus exercitia, ideoque nativus calor, per somnum interiora petens, quod concoquat & conficiat, haùd inveniens, in solidas corporis partes grassatur, easq; depascens, corpus attenuat, & tabefacit. Quod idem etiam Hippocrates in Epidemiis iis verbis innuere voluit: Somnus, inquiens, multus, immodicè vacuatum corpus exiccat. Et in lib. 2. de Victus ratione, ubi ait: A matutinis deambulationibus somnus omniū maximè siccat. Prætereà somnus à balneo vacuat. Quippe balneum suo calore cutem laxat, & quæ sub hac contenta sunt, vacuat: ideoq; revocato per somnum statim subsequentem calore nativo, ad corporis interiora, ea quæ illic sunt, is ipse absumit, & dissipat. Quid multa? somnus corpus nostrum immodicè vacuatum, sive id factum sit medicamentis, sive inedia, sive exercitiis, sive balneis, exiccat, & attenuat magis. Quare obesis ea ratione admissus ex usu est, minimè verò exhaustis, emaciatis, aut gracilibus. Hinc est, quòd Galenus libri decimiquarti Therap. method. capite 15. ubi ex professo obesorum curationem tradit, cibum illis non statim à balneo, sed interposito somno exhibendum esse doceat. Id quod etiam facit lib. 6. de Tuenda sanitate, ubi eandem rem pertractat, ut non sit necesse pluribus, quod dicimus, demonstrare.

6. Epid. sect. 5. Aphor. 31.

Somnus à balneo vacuat.

Vacuata à quacunq; demum causa corpora nostra somnus exinanit magis.

Cap. 7.

DE INSENSILI PERSPIRAtione. Cap. XXXVI.

E Genere vacuationum est insensilis perspiratio Latinis nominata, Græcis simpliciter διαπνοή, vel cum adiectione ἄδηλος διαπνοή. Hanc interpretes aliquot Latini transpirationem simpliciter quoque, vel cum additione latentem, & insensilem transpirationem convertunt. Hæc verò, ut cap. 7. libri de Differentiis morborum testis est Galenus, non est nisi aëris per totum corpus introitus, & exitus. Fit autem

διαπνοή. ἀναίσθητος.

Transpiratio quid quo modo vocitetur?

autem hæc propriè ex naturæ, nunquam quiescentis potẽtia. Nã quæ medicamentis fit, Græcis διαφόρησις, Latinis interpretibus nõnullis, digestio, ab aliis evaporatio & discussio appellatur. Siquidem διαφορεῖν Græcis, & Latinis digerere, aut rectius discutere, non est nisi σκεδάζειν, hoc est, dispergere, idq; per medicamenta calida & exiccantia, quæ humores in aliqua corporis parte præter naturam accumulatos citrà suppurationem solvunt, discutiunt, ac dissipant. Proinde digestio aut evaporatio nihil aliud est, quàm humorum partem aliquam præter naturam obsidẽtium, vi medicamentorum per insensiles corporis meatus facta evaporatio, aut dissipatio discussioq;. Quæ idipsum præstare possunt, Græcis nominantur διαφορητικά, Latinis discussoria, digerentia, dissipãtia, & evaporantia, quòd illis discutiendi, digerendi, & per insensiles corporis meatus, humores dissipãdi facultas insit maxima. Quapropter Cælius Rhodiginus, vir alioqui doctissimus, & de bonis studiis optimè meritus, maiorem in modum errat, quùm lib. Antiquarum lectionum 14. cap. 61. διαφορητικά medicamenta ea, quę alvum levigant subducuntq;, esse scribit. Cæterùm ut aliorum localium medicamentorũ nullum plethorico seu pleno existẽte corpore adhiberi debet, ita etiam nullus discutientium medicamentorum tali in corpore usus esse debet. Nam Galeno cap. 95. artis medicę teste, si calefaciẽtibus pharmacis, corpore plethorico existente dispergere tentabimus, plus erit id quod vi caloris ad partem attrahetur, quàm quod dispergetur, ac discutietur.

διαφόρησις. *διαφορεῖν.* *Digestio quid.* *διαφορητικά* *Cælij erratũ.* *De medicamentis diaphoreticis.* *Topica nulla conveniunt in plenitudine.*

DE INEDIA. Cap. XXXVII.

INterea, quæ corpus nostrum tàm sanum, quàm ægrum vacuant, inedia à veteribus recensetur rectissimè. Non certè quòd primo & per se vacuet, sed ex accidente quia exinanit. Siquidem nullo, in eius locum, quod fuit vacuatum, accedẽte alimento,

Inedia ex accidente vacuat.

fit ut inedia vacuet, quemadmodum fusiùs sect. 2. Aphoris. Comment. 17. & sect. 4. Comment. 2. docet Galenus. Inediæ autem duplex genus existit. Vna, qua nihil prorsus cibi aut potionis assumitur, quam privatim, certioris discriminis gratia, Græci ἔνδειαν καὶ ἀτροφίαν, Latini inediam indigentiamq; vocant. Altera, in qua non nisi id, quod convenit, & ad virtutis conservationem satis est, ingeritur, quam propriè abstinentiam dixeris. Vt in universum inedia non sit, nisi aut ex cibi potusq; defectu oborta esuritio, aut spontè suoq; arbitratu suscepta abstinentia. Hippocrates uno nomine utramq;, nimirum λιμόν, hoc est, famem appellavit. Est autem utriusq; non contemnenda utilitas. Nihil enim est, quod tùm sanos, tùm ægros magis iuvet, quàm tempestiva inedia & abstinentia. Sani namque non facilè morbos incurrunt, si abstinentia victúve tenui, commodè utantur. Quod Hippocrates, ut omnia alia, breviter & concinnè admodum in Epidemiis iis innuere quoq; verbis voluit: Sanitatis studium est, non satiari cibis, & ad labores esse impigrum. Plinius etiam lib. 18. cap. 5. longè utilissimam esse ad sanitatis conservationem in cibis temperantiam, scriptum reliquit. Vt autem tempestiva abstinentia, summas in secunda valetudine partes sibi vendicat, ita quoq; in adversa plurimùm momenti obtinet. Sanat enim plenitudinem, nimium obesos, pituitosos, vitiaq; ex pituita nata, apoplexiā, epilepsiam, commata, vertigines, cruditates, & id genus alia multa profligat mala. Sed & ipsa nonnunquā plurimùm incommodat. Incautè enim & stultè si adhibeatur, ventriculum pessimis humoribus, Galeno etiam lib. 3. de Naturalibus facultatibus suffragante, biliosis ac serosis succis implet, fastidia creat, & nauseas ventriculi robur dissolvit, & labefactat, appetentiam eripit, & deniq; atrocibus morbis totum corpus obnoxium reddit. Siquidem biliosis & siccis corporibus animi defectiones, syncopas, tabem, & marasmum,

Inediæ genus duplex est.

Indigentia.

Abstinētia.

2. Aphor. 16.

Famis commoda incommoda.

6. Epidem. sectio. 4. Aphor. 20.

Abstinētiæ incautè adhibitæ incommoda ingentia.

mum, tabemq; conciliat. Sicut non minus gravia abstinentiæ, quàm intemperantiæ sordidæ incommoda existant. Quapropter medicus in præcipienda inedia prudens, ac cautus sit oportet atq; diligenter, qui hanc ferre, & qui minus possint, consideret. Nam exiguo sanguine præditi, sani etiamsi sint, diuturnā inediam ferre haud possunt, quemadmodum libri secundi de Temperamentis cap. 5. Galenus testatur, ubi ita scriptum reliquit: Qui angustas venas habēt, exigui sunt sanguinis, nec longam inediam ferunt. Quibus latæ, iis copia sanguinis est maxima, & citrà noxam cibo abstinent. Est præterea in præscribenda inedia, ætatum habenda ratio. Nam, ut Hippocrates attestatur, qui in prima senectutis parte constituti sunt, facillimè inediam ferunt: secundo loco, qui consistunt ætate: nullatenus adolescentes: omnium verò minimè pueruli, præsertim, qui inter ipsos fuerint alacriores vegetioresq;. Qui verò in extrema senectutis parte constituti sunt, inediam ac famem tolerare nequeunt, ideoq; crebrò, paucis tamen cibis, sunt reficiendi. Inediam præterea non ferunt, (ut comprehensum est,) biliosi, & qui calorem ad igneā naturam propensiorem habent. In iis enim febres accendit, succosq; biliosiores ac amarulentiores reddit, frequentes item cordis, stomachive morsus, inquietudinem, omnia denique corporis excrementa acriora malignioraq; efficit & exagitat. Contrà inediam facilè tolerant, qui crudis humoribus referti sunt, quòd ex iis, ubi concoquuntur, corpus ali possit. Cùm enim pituitosi succi sint veluti ex dimidio cocti, parum alterati, & in sanguinem transmutati, corpus nutrire possunt. Cæterùm inedia non imperanda nisi iis, qui valentibus sunt viribus. Vires enim invalidæ, inedia adhibita, prorsus deijciuntur & perfundantur. Vt iam Sole clarius sit, inediam tempestivè, & iis, quibus convenit, adhibitam, mirificè conferre. Contrà plurimum incommodare, si intempestiva fuerit, & iis, quibus non confert, imperata.

Qui inediā ferre haud possunt hic attendendū ad corporis habitum.

1. Aphor. 13. 2. ætates.

3. Naturas & temperamenta.

Qui inediam tolerant facilè. Sunt phlegmatici.

QVID GENERATIM IN VAcuationibus sit medico considerandum. Cap. XXXIIX.

Coronis doctrinæ de vacuationibus.

HActenùs particulatim de singulis vacuationũ generibus, (prout instituti nostri ratio tulit,) disseruimus fuse. Nunc quæ generatim in vacuationibus singulis medico sint consideranda, breviter exponemus, & unà sermoni quem de vacuationibus instituim⁹, finem imponemus. Initiò autem medico accurata diligentia expendendum venit, tàm in sanis quàm in ægris, utrum vacuatione opus sit, an non? Siquidem sunt affectus corporis complures, qui, quòd ex defectu nati sunt & inanitione, adiectionem potius quàm detractionem, quæ per vacuantia fit præsidia, postulant. Verbi gratia, si gracile admodum fuerit corpus, aut atrophia laboraverit, nutrimentis potiùs reficiendum erit, quàm vacuationibus exhauriendum. Quòd si sanum etiam corpus sit eiusmodi, ut eius substantia facilè discutiatur, quale est infantium & puerorum, minimè vacuationibus est divexandum, presertim vehementioribus, sed potius humorum generationi studendum. Non rarò accidit, ut humor aliquis bonus vacuetur: tum constringendum sanè, non vacuandum erit. Quæ singula Hippoc. suo more, brevissimè in Epidemiis iis verbis etiam edocuit: Dilatare constringere oportet hęc quidem, illa verò non; humores hos quidem expellere, illos verò siccare, alios generare, huic quidẽ, illi verò non. Contrà sunt alii corporis affectus è plenitudine aut vitiosorum humorum redundantia orti, in quibus certè vacuantibus remediis, medico sine morâ utendum erit, modò nihil illius conatibus obstet. Non solùm verò medicum vacuare oportet, sed sæpenumerò naturam, suâ sponte vacuantem noxia, ille iuvare debet. Naturam verò in vacuandis noxiis esse

Num vacuatione sit utendum medicus consideret.

Ex defectu pronati affectus non requirunt vacuationem.

1. Ep. sect. 2. Aphor. 1.

Natura in vacuãdis noxiis iuvãda.

esse adiuvãdam, Hippocrates etiam loco iam ostenso docet, ita scribens: Alium humorem non exeuntem educere convenit, exeuntem verò simul effundere, & simile operari oportet medicum, quod ipsa facit, & molitur natura. Cæterùm, si vacuatione opus esse medicus cognoverit, magno studio, quo vacuationis genere sibi utendum sit, & ex qua corporis parte sit vacuandum, item, quale, quantùm, & quo tempore vacuare debeat, dispiciat oportet. Quæ cùm singula in curandis morbis plurimùm momenti habeant, Hippocrates quoque, qui nullum præceptum medico ad curandos morbos utile & necessarium silentio transivit, brevissima admodum sententia complecti voluit, dum in Epidemiis ita inquit: Meatus apertos esse convenit, veluti nares, & alia, ,, quæ oportet, & ut oportet, & qualia, & qua parte, & ,, quando, & quantum oportet, veluti sudores, ac alia ,, sanè omnia. Cuius quidem sententiæ uberiorem e- ,, narrationem, & huic instituto convenientem, ex nostris in hunc Hipp. librum editis commentariis studiosi petent. Nam in præsentia hæc de vacuatione dixisse satis sit. Porrò ut hoc adjiciamus, posset quispiam ad redundantiam & inanitionem universam medicinam referre, ut quæ, de Hippocratis sententia, non sit, nisi adiectio & detractio.

Aphor. 2. — *Quo vacuationis genere sit utendum medico.* — *Hippocratica therapeutice perfectissima.* — *6. Epid. sect.* — *Ad redundantiam & inanitionem tota referri potest medicina.*

DE ANIMI PERTVRBATIONIBUS.

SECTIO VI.



QVAS, nos, Ciceronem secuti, perturbationes animi vocamus, Galen. & alii Græci πάθη ϗ παθήματα simpliciter, & cũ adiectione παθήματα τῆς ψυχῆς ἀλόγου nominant. Interpretes aliquot Galeni, affectus animi appellant. Non sunt autem nisi tur-

Perturbationes animi. — *παθήματα.*

bidi cōcitatiq;, & aversi à rectâ ratione, vel rationi nō obtēperantes, animorū motus. Diligēter verò animi irrationalis perturbationes, & cōmotiones, medico sunt considerādæ, quòd sc. earundē magna vis sit, ꝓpterea quòd corpus alterent, Gal. c. 85. Artis medicæ teste, & à naturali statu evertāt, quin imò multoties enecent. Nihil aūt mirū, easdē, corpora nostra insigniter adeò alterare posse, cùm in iis omnib. insignes nativi caloris ab anima motiones fiāt. Per timorē namq; spiritus & sanguis intrò & ad scatebrā suā reducitur contrahiturq; : quo fit, ut partes algeāt, corpusq; pallescat, tremor incidat, vox interrumpatur, & vires deniq; omnes convellātur. Contrà, in irâ cōcitatior est caloris motus, qui in extimas tādem partes, cum impetu effunditur. Ira itaq; intēdit, & fundit calorē nativū. Atq; hinc est, quòd in irā corpora fiant rubicūdiora, cōcitatiora, calentiora, confidentiora, & ad omne patrandū facinus, promptissima & audacissima. Rectissimè igitur Arist. & Galen. lib. 2. de Tuen. sanit. & cap. 1. de Morborum causis, iram caloris, qui circa cor est, fervorē esse dixerūt: veluti contrà, timorē, ob subitam revocationē, metu impendentis mali factā, caloris extinctionē. Hinc est, quòd iratis, cordis & arteriarū pulsus sint maximi, ac validissimi, contrà verò in timentibus, minimi, & perquàm debiles. Quēadmodū verò in horū altero refugit, in altero se ad exteriora, pādit calor: sic certè in verecūdia utrumq; patitur: ita ut modò ad interna cōfugiat, modò sese foràs diffundat. In primo n. verecūdiæ principio ad interiora caloris motio fit, sed rursus affatim, ad exteriora cedit. Quòd si nō redierit, iā non verecūdia, sed timor cēseri debet. Quippe verecundia derepentè fit, animali facultate nihil mali sperāte: unde fit, ut recedat dūtaxat ad interiora, veluti subterfugiēs : idq; citrà refrigerationē, excitāte impellenteq; ratione patibilē animę partem. Redit v. ferturq; foràs, eo maximè motionis modo, quo calor revocatur iis, qui frigidâ aquâ se laverūt. Hincq; adeò fit, ut verecūdia suffusis, etiāsi maximè pallēt, repentè admodū genę rubescāt: ꝙ cer-

Perturbationum animi magna vis.

Timor.

Ira.

Irá quid.

Timor quid.

Verecundia.

ꝙ certare secũ calor videatur, & secũ ipse, contrario motu collidi. Quod autem in timore cõfertim, id in mœstitia paulatim patiuntur homines, magnitudine duntaxat & vehemẽtia, nõ toto genere differentibus pathematis, tanto sanè intervallo, quanto qđ citatiùs est, & confertiùs, ab eo quod remissiùs & lentiùs fit distare creditur. Quocircà ob timorẽ & immensum mœrorẽ nõnulli sublati sunt, quòd sc. debilis, suapte natura, animula, sub valido affectu oppressa, confertim extincta & suffocata sit. Extincta quidẽ, ob perturbationis, quæ à refrigeratione oritur, naturã: suffocata autẽ, eò quòd universus sanguis ad principiũ suum impetuose confluxit delatusq; est. Hac ratione Plinius Pub. Rutilium, nunciata fratris in consulatus petitione, repulsa, ilicò exspirasse memoriæ prodidit Idem M. Lepidum, uxoris charitate, adeoq; mœrore nimio post repudium, mortem obiisse tradit. Heli quoq;, Iudæorum pontifex, ac iudex, (ut sacræ testantur literæ,) accepto tristi nuncio de clade, quã Palestini hostes capta arca, occisisque ipsius filiis, Iudaicum exercitum affecerant & oppugnarunt penè, magno subitoq; mœrore oppressus, quùm à regio solio supinus caderet, effracta cervice statim periit. Nihil verò tale, in mitiori mœstitia accidisse legimus, utpotè in qua lentius magè, ac mitior caloris motus est. Neque etiam in ira, ut per quam neq; refrigeratione calor extinguatur, plus æquo, nimirùm accensus; neque animæ dissolvatur robur. Præ gaudio verò multos pusillanimes expirasse, variis authorum monumẽtis proditum iampridem. Non enim perinde atq; in ira, cum valido fervore, ad exteriora fertur animata facultas: quin è contrario, quod anteà ei fuit roboris, id immoderatiori in gaudio exolvitur, laxaturque. Quũ enim nimiò gaudio laxata exteriora petit calor, discutitur, atq; dissipatur. Hoc modo Polycritam, nobilem è Naxo insula fœminam, extinctam esse refert Aristoteles. Nam quum ob eximiam formam prudentiamque, Diognito atque Ericthonio persuasisset, ut Naxi obsidionem solverent, ab exercitu

Mœstitia.

Mortui præ mœrore vehementi & repentino.

Lib. 7. c. 36.
Pub. Rutil.
M. Lepidus.
Heli.

Præ gaudio mortui.

Polycrita nobilis mulier.

in urbem reversas, ubi publico honore atq; omnium lætitiâ exciperetur, patriæq; liberatrix appellaretur, ac urbis partem ingrederetur, repentè mortua concidit. Philippides quoque Comœdiarum scriptor haud ignobilis, quum in certamine Poëtarum præter spem vicisset, & lætissimè gauderet, præ gaudio subitò mortuus est. Diagoras etiam Rhodius, ut refert, Gellius, qui tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem, eosque omnes, eodem Olympię die vincere & coronari vidit: quumque eum tres filii amplexi, coronis suis in patris caput positis blandirentur, & quùm populus gratulabundus, flores undique in eum iaceret, ibi in stadio inspectante populo, in oculis atq; manibus filiorum animam efflavit. Plinius insuper Chilonem, Lacedæmonium illum Philosophum, insignibus sapientiæ titulis, non intermoriturâ famâ nobilitatum, dum victorem in Olympiâ filium conspexisset, præ gaudio è vita decessisse scribit. Idem Sophoclem, & seniorem Dionysium Siciliæ tyrannum, qui magnâ felicitate potitus, modestè semper anteà fortunam tulerat, accepto nuncio de victoria inter tragœdos parta, gaudii exuberantia, obiisse testatur. Valerius denique Maximus, de mortibus non vulgaribus, præ gaudio mortuas esse geminas mulieres, scribit; quarum una nunciata clade, quæ ad Trasimenum lacum inciderat, sospiti filio, ad ipsam portam facta obvia, complexu eius expiravit. Altera, quùm mœsta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis filii confestim exanimata est. Pudore etiam nonnullos esse extinctos, literis mandatum est. Plinius namque loco paulò antè citato, Diodorum quendam Dialecticæ sapientiæ professorem, quòd lusoriam quæstionem, à Stilbone sibi propositam non protinùs dissolvere potuerat, mortuum esse testatur. Valerius quoque eodem, quo anteà loco, Homerum, quia quæstionem à piscatoribus propositam, solvere haud potuit, pudore enecatum, & consumptum

Philippides. *Diagoras Rhodius* *Lib.8.c.15.* *Lib.2.c.52.* *Chilo Lacedæmonius.* *Sophocles.* *Valerius Maximus l.9.c.12.* *Pudore mortui.* *Diodorus Dialecticus.*

ſumptum ſenſim tradit. Ex iis itaque quæ commemoravimus, repentinis, animi & nativi caloris motionibus ſæpenumerò vitam auferri, diſſolutis utiq;, quæ in nativo calore conſiſtunt, animæ viribus, iiſdemque nimia refrigeratione extinctis, perſpicuum fit omnibus. Proinde, cùm tanta ſit perturbationum animi vis, debent à medico, quibuſcunq; artibus poſſunt, arceri ac corrigi. Cæterùm ſunt medico animi perturbationes, ideo diligenter conſiderandæ, quòd non rarò ex eis futuros prædicere, aut iam præſentes cognoſcere morbos liceat. Si enim metus & mœſtitia, Hippoc. authore, longo tempore perſeverent, melancholiam ſignificant. Et in Epidem. ita ſcriptũ reliquit: Animi perturbationes perpendendæ, num ſcilicet ipſe æger ſponte ſuâ, & ſine cauſis triſtetur, lætetur, timeat, confidat, ſperet, deſperetque. Quorum quidem longiorem explicationem è noſtris cõmentariis ſtudioſi petent. Atq; hactenùs de Animi perturbationibus ſat nos dixiſſe arbitror, ad p. n. rerum tractationem tandem accedamus iam.

Animi perturbationũ regimen.

Animi pathemata præſentium, & futurorum morborum ſunt indices.

6. Epidem. ſect. 8. Aphor. 18.

G





INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER III.

DE REBVS PRÆTER NATVRAM SECTIO I.

DE TRIBVS AFFECTIbus præter naturam.

Cap. I.

Res præter naturã quid sint.



IN eo, qui hunc præcedit, libro, de iis rebus, quæ corpus nostrum alterare possunt, egimus. In hoc tertio, de iis, quæ corpori nostro adversantur, & naturam eiusdem omni ex parte destruunt, ac naturæ fines excedunt, naturalemq; corporis statum labefactant, ac perdũt, atq; ob id res præter naturam dicuntur, disseremus. Galenus quidem lib. 2. Ther. meth. cap 3. & cap. 1. libri de Symptomatum causis, affectus præter naturam nominare voluit, vocabulo affectus propriè, pro omni, in id, quod præter naturam est, mutatione accepto. Quod non abs re à nobis adjicitur, quùm affectus vox multa significet, adeoq; variè ab authoribus usurpetur. Principio enim affect⁹, qui Græcis *διάθεσις* appellatur, generatim accipitur pro omni eo, à quo corpus nostrum quomodolibet afficitur. Qua quidẽ ratione affectus ad omnes tùm sanos, tùm ægros, tùm neutros pertinet. Nã quicquid est, id affici quodam modo dicitur, si modò quidpiam, ab altero patiatur.

Affectus trifariam sumitur.

Affectus vox quot modis sumitur.

Generatim.

Διάθεσις.

tiatur.

ſtatur. Atq; ita nomē διάθεσις, id eſt, affectus, à verbo διατίθεσθαι ἢ διακεῖσθαι, hoc eſt, affici, quodammodo derivatur: quod ſimiliter atque affectus, de multis dicitur rebus, nempe ſanis, ægris, neutris, quinimò ſubſtantiis etiam inanimis, cantu nimirum, harmonia, & oratione. Afficiuntur enim ſecundùm naturam ſani, præter naturam ægri. Afficitur etiam corpus ſenum & imbecillum, quod tamen reverà neutrum exiſtit, utpote neutrius extremorum particeps, adeoque ſaluberrimi & inſaluberrimi corporis exquiſite medium. Affectus ſunt cantus quoque, harmonia, & oratio. Siquidem illis miris modis mortales afficiuntur. De cantu nihil attinet dicere, ut quem afficere homines nemo unquam negavit, & quotidiana idipſum confirmat experientia. Harmonias, Phrygiam furorem & pugnas excitare: Lydiam, lamentationem: Doriam, honeſtatem: Ionicam, iucunditatē, teſtimoniis autorum abundè cōprobatum eſt. Oratio quid poſſit, quantumq; animos hominū afficiat, oratorum, Ciceronis maximè, ſatis comprobant orationes, & hiſtoriæ multifariam teſtantur. Deinde affectus magis contractè, ſumitur pro omni in id, quod præter naturam eſt, mutatione. Qua quidem ratione tres ſunt in univerſum corporis noſtri affectus præter naturam, cauſa, morbus, & ſymptoma. Singula enim horum fiunt, dum in corpore noſtro mutationes eveniunt præter naturam, adeoque illud etiam præter naturam afficiunt. Cauſæ morbidæ exemplū eſt plenitudo, vel corruptela & cacochymia. Morbi, phlegmone, ulcus. Symptomatis, malus color. Tertio loco propriè, ſic enim maioris perſpicuitatis ac doctrinæ gratia loquimur, affectus accipitur pro eo, quod factum eſt, ac permanet in re aliqua, quæ patitur, poſtquam alterans cauſa quievit, & iam ſublata eſt. Qua in ſignificatione crebrò à Galeno uſurpatur, ut videre licet capite ſecundo, libri de Symptomatum differentiis. Et tum διάθεσις ſive affectus idem atque κατασκευή, hoc

Afficiuntur etiam homines cantu, harmonia, oratione.

Harmoniæ quatuor genera.

Contractè ſumpta διάθεσις quid notet.

Affectus p.n. propriè ſic dicti ſunt tres.

Propriè accepta διάθεσις.

est, quod constitutio, significat, atque ad ea tantùm transfertur, quæ ex permanentium constantiumque numero sunt. Ex iis perspicuum esse omnibus puto, affectum propriè acceptũ, Galeno esse quicquid factum est in parte; postquam alterans iam causa quievit, & agere desiit, nihil autem interest, sive idipsum quod iam factum est, qualitas sit, an substantia. Quapropter Galen. aliter ac Aristot. διάθεσιν vocem usurpat. Hic enim pro qualitate tantùm, quæ facilè subiecto dimovetur, διάθεσιν accipit: Galenus verò pro cõstitutione, seu pro re permanente, firma, ac stabili, aut permanentem habente essentiam usurpat. Differt itaq; affectus ab eo quòd Græcis πάθος vel πάθημα speciatim dicitur. Nam pathos, Platone etiam in Timæo astipulante, est motus rei, quæ afficitur & patitur, vel omnis alteratio circa materiam: aut motus, qui adhuc fit. Proinde pathos non habet essentiam suam, nisi dum convertitur, alteratur, mutatur & movetur. Igitur pathos est in motione, affectus autem est permanens: illud fluxum, mobile, imperfectum, ac veluti via est ad affectum: hoc fixum, stabile, perfectum, & illius finis. Differt itaq; pathos ab affectu, tanquam finis, à medio, tanquam mobile ac temporarium ab eo, quod stabile est ac permanens, tanquã perfectum ab imperfecto. Vt hinc perspicuum evadat, pathos sive pathema propriè loquendo non esse nisi id, quod alii morbum fientem nominant. Cùm enim is non sit, nisi qui adhuc fit, suamque in fieri essentiam habeat, à pathemate nihil differat, necesse est, quòd scilicet sit alteratio sive motus, adhuc fiens, ut alibi fusiùs monstravimus. Atque hic sanè est harum duarum vocum, pathematis nimirum, & affectus, legitimus usus, quem nisi in legendis Galeni libris, præsertim iis, quos de Laborantibus locis inscripsit, diligenter quispiam observet, multis se difficultatibus involvat necesse est. Quòd si igitur ad eum modum iis utaris vocibus, intelliges sanitatem,

Διαθέσεως acceptio Aristotel.

Pathos quid speciatim.

Pathos & morbus fiens idem.

Cap. 1. libri de Sympt. differ.

Causa morb. sanitas quid?

tatem, morbum, & causas internas, quæ non sunt motus, esse propriè dictos affectus. Sanitatem quidem secundùm naturam, morbum autem & huius causam internam p. n. Sanitas enim est affectus, qui actiones incolumes cōservat, & tuetur. Morbus contrà affectus, qui eas impedit ac lædit; primùm per se, & immediatè Causa, qui morbos præcedit. Nec temerè paulò antè dictum est. Causa interna: externæ enim non sunt affectus propriè sumpti, quòd in fieri essentiam suam habeant, & post morbi generationē à corpore rursus separentur, e.g. vulneratio, seu gladium vulnerans, pungens, secans, incidens. Hinc est, quòd Galen. lib. 2. Ther. meth. cap. 3. non omnes etiam caussas morbificas, ex permanentium & constātium numero esse, scriptum reliquerit; sed eas duntaxat, quæ affectus vel habitus sunt. Nam internæ quoq; causæ, non omnes affectus propriè dicti sunt: Siquidem motus expultricis facultatis, osculorum vasorum apertionem efficiens, causa quidem eiusdem est interna, minimè tamen affectus propriè sumptus, quòd scilicet ex constantium numero non sit. Vt verò non omnes causæ morbificæ affectus sunt, ita quoque non omnia symptomata. Quæ enim actionum offensæ sunt, pathemata, eò quòd essentiam suam in fieri obtineant, & alterationes adhuc fientes sint, non affectus dici possunt. Eodem modo, & immodicæ vel inanitiones, vel retentiones, pathemata, minimè autem affectus nominantur, quòd scilicet non sint ex constantium & permanentium numero, sed eorum, quæ essentiam suam habent, dum adhuc fiunt. Quæ verò symptomata, sublatis morbis, ceu effectricibus suis causis aliquantulum, adhuc durant, ut vitiosus in ictero color, affectus sunt & dicuntur. Cæterùm πάθος & πάθημα interdum generatim sumitur, pro omni eo, quod præter naturam in corporibus nostris generatur: ut libro primo Epidem. constitut. 1. Com. text. vigesimo tertio, author est Galenus. Sic morbus, & alii affe-

Sanitas. *Morbus.* *Causa.*

Non omnes internæ causæ affectus sunt.

Non omnia symptomata affectus sunt. *Pathemata essentiā habent in fieri positam.*

Pathos quid generatim.

ctus propriè etiam sumpti, Hippocrati & Galeno non raro pathemata vocantur: Hinc est, quòd in libro adversus Iulianum, phlegmonem, pathos appellare voluerit Galenus. In libro etiam de Laborantibus locis inscripto, sæpè pathematis vocabulum generatim usurpat. Quod monendum esse duximus propter imperitiores, ac parum in lectione veterum assuetos, qui hac distinctione rectè animadversa, è multis sese difficultatibus extricare possunt, cum promiscuè nunc hoc, nunc illo modo pathematis vocem veteribus usurpatam esse constet, ut dictum iam aliquoties. Pathematis autem generatim accepti duo esse genera, animadvertendum erit. Vnum, quum per se, & nullo alio interveniente, pars aliqua corporis patitur. Verbi gratia, si caput propter humores, in ipso contentos affligitur. Græci hoc ἰδιοπάθειαν, id est, proprium pathos appellant: aut πρωτοπάθειαν, hoc est, primarium pathos, sed minus propriè, vocant. Alterū, quùm alio interveniente pars aliqua patitur. ut si caput ægrotet, ꝓpter vapores, aut humores, vitiosos à vētriculo sursum transsumptos. Hoc Græci συμπάθειαν, id est, pathos per consensum nominant. Non abs re autem diximus, ἰδιοπάθειαν impropriè vocari etiam πρωτοπάθειαν. Nam propriè loquendo ἰδιοπάθεια opponitur τῇ συμπαθείᾳ, πρωτοπάθεια autem δευτεροπαθείᾳ, aut ὑστεροπαθείᾳ, ut lib. 1. de Laborantibus locis, cap. 2. Galenus testatur.

Pathema generatim acceptum duplex.

ἰδιοπάθεια.

συμπάθεια.

DE CAVSIS MORBORVM.

Cap. II.

HActenùs generatim de trib. affectibus præter naturam disseruimus. Nūc de singulis speciatim verba facturi, à causa morbifica exordiemur, de qua itidē generatim tractabimus. Cùm autē genera-

generatim causa sit, quidquid ad rei constitutionem quoquo modo aliquid confert, causa morbi rectè sic definiri potest: Causa morbi est, quæ quocunq; modo, aliquid ad morbi constitutionem confert. Nam hâc definitione tàm causa per se, quàm per accidens comprehenditur. Galenus cap. 1. libri de Symptomatum differentiis causam morbi ita definire voluit: Causa morbifica est, quæ suapte natura ei, qui fit, morbo, aliquam suæ generationis partem confert. Quæ sanè in idem cum priore recidit. Quippe quum inquit, Suapte natura, vel ut suis verbis utamur, ἐκ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως, nihil aliud significat, quàm quòd causa morbifica sit, quæ propriis insitisque viribus morbum efficit. Quocircà hæc ipsa definitio, perinde atque prior, non solùm per se, sed etiam ex accidente & secundario, ut ita loquar, morbū efficientem causam cōplectitur. Verbi gratia, aqua aluminosa causa est densitatis cutis, hæc verò febris: utraque igitur morbifica, hæc quidem per se & primò, illa verò ex accidente & secundario idipsum præstat. In eodem quoque loco, causam morbificam definit esse affectum præternaturam morbum præcedentem, eundemque efficientem. Quæ quidem cum prioribus in idem non recidit, quòd utrumque genus causæ jam dictæ in se haud complectatur, sed tantùm præcedentem, & immediatè efficientem. Cæterùm causa morbifica, seu morbum efficiens, aut à qua morbus efficitur. (Reliquas enim causas morborum materialiū &c. aliis nominib. exprimunt.) Galeno libro de Morborum causis, & prima Therap. method. & libro secundo, de Natura humana attestante, duplex est. Vna, quam προκαταρκτικὴν & προκατάρχοντα, Latini præincipientem, vulgus medicorum, primitivam appellant. Sic autem est vocata, Galeno lib. 2. de Natura humana teste, quòd præcedentes vocatæ causæ, ab eâ fiant, & originem trahant. Galen. lib. 1.

Causa quid generatim sic dicta.

Causa morbi.

Causa morbi per se, & per accidens.

Causa morbi gemina.

Primitiva quare iunioribus vocata fuerit?

Therap.meth & lib. de Morb. causis ἔξωθεν προσπίπτουσαν αἰτίαν, hoc est, extrinsecùs advenientem, nominat.lib.4. de Tuenda sanitate, μὴδ' ὅλως ἐνυπαρχούσαν, id est, eam, quæ omninò non inest, sed foris corpus subit, vocat. Recentiores externam nuncupant. Veteres Græci interdum etiam, ut infrà clariùs dicemus, πρόφασιν, id est, manifestā appellaverunt morbi occasionem. Extrinsecùs autem advenientem incidentémve, aut externam vocarūt hanc causam, nōn quòd perpetuò extrà corpus sit, sed quòd à rebus externis, hoc est, à substantia corporis nostri alienis, & diversis rebus objectis item sensibilibus manifestis proveniat: aut quòd ab anima, quæ alia est à corpore, oriatur. Ita enim Avicenna Fen 2 Canon 2. doct. 2. sum. 1. cap. 1. causam primitivam definit. Animam itaque Avicenna, nō inter ea enumerat, quæ sunt extrinseca, ut nonnulli censent, sed inter ea, quæ alia & distincta sunt à corpore. Sic rectissimè ira, mœror, tristitia, & timor inter causas externas recensentur, quòd nimirum ab anima, quæ à substantia corporis diversa est, proveniant. Verùm præstat, ut dicamus præincipientes interdū Galeno extrinsecùs incidentes, vel omninò in corpore non existentes ideò vocari, vel quòd plurima illorum pars ab externis rebus proveniat: vel quòd ita patent, ut non solùm medicis sint perspectæ, sed etiam plebeiis cognitæ, quasi extrinsecùs essent positæ. Hinc Celso rectissimè evidentes vocantur. Vt hinc omnibus pateat, Galeno præincipientē procatarcticámve causam propriè esse, ut metipse de Differ.febr. cap. 7. attestatur, quę est recens, & simul evidens, & quæ subinde præcedentem appellatam parit. Sic cruditatem inter causas præincipientes numerat lib. 2 de Nat.hum. quæ tamen intra corpus est. quòd à rebus externis, cibo & potu nimirum oriatur, & quòd sit recens, simul & evidens, denique quòd ab ea rursus alia, quæ præcedens nominatur excitetur. Quamquam Gal. in lib. de Morb. causis,

Externa causa cur nominata?

Procatarctica causa Galen. quid, & quæ?

Cruditas, an & cur est causa præincipiens.

causis, ubi propriè de causis illis loquitur, nō omnes extrinsecùs advenientes procatarcticas, seu præincipientes morbificas vocat, sed eas tantùm, quæ vehementer corpus alterant, & mutant: idque veterum Græcorum imitatione, qui alias causas externas, quæ suapte natura morbum inferre nequeunt, sed tum solùm, ubi imbecillum, vel alio modo ad suscipiendos morbos paratū invenerint corpus, quemadmodum metipse lib. 4. de Vict. acut. morb. testatur, propriè προφάσεις, id est morborum occasiones, appellarunt. Non propriè autem hanc vocem usurpantes, omnes causas manifestas, ut suprà dictum est, προφάσεις nominaverunt. Non sunt igitur omnes causæ procatarcticæ externæ, sed plurima ex parte, sed & rursum nec omnes externæ sunt præincipientes: sed illæ dūtaxat, quę vehementer alterant, ac mutant corpus, adeoque morbos pariunt. Atque si ad hunc modum de causa procatarctica, differas ac statuas, nihil pugnantiarum, quas tamen multas temerè in Galeni definitionibus, quibus passim hanc causam explicat, pleriq; hodie temerè confingunt, reperies. Altera morbifica causa Græcis προηγουμένη, Latinis præcedens, junioribus antecedens, & interna, quòd in animalis corpore consistat & lateat, appellatur. Quapropter hæc suapte natura est occulta, & nō nisi medicis cognita, adeoque meritò Celso abdita vocatur. Hæc præterea, ut testis est in libello adversus Iulianum Galenus, non solùm principiò morbos gignit, sed eos etiam auget. fovet, ac conservat. Verbi gratia, sanguinis calidioris confluxus, phlegmones causa præcedens, hanc veluti materia ejusdem phlegmones gignit. genitam auget, & auctam conservat. Galenus itaq; præcedentem morbi causam vocat eam. quæ in animalis corpore hæret. ac consistit, affectuique ipsi, functionem lædenti. proxima, &, ut sic dicam, immediata ad eoque conjuncta est, ita nimirùm, ut inter hanc, & morbum nihil penè interveniat. Quod phlegmones

Procatarcticarum causarum definitio alia.

προφασις propriè quid.

Quorundam studium improbatur cōtradictorium

Præcedens. Abdita morbi causa.

Exempla.

Causa morbi proxima, antecedens vocatur Galeno.

Phlegmones causæ antecedentes, proxima. exemplo fit manifestissimum, quippe inter hanc, & causam suam præcedentem nihil intervenit. Siquidem inter sanguinem confluentẽ, & tumorem, quem ille excitat, quique phlegmone nominatur, nihil est, quod interveniat. Quòd autẽ Galenus, causam morbo proximam, & conjũctam nominet antecedentem, uno & item altero loco in præsentia demonstrasse satis sit. Primus est in cap. 88. Artis medicæ, ubi ita ,, scriptũ reliquit: Iam factum atque existentem mor- ,, bum curare oportet: sed qui nondum quidem adest, ,, & affligit at futurus est, eum ne fiat, ab illo, qui est in ,, corpore, affectu, prohibere cõvenit. Ejus autem, qui ,, adhuc fit, quòd quidem factum est curare: quod au- ,, tem futurum est, ne fiat prohibere cõvenit medicum. ,, Prohibetur verò sublatione ejus affectus, à quo fieri ,, consuevit. Hujusmodi autem affectus, causa præce- ,, dens seu antecedens vocatur. Hæc ille: Si igitur sublatione antecedentis causæ, fieri prohibetur affectus, qui functionem lædit, sive morbus, ut inter hunc, & illam nihil interveniat aliud propinquius est necesse. Si nihil intervenit, proxima morbo sit causa antecedens oportet. Alter locus est in libello adversus Iulianum, paulò antè etiam à nobis productus, qui itidem convincit, causam antecedentem, ab ea quæ est proxima morbo, & immediatà, quod Iuniores tamen aliquot faciunt, non esse separandum. Si enim causa antecedens, quod disertè Galenus affirmat, efficere morbum incipit, eundemq; auget, fovet, conservat, igitur huic sit proxima, & conjuncta oportet. Quomodo enim augeret, si alia huic proximior, magisq; conjuncta esset? Quum itaq; jam demonstratum sit, causam præcedentem, morbo esse proximam & conjunctam, plurimùm hallucinari eos est necesse, qui contrà Galeni sententiam, tertium genus morbificarum causarum, quam continentem & conjunctam nominant, statuere conantur. Quippe quum Galeno, ut sequẽti capite fusiùs docebimus, morbus non sit,

Antecedens causa, à proxima nihil differt.

Nulla causa continens in morbis ut falsò statuunt recentiores.

ſit, niſi affectus præter naturam, actionem immediatè vitians, omnem profectò cauſam continentem reſpuet. Affectus namque eſt morbus, non contractè duntaxat voce illa ſumpta, ſed & propriè, ita ſanè ut ex permanentium & conſtantium ſit numero, quemadmodum lib. 2. Ther. methodi, cap. 3. apertè admodum teſtatur Galenus. Si verò morbus eſt, ex permanentium numero, ejus eſſentia à ſua cauſa, non pendet, nec continetur, ideoq; continens eſſe nequit. Siquidem cauſa continens eſt, & definitur recentioribus, quæ eſſentiam rei à ſe productæ continet. Vel ut author Introductorii & libri Definitionum hanc definit, qua præſente, ejus quoq; effectus adeſt: & qua deſinente, etiam effectus ejus evaneſcit. Quare hæc planè eſt cauſæ cōtinentis natura, ut ea ſublata, ſimul etiam, quod ab ea productum eſt, è medio tollatur. Cùm verò nullus ſit morbus, quin idem ſit permanens, hoc eſt, manere poſſit, proxima ſua ſublata etiā cauſa, conſequitur cauſam continentem, nullam in morbis eſſe poſſe. Morbos autem manere ſublatis ſuis cauſis, uno aut altero exemplo monſtraſſe ſufficiat. Phlegmone jam facta manet, etiamſi cauſa ſua deſinat, nec amplius ad phlegmone obſeſſam partem ſanguis confluit. Ideò vel ſuppurantibus, vel diſcutientib. medicamentis ad curationem ejus, quæ facta eſt, phlegmones, opus erit. Pari ratione, obſtructio, morbus inſtrumentalis manet quidem, ſublata etiam ſua cauſa. Quanquam etiam facta jam obſtructione aliqua, in corpore, plenitudo omnis per venæ ſectionem, aut craſſi & viſcidi humores affluentes per purgationem tolluntur, nihilominùs tamen adhuc obſtructio manet & perdurat. Hinc eſt quòd Galenus libr. 8. Therap. method. cap. 41. (ubi ex profeſſo de obſtructionis curatione agit,) poſt ſublationem plenitudinis, & craſſorum humorum obſtructionem efficientium ad detergendas obſtructiones medico eſſe accedendum, hortetur. Quod illi faciendum non erat, ſi ſummota cauſa unà tolleretur obſtructio,

Qualis affectus eſt morbus.

Cauſa continens quæ.

Morbi ſunt è numero permanentiū & conſtantium.

Phlegmones remedia.

Obſtructionum cauſſæ, curatio.

Febris curandi methodus.

quod sanè necessarium erat, si causa illa continēs fuisset. Prætereà libro iam citato 8. Therap. method. capite 1. idem Galenus docet, primùm submovendā quæ febrem accendit causam, deinde verò extinguēdam, quæ ab hac causa accensa est, febrem. Quod sanè nunquam fecisset, si causam aliquam continentem febris esse statuisset. Tùm enim satis fuisset monere, ut medicus causam è medio tolleret, utpote cum qua unà febris tolleretur. Quinetiam libro 11. Therap. methodi, cap. 10 initiò putredinem esse curandam, qua sublata febrem tandem extinguendam, manifestis verbis docet. Quod nunquam fecisset, si putredinem, febris esse causam continentem, ut Avicenna, & eū sequentes, hodie maxima medicorū pars censent, existimasset. Nam tum satis erat putredinem sustulisse, utpote cum qua, unà febris necessariò submota fuisset. Siquidem ea est continentis causæ conditio, ut eius, quod produxit, essentiam ita contineat, ut ipsa sublata non possit amplius superesse, id quod ab eo productum erat. Et ut tandem finem faciamus, adversarios nostros hoc unum tantùm rogatos velim, dicant nobis, si causam in morbis continentem statuit Galenus, qui fiat, ut multis in locis Therap. methodi moneat tàm diligenter, ut medicus in omnium morborum curationibus initio consideret, nùm morbi causa adsit, an desierit. Certè si ulla est in morbis continens causa, frustrà hoc monet Galenus. Quippe hæc perpetuò morbo coniuncta erit, nec ab eo separari ullo modo potest. Præsente igitur morbo, & hæc ipsa adsit necesse est. Si autem perpetuò adest, quid opus fuit Galeno, ut moneret medicum, consideraret, num hæc adsit an sublata sit? Non possunt se hic, sat scio, explicare adversarii, imò necessitate compulsi fateri cogentur, Galeno nullam esse in morbis causam reverà continentem. Proinde unus is locus ad convincendam protervitatem adversariorum nobis sufficiet, nec plures proferre est necesse. Vt Vallerioiæ stupiditatem mirari satis nequeam,

Avicennæ error Fen. 2. ca. 1. doct. 2. sum. 1. cap. 1.

Continentis causæ, natura, & conditio.

Continens causa confutatur & reiicitur.

Valeriola taxatur.

queam, qui post omnium suorum à me confutatorum argumentorum ruinam, tamen adhùc audet causam in morbis esse continentem affirmare. Sed hæc est mentis humanæ perversitas ac pertinacia, ut errorem semel conceptum, Satanæ consiliis adiuta & obcæcata, expuere nolit. Quare quum toties à me monitus Valleriola resipiscere recuset, per me deinceps cilicebit, ut tādem induratus in eo perpetuò hæreat errore. Et mirum mehercle est, quùm Valleriola apertè fateatur, curationem propriè morbo convenire, quandoquidem si aliqua eius sit causa continens, non morbi, sed causæ continentis potius curatio erit. Causæ namque continentis amotione, etiam morbus unà tollitur, quo certè sublatò, nulla amplius curatione opus erit, & causæ sublatione. Quapropter causam in morbis continentem, tanquā commentum quoddam Avicennæ & aliorum Arabum medicorum, & à Galeni placitis alienum, imò medicinæ inutile, hodie etiam constanter reiicimus. Nec movent me cur ab ea sententia discedam, quorundam argumenta, de quibus hoc potissimùm loco agemus: aliorum enim rationes, alibi dissolvimus: utpote quæ partim ridicula, partim languida valdè sunt. Principiò enim, inquiunt; Galenus passim causæ continentis mentionem facit, ut in libris de Causis pulsuum, & de Differentiis & causis sympt. & sect. Aph. 7. atq; etiam in lib contra Iulianum, & 2. Meth. medendi, & infinitis aliis locis. Quasi verò ita colligere liceat: Galenus causæ continentis mentionem facit, igitur causa continens est in morbis. Cui planè respondebit, si in eum modum colligas: Ioannes mentionem facit mille coronatorum, igitur Leonhartus, mille coronatos, suo habet in marsupio. Non inficias ire possumus, imò lubentes fatemur, Galenum in productis ab adversariis locis, causæ continentis facere mentionem: negamus tamen illi causæ inter morbos relinquere locum, ut qui iis rebus duntaxat, quæ in generatione ipsa essentiam suam ha-

Nulla morbo sed soli causæ debebitur curatio posita causa continente.

Quorundam argumenta diluuntur.

Galeni loca illustriora, in quibus continentis causæ fit mentio

bet, causam continentem assignet, non iis, quæ absolutè & simpliciter esse dicuntur, adeoq; ex permanentium sunt numero, ut esse morbum paulò antè monstravimus. Quod in libello adversus Iulianū iis „ innuere verbis voluit: Nos quidem multoties hos „ sequentes, ne de nominibus contendere videremur, „ causas quasdam sic vocari concedimus, non mehercule eorum, quę absolutè sunt, sed eorum quę in fie- „ ri essentiam habent. In hoc sanè sophismatis est dis- „ solutio. Hæc ille. Pergunt deinde adversarii, & συνεκτικὴν, id est, continentem causam, Galenum primam, sive proximā, & immediatā appellare dicunt. Id quòd planè concedimus. Nam lib. 2. Ther. meth. c. 4. actionis primam causam, continentē vocat, & lib. 10. ejusdem operis unam cōtinentem causam horroris esse inquit. Atq; hac quidem ratione, antecedens causa, quòd effectui quem produxit proxima & immediata sit, morbi causa coniuncta quidem, ast haud continens nominari posset. Verùm Galen. hanc appellationem in morbis, ut non satis propriam, lib. 2. de Humana natura notat & improbat. Proprio verò, si quis uti nomine velit, προηγουμένην vocandam esse docet. Tertio loco, pro suæ opinionis confirmatione, locum Galeni ex lib. 6. Epidem. sect. 3. com. 17. citant, ubi morbificas causas in procatarcticas, antecedentes, & coniunctas dividit. Hunc verò locum, quidam etiam medicus, qui libellum de Causa continēte, sed more suo satis obscurum, edidit, pro causæ cōtinentis confirmatione producit. Quare non pigebit illum paulò fusiùs enarrare. Galeni verba sic habent: Δέδεικται δ' οὐδὲν ἧττον ἃ χρὴ περί τε τῶν πεπονθότων τόπων, καὶ τῶν συμπαθόντων αὐτοῖς ἐπίστασθαί τε καὶ διαγινώσκειν ἀκριβῶς ἐπὶ τῶν νοσούντων. ὥσπερ γε καὶ περὶ τῶν αἰτίων ὅσα γε προκατάρχοντα καλοῦσι, καὶ ὅσα προηγούμενα, καὶ ὅσα συνεκτικά. Quib. sanè verbis Galen innuit, se aliis in locis demonstrasse, quæ scire & exacte cognoscere oporteat medicum, circa ipsos ægrotantes, de laboranti-

Quam causam Galenus pro continente habeat.

Locus Gale. de causa morbi continēte.

rantibus locis, & iis, qui cum ipsis per consensum afficiuntur: veluti etiam de Causis, quas & præincipientes, & præcedentes, & continentes vocant. Verùm quum Galenus diserte dicat ἐπὶ νοσούντων, & nequaquam ἐπὶ νοσημάτων, id est, in ægris, non autem in morbis, nihil hinc patrocinii ad adversarios redire potest. Siquidem, non in morbis, cognoscendam esse causam continentem, utpote qui nullā eiusmodi habeant; Galenus docuit; sed in ægris. In quibus certe causæ continentis etiam proprie dictæ cognitio necessaria admodum erit. Nam quùm ægrotare incipiunt, & in generatione adhùc sunt morbi, & pathemata duntaxat adsunt, causas plane continentes cognoscere oportet, quòd illis sublatis, prohibeatur ne morbus fiat. Nam unà cū causis, pathemata quoq; ipsa tolluntur. Posteaquā vero ægros, iam morbi ipsi invascrunt, statim symptomata succedunt, quæ & ipsa, modo sint actiones læsæ, & immodicæ vel inanitiones, vel retentiones, causas continentes habent morbos ipsos, quod illis summotis, unà etiam symptomata, summoveantur. Vt hoc nomine, in ægris causæ continentis cognitio necessaria sit, vel ratione pathematum, vel ratione symptomatum, quæ utraq; cum non nisi in fieri essentiam obtineant, causas habent continentes. Has enim ita ut appellemus, Galenus in libello adversus Iulianum, ut paulo ante dictū est, nobis concedit. Quod quarto loco adversarii, Galenum, sub antecedentibus, ubi duarum duntaxat causarum mentionem facit, coniunctas complecti scribunt, concedimus quidem, si per coniunctas intelligunt proximas, & immediatas. Sin continentes proprie dictas intelligant, nequaquam. Nam nullas esse eiusmodi in morbis, de Galeni sententia, suprà ostensum est. Proinde falsum est, quod aiunt, Galenum, in libro contra Iulianum, plenitudinem continentem, & simul antecedentem morborum causam esse, scriptum reliquisse: imo ibidem diserte dicit, morbi esse causam duntaxat antecedentem. Id quod etiam facit lib. 2. de Nat. hum. Com. 1. ubi negat illam

Causa continens cognoscenda non in morbis, sed in ægris.

Causæ continentis in ægris necessaria omnino est cognitiō.

Causam continentem habent
1. Pathemata
2. Symptomata.

Gal. lib. advers. Iulianū
Continentes dictæ causæ continentur sub antecedentibus.

esse causam continentem, & rectè quidem, quòd nō rarò, plenitudine sublata, morbus tamen maneat: quod suprà quoque phlegmones exemplo demonstravimus. Falsum itidem est, quod inquiunt, ex antecedentibus nōn omnes esse coniunctas seu immediatas. Nam inter antecedentem causam, & morbum nihil intervenit, (ut anteà ostēdimus:) coniuncta igitur sit, seu proxima est necesse. Proinde non sine errore & certè contrà Galeni sententiam causas mediatas, cum antecedentibus confundunt. Quæcunque enim mediatæ sunt causæ, hæ Galeno præincipientes, minimè autem antecedentes seu prçcedentes vocantur. Reprehensione præterea dignum, quòd causæ continentis nomine, non una, sed diversa ratione utuntur, nunc pro prima, proxima, seu immediata: nunc pro inhærente ipsis effectibus, essentiam continente, ita sanè, ut positis effectibus, illç etiam ponantur, & iis remotis, illi quoque evanescant. Nam prima quidem in significatione causas in morbis continentes admittimus, in altera nequaquam. Quarto loco, causam continentem in morbis esse, ex lib. 1. de Symptomatum causis, ca. 2. ostendere conantur, ubi Galenus amplitudinis uveæ, huius ipsius tensionem, esse causam continentem, non obscuris verbis scribit. Quasi verò amplitudinem pupillæ, morbum esse cōcederemus, quùm potiùs sit symptoma, quod aliud, symptoma, nempe tensionem, sequitur, à morbo, sicca nimirum vel humida intemperie, procreatum. Nō esse autem amplitudinem pupillæ morbum, copiosè in commentariis nostris super hunc Galeni locum demonstratum à nobis iam aliàs, ut non sit necesse hic repetere. Quòd si verò rogat nos quispiam, ex quo genere symptomatum, sit uveæ amplitudo: respondeo, Ex eorum numero, quæ affectus corporis per immoderatas vacuationes & retētiones sequuntur. Quippe quando uveæ nativus humor absumitur, & exiccatur, tensio sequitur, quam uveæ amplitudo excipit. Id quod etiam accidit, ubi ad hanc, humores

Non omnis antecedens est coniuncta.

Quid causa proxima.

Quot modis continens causa sumatur à neotericis.

4.

Amplitudo pupillæ non est morbus, sed symptoma.

mores præter naturam confluunt. Prior itaque amplitudo inanitionem, altera retentionem humoris sequitur. Vtraq; igitur symptoma est, quòd affectus corporis, per immodicas inanitiones, vel retentiones comitatur, & excipit immediatè. Quinto loco Galenum pro continentis causę confirmatione, ex libro de Causis pulsuum afferunt, ubi scribit non solùm in pulsibus, sed in aliis omnibus & actionibus, & affectibus n.p.n. tria esse causarum genera. Sed qua fide hunc locum citent, facilè deprehendes, si Galeni verba expendas, & hæc ipsa ad præcedentia & consequentia ut debent, referas. Nam intelliges planè, Galenum hîc loqui de cunctis alterationibus, quæ ut metipse lib 2. Ther. metho. testatur, & nos quoq; fatemur; essentiam suam non habent nisi in fieri. His enim quæ in generatione ipsa essentiam suam duntaxat habent, veluti sunt pulsus omnes, causas etiam continentes, ut paulò antè ex libro adversus Iulianũ ostendimus, Gale. assignat. Atq; in hac re profectò, ut is ibidem inquit, sophismatis explicatio consistit. Tandem adversarii multis argumẽtis ostendunt, medico necessarium esse, ut causam immediatam, & morbo coniunctissimam dignoscat, quòd alioqui fieri nequeat, ut morbum propulset. Id quod ipsi quoque nos affirmamus, nec Galen. diversum docet. Nam cum causa antecedens, (quæ, quòd inter hanc & morbum nihil interveniat, morbo coniunctissima est) principiò morbum faciat, & eundem simul adaugeat, fieri non potest, sicuti loco iam citato Galen. etiam ait, ut si illa remaneat, quod factum est morbi persanetur. Quare non animadvertunt hîc adversarii, quàm confusè de causa continente disputẽt, ut qui iam impropriè, pro proxima & immediata, iam propriè pro inhærente usurpent. Quà certè in re adversarii crebrò delinquunt. Sed de continente causa in præsentia satis. Plura qui de ea scire volet, nostros, in libros Galeni de Morborũ & Symptomatum differentiis & caussis Commentarios adeat, &

Pulsus causam continẽtem habet.

Quæ sit causa antecedẽs.

Causa sine qua non. libellum nostrum de Causa continente legat. Cæterùm inter causas Galen. lib. 1. de Sympt. differentiis recenset etiam causam, sine qua non, eamq; definit esse, quæ nihil perfectionis addit rei quæ fit, ab illis tamen, quæ conferunt, seiungi non potest. *Causæ sine qua non definitiones.* Breviùs ita finiri posset: Est sine qua res fieri nequit: Hæc omnibus ferè in rebus invenitur, & non rarò etiam in morbis datur. Sic in ulceris curatione, puritas eiusdē rationem habet causæ, quæ, sine qua nō, nominatur. Nequit enim curari ullo pacto ulcus, nisi prius purū, & ab excrementis mundatū fuerit. Habet & ipsa cavitatis impletio, ad ulceris curationē, rationem causæ, sine qua nō. Siquidem nisi cavitas prius impleta sit, ulcus cicatrice induci non potest. Et ut etiam morbi exemplum afferamus, phlegmones causa efficiens, & planè immediata est confluxus sanguinis, utpote, quę materiam, ex qua phlegmone nascitur, augetur, & conservatur, suppeditat. Hæc tamen interdum, quin imo ut plurimùm causam, sine qua non, dolorē obtinet. Siquidem sine eo, phlegmone in corpore sano, & plenitudine vacante, fieri haud potest facile. Quapropter etsi dolor perfectionis nihil addit phlegmonæ, tamen à confluxu sanguinis illam perficiente, seiungi haùd potest. Id quod Galen. lib. 13. Ther. meth. ca. 3. iis verbis significare voluit: Porrò, inquit, in doloribus incipit quidem causa, ab ea particula, quæ affligitur: sed quicquid est phlegmones, id superpositæ partes efficiunt. *Concausa.* Hippocrates causam hanc dictā, sine qua non, concausam appellare consuevit. Hæc enim talis est, ut etsi vi sua non queat generare morbum, alteri tamen, quod illum procreare potest, cohæret: quod doloris exēplo iam monstravimus. *Adiutrix causa.* Alio nomine nō ineptè adiutrix causa nominabitur. Atqui finem tandem morborum causis imponemus, ubi *Medico morborum causæ cur perscrutandæ.* prius monuerimus eas, præsertim præcedentes, proximas, seu immediatas vocatas, diligētia summa medico esse perscrutandas, quòd sine harum cognitione, modò adhuc in corpore hæreant, morbus sanari

non

non possit. Principiò itaq; causas simplicium morborum in partibus similaribus evenientium, calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorum inquirat. Dein compositarum earundem partium calidorum & siccorum, calidorum & humidorum, frigidorum & siccorum, frigidorum & humidorum, cum affluxu humorum, & citrà materiæ affluxum. Posthæc causas etiam, simplicium & compositorum morborū in partibus instrumētalibus natorū, conformationis nimirum, numeri, indecentis magnitudinis, & cōpositionis sitúsve perquirat. Postremò causas eorū morborum, qui tàm similarium, quàm instrumētalium partium communes sunt, scrutetur, quemadmodū Gale. in eo libro, quem de Morborū causis inscripsit, breviter & luculenter edocuit. Ad quem rectè intelligendum, nostros commentarios plurimùm adiumenti allaturos, studiosis speramus. Ex eo itaq; libro reiectis practicarum, ut vocant, ineptiis, morborum causas perdiscant medicinæ studiosi, quòd illic methodum, in illorum libris verò confusionem & immensas nugas sint reperturi.

Qua methodo morbidas causas tractare debeat.

Vbi de morbidis causis agat Galenus.

DE MORBI DEFINITIONE.

Cap. III.

Morbus, Gal. lib. 2. Ther. Meth. ca. 3. & ca. 1. de Sympt. differentiis, teste, est affectus præter naturam, à quo primùm vitiatur actio. Quæ utiq; definitio ab omnibus usque in hunc diem medicis, paucis admodum demptis, viris quidem eruditis, at novitatis plus nimium studiosis, recepta est, adeò sanè ut ne Avicen. quidem hunc aliter definierit. Siquidem Fen. secundo, canone 1. doct. 1. capite primo, affectum esse præter naturam, à quo primò læditur actio, tradit. Sed videamus, quibus rationibus morbi definitionem à Galeno allatam, huius adversarii convellant. In primis, inquiunt, ambiguo utitur genere, in quo etiam sibi author con-

Morbus quid?

Avicen: definitio morbi.

Adversariorum obiectiones diluuntur

1 sentire non videtur Etenim in lib. de Differ symptomatum, scribit ille, non solùm morbū ipsum, sed etiā symptomata, & causas morbidas affectus esse præter naturam. Miror profectò adversarios viros alioquin doctos, non animadvertere, eius generis argumenta, non esse tanti momenti, ut receptam hactenùs definitionem morbi, labefactare saltem, tantùm abest ut evertere possint. Quis enim est, qui ignoret Galen. affectus vocem interdum generatim usurpare, pro omni eo, à quo corpus nostrū afficitur: & item magis contractè, pro omni in id, quod præter naturam est, mutatione? Qua quidē ratione tres esse affectus præter naturam, constat, morbū, causam, & symptoma. Atqui dicent, quanquā ista ratione eviceris, causas & symptomata, posse rectè appellari affect⁹, tamē Gal. excusare haud poteris, quin nobis, illū in morbi definitione, (quandoquidē variè accipi affectus vocem fatearis) ambiguo usum fuisse genere concedas. Minimè gentium: cùm enim reliqua sit adhuc tertia acceptio, in qua affectus propriè sumptus, id quod iam factum est, & permanet in re, quæ alterationem perpessa est, denotet, quod sperant nequaquam cōcedimus. Quippe cum Gal: affectus in definitione morbi idem quod constitutio significet, non possunt à nobis, quod postulant impetrare. Idem autem significare affectum, quod constitutionem, ipsemet Gal. c. 2. lib. de Morborum differ. scriptum reliquit. Et in c. 1. de differ. Symptom. morbum definit esse constitutionem præter naturam, à qua actio læditur. Quòd si igitur idem quod constitutio, significat affectus vox, in definitione morbi, & ad ea tantùm trāsfertur, quæ ex permanentium & constantium sunt numero, iam non ampliùs esse ambigua potest, sed ad certam aliquam significationem contracta, quæ rebus constātibus ac permanentibus, è quarum numero morbus etiam existit, competit. Dein improbant adversarii, quòd Galenus nomen affectus, alterationem significare tradit stabilem & permanentem. Quod cur faciant, nō video. Nā iis verbis nihil aliud innuere voluit,

Responsiones

Affectus vox à Gal: quomodo & quottupliciter usurpetur?

2. Obiectio altera.

Propriißimè dicta diathesis quid denotet?

Alteratio stabilis.

luit, quàm quod id, quod in subiecto corpore, alteratione absoluta permanet, adeoq; stabile est, affectus sit, ut alteratio permanens, sive ut Galen. verbis utar, ἀλλοίωσις ὑπομένουσα, nō sit, ut metipse lib 1. de Laborantib. locis, cap. 3. interpretatur, nisi ἀλλοίωσις εἰς μόνιμον ἀφικνοῦσα διάθεσιν, id est, alteratio ad stabilē perveniens affectum, ut scilicet ab alteratione simpliciter dicta, quæ in ipso fieri, (ut iam sæpe dictum est) essentiam suam habet, discernatur. Quare affectus recte, stabilis, permanensq; alteratio dicitur, quòd nimirum cessante eo, quod alteravit, alteratio ad stabilem iam pervenerit affectum. Atq; hinc est quòd Gal. lib. 2. Med metho. cap 3. morbum disertis verbis, ex permanentium numero esse scribit. Vt hinc omnibus perspicuum evadat, διάθεσιν Galeno aliter, quàm Aristoteli usurpari, quòd illi sit constitutio, seu stabilis iam & permanens alteratio, seu affectus: huic verò contrarium significet, nempe qualitatem, quæ à subiecto facile dimoveri potest. Quapropter vox διάθεσις Galeno non pressa & adstricta significatione, quemadmodum Aristoteli, ut scilicet ab habitu disiungatur, sed larga & ampla, pro omni corporis affectu constitutioneve, sive ea facile, sive difficulter amoveri queat, sive qualitas, sive substantia sit, ut alibi fusiùs monstravimus. Galeno itaque διάθεσις idem quod ἕξις denotat, quòd è multis Galeni locis liquet, in quibus utraq; voce una in significatione utitur. Sic lib. 2 Ther. meth. cap. 3. sanitatem & morbum διαθέσεις, ἢ ἕξεις esse inquit: Verùm pergūt adversarii dicentes: Eam solùm alterationem, quæ stabilitatem quandam acceperit, morbum vocare, rationi artiq; nostræ nō apparet consentaneum, cùm diariam febrem, leviorаq; alia corporis vitia, atque adeò etiam graviora, ut apoplexiam, morbos nuncupemus, etsi minimo solùm temporis spatio perdurent. Atque, inquiunt iidem, in hoc omnino sibi repugnat Galen. quippe cum scribat primo & secundo

Alteratio permanens.

διάθεσις vox aliter Galeno ac Aristoteli usurpatur.

διάθεσις vox Galeno idem quod ἕξις.

Obiectio tertia de brevibus & peracutis morbis.

libro Methodi medendi, eos errare, qui morbũ stabilem contumacemq; affectũ esse definiebant, contenditq; permanẽtiæ nomen, ab eius definitione penitùs subtrahendũ esse. Hactenus adversariorum argumẽta retulimus, quibus ostendere conantur, Galen. non rectè affirmare, morbum esse stabilem alterationem, cum multi sint morbi, qui non diu durent, & metipse permanentiæ nomẽ à definitione subtrahat. Sed ludunt lectorẽ adversarii, atq; homonymia illi imponere student eidem, atq; quod Galeno adscribunt ipsi committunt. Nam Gal. stabilitatẽ ad morbi essentiam refert, utpote quam talem esse dicit, ut sublata etiam sua causa, manere possit. Adversarii contrà permanentiã ad tempus transferunt, quasi Gal hunc solum affectum esse morbum diceret, qui multis horis aut diebus duraret, cum tamen illi, nihil tale unquã, ne per somnũ quidem, in mentẽ venerit, ut liquet ex iis, quæ l. 1. Ther. meth. cap. ult. adversus Olympicum scribit. Quapropter adversarii omnia Galeni dicta captiosè ad suum institutum torquent, & ἀντιλογίας illum temerè ac falsissimè insimulant. Siquidẽ Galen. ubi morbũ stabilem alterationem, aut permanentem affectũ vocat, illi permanentem inesse essentiã innuit. Quapropter Galen. permanentiã, quæ temporis duratio est, & circumscriptio, rectè à definitione morbi excludit, ut qui id unum tantùm cõtendat, morbũ esse ex permanẽtium numero, hoc est, eorum, quæ sublatis suis causis manere, & durare possint, nõ obstãte etiam, si intrà semihoræ spatiũ, aut etiam citiùs desinant Atq; hactenus nos evicisse arbitror, Galenũ, in definitione morbi, legitimo, & nequaquã ambiguo genere à se se prius distincto, & determinato usum fuisse. Verùm pergunt subinde adversarii, & quę reliqua sunt in definitione morbi suggillãt captiose. Nã initio Galenũ parùm memorem suæ definitionis nõ solùm inter morbos censere, ac reponere ea vitia quę propter suam magnitudinẽ, evidẽter hominis actiones labefactant, sed & morbũ statuere ipsum lib. 1 de

Responsiones

Obiectiones aliæ de statu neutrali hominum infirmiorum.

Labo.

Lab. locis, quùm primũ corp⁹ à naturali ſtatu vel minimũ egreditur, inquiũt. Sed nõ animadvertunt adverſarii, ſe ad morbũ falsò torquere, quòd Galen⁹ de pathematis dixit; quæ cum ſtabilẽ & permanentẽ eſſentiã non habeãt, nihil mirum, cur actiones labefactare nequeant. Siquidẽ Galeno metipſo cap. 1. lib. de Sympt. diff. teſte duo hæc, ut aliquis morb⁹ ſit, neceſſariò exiguntur, ut ſit in genere affectus, & lædat actionem: quorũ certè neutrũ pathemati adeſt, ideoq; meritò inter morbos à Galeno haùd numeratur.

Duo ad morbũ requiſita.

At inſtant adverſarii: Illud etiam non eſſe verum putamus, quòd morbus actionem primò lædat. Nam inter eum & actionem intercedit vis corporis, e. g. intemperies primò cauſa eſt facultatis agendi, facultas aũt ipſius actionis, hęc verò operis, quemadmodum ille lib. 1. de Naturalibus facultatibus, & alibi paſſim oſtendit: corruuntq; hoc modo omnes libri, quos de facultatibus noſtrum corpus regentibus conſcripſit, ſi illæ inter morbum & actionem non ponantur. Hæc illi. Sed quis unquam veterum medicorum, intemperiem, cauſam facultatis agendi dixit? cum hęc ipſa potius, ne facultas agere poſſit, impediat. Quod ſi temperiẽ facultatis agẽdi, cauſam eſſe adverſarii Galeni affirmaſſent, excuſari potuiſſent. Cùm verò contrariũ aſſerãt, ac intemperiẽ primò, cauſam eſſe facultatis læſę, ſeu potiùs impeditæ contendant, nullã, hęc abſurda loquẽdi ratio, excuſationẽ admittit.

Inter morbũ, & actionem læſam numquid facultatis intercedat læſio.

Vt autẽ planè cognoſcãt ſtudioſi, quã parũ, quid dicant calumniatores illi, ſtudio novitatis omnino excæcati, intelligãt, ſciendũ erit facultatẽ Galeno non eſſe, veluti metipſe lib. 1. de Simpl. medic. fac. c. 1. & lib. 1. de Nat. fac. oſtendit, niſi certam quandam ac convenientem quatuor elementorum temperaturam. Eſt igitur hæc ipſa operis, ſive actionis prima ſeu proxima, ut ille multoties affirmat, cauſa. Hanc autem facultatem, non raro naturam vocat. Sic enim ſect. 2. Aphoriſm. Com. 51. ſcriptum reliquit: In elementorum commoderatione natura conſiſtit, ita quidem. Vt natura

Facultas quid, ex ſententia Gal.

Temperies, eſt cauſa actionũ proxima.

Natura eadem cum facultate.

non sit nisi naturalis constitutio, seu partium corporis nativa temperies, & structura. Nihil igitur refert, sive facultatem, sive naturam, sive constitutionē naturalem, sive temperiem actionis causam dixeris. Vt autem temperies causa est actionis probæ, seu nō impeditæ, sic intemperies causa est actionis læsæ, aut impeditæ. quam primò, & nullo alio interveniente, ,, lædit. Quod iis utique verbis Galenus quoq; libro 1. ,, Ther. meth. cap. 8. innuit: Affectus, inquiens, cum a- ,, ctione unà consistit, nec potest usquam aut proba a- ,, ctio esse sine corporis naturali affectu: aut vitiosa, nisi quum corpus fuerit læsum.

Obiectio alia.

Progrediuntur in cōvellenda morbi definitione adversarii dicentes: Preterea non separat Galenus hac definitione morbos, a causis, & symptomatis. Lædunt enim nonnullæ causæ, suas actiones nullo interveniente morbo: veluti cōcoctio alimenti, ab exuperante illius copiâ labefactatur, nullo morbo interim affecto ventriculo, eodem Galeno etiam autore, sed evicta quodam modo statim ipsa facultate, quemadmodum per partis morbos contingit. Quamobrem si pari distantia & intervallo cum morbis, nonnullæ causæ, actiones corrūpunt, eas quoque inter morbos collocare oporteret.

Exuperans alimentum non est causa concoctionis.

Hactenus adversarii. Quis verò est, qui ex hac etiam obiectione non cognoscat, studium novitatis, adversariorum animum dementasse? Nemo enim est unquam, qui alimentū, concoctionis ventriculi causam esse, (adversariis illis exceptis,) dixerit: cum in cōfesso sit apud omnes, facultates naturales esse actionum naturalium, ipsiusq; adeo concoctionis causas.

Facultas quid.

Neq; enim facultas aliud est, quàm efficiens, rei cuiusque, causa, vel brevius, actionis causa. Si itaq; facultas est actionis causa, quomodo exuperans alimentum cōcoctionis causa, dici possit, non video.

Causa quid?

Non esse autem exuperans alimentum concoctionis causam, ex causæ definitione, satis liquet. Cū enim causa ut Galenus in lib. de Causis procatarcticis, & lib. de Differ. symptomatum, est author, non sit nisi quæ ad generatio-

rationem rei conducit, non conducat autem ad concoctionem exuperans alimentum, igitur non sit eius causa oportet. Sed demus esse concoctionis causam, quod tamen absurditate haud vacat, quomodo causa, posset suam ipsius labefactare actionem? Perinde enim esset ac si quis diceret, facultas concoctrix, lædit, aut labefactat concoctionē: qua certè loquendi ratione nihil portētosiùs aut monstrosiùs excogitari posset. Non itaq; facultas, multoq; hac minus exuperans alimentum actionē labefactat, sed facultas ipsa, ab exuperāte & immodico alimēto præfocatur quasi, & obruitur, haùd secùs, quàm à multis lignis confertim impositis, ignis: impeditur, quo minus actionem suam obire possit. Quod igitur facultas suam non exerit actionem, id non imputandum erit alicui morbo, qui illius actionem labefactaret: cum ventriculus nullo interim affectus sit morbo: sed exuperanti alimento, quod tanquam externum aliquod erratum, ut Galen. etiam appellat, impedimento est, quo minus facultas agat, haùd secus atq; solidum corpus interiectū, inter fabrum, & lignum, impedimento est, quo minus artifex operari queat. Cùm itaq; facultas, (quæ actionis, ut ostendimus, causa est,) illabefactata sit, illæsa extraq; omnē noxam posita, ut integra & illabefactata causa, actio eius lædatur, fieri nō potest. Si actio seu concoctio nō est læsa, quomodo exuperās alimentū eam lædat, quæ nihil noxæ habet, non video. Exuperans igitur alimentū, veluti quidam externus error, perinde atq; intempestiva alimēti sumptio, brevis somnus, & id genus alia, quæ lib. 3. de Sympt. causis cap. 1. recenset Gal. impedit quo minus facultas, quæ tamē nullā in sua essentia noxā obtinet, agere queat. A' scopo itaq; aberrat hic, & sua frustratur actione facultas concoctrix, non certè quòd ulla, sive in eius, sive etiā in ventriculi essentia, noxa sit, sed quòd ab externo aliquo, nempe alimento exuperante, impediatur. Nihil verò mirum, facultatem illabefactatam & integram, alimentum copiosiùs evincere

Facultas non agit aut propter morbum aut errorem externū, obiectumq; improportionatum.

Exuperans alimentum lædit coctionem, tamquā error externus.

non posse, cum, Galeno quoque suffragante, in lib. 1. de Diff. feb. c. 4. causa nulla, sine patientis aptitudine convenientiq; dispositione agere possit. Ineptum igitur cùm sit largius alimentum, ut à facultate cōcoquatur, quid mirum cur in illud non agat? Proinde exuperans alimentum cōcoctionem per se, primò & nullo interveniente non lædit, quod adversarii Galeni contendūt. Id enim si faceret, causam huius actionis, principalem nempe facultatem cōcoctricem, quę prima est concoctionis causa, ut labefactaret, adeoq; huic noxam aliquam inferret, necesse esset. Nullam verò illi infert noxam, igitur & eius quoq; actio noxa vacet, oportet. Perspicuum itaque evadit, alimentum exuperans, cum nullam facultati noxam inferat, actionem labefactare non posse. Illæsa namq; causa, illæsa quoque maneat actio, oportet. Impeditur tamen ab eo facultas, perinde atque artifices ab externis rebus, quo minus operentur, impediri solent in dies. Neque tamen ita impedit, ut ventriculi, aut alterius partis morbi, actiones earundem impediunt & lædunt. Nam morbi impediunt, quia noxam aliquam, etiamsi sunt instrumentales, facultati inferunt. Quod Galen. etiam ostendit libro 3. de Sympt. causis capite primo, ubi ita scribit: Facultatis noxa, bifariam accidit, aut propter suam essentiam, aut aliquem instrumentalem morbum. Quæ in propria facultatis essentia noxæ eveniunt, intemperies quædam sunt, effectricum qualitatum. Quæ verò ab instrumentalibus morbis oriuntur facultatum noxæ sunt erysipelata, œdemata, phlegmone, scyrrhus, abscessus, carbunculi, & id genus alii. Per hæc verò omnia ventriculus malè concoquit, facultate eius, quæ concoquit, læsa. Hæc ille. Alimentum autem impedit concoctionem, citrà id, quòd vel ventriculum, aut eius facultatem concoctricem lædat. Non esse autem læsam, hinc fit manifestum, quòd hæc ipsa, alimentum, ea, qua decet, mediocritate oblatum, exquisitè concoquere possit. Impedit igitur tanquam exter-

Morbi facultatibus quia noxam inferunt ideo actiones lædunt.

In ingluvie concoctricem neutiquam læsam unde pateat.

externum aliquod erratum, quod nullam ventriculo aut eius facultati noxam infert. Impedimentum tamen hoc, subinde cruditatis causa est, quæ varios parit morbos, quòd in causa sit, cur vitiosi humores in corpore procreentur, ut in fine libri de Cibis boni & mali succi Galenus ostendit. Cruditas itaque quæ exuperans alimentum comitatur, causæ, non symptomatis rationem habet. Nam nullo præcedente morbo, perinde atque illa, quæ ex vitiosis cibis efficitur, in corpore excitatur. Vitiosi namq; cibi, etsi ab eo, qui optimè valet, concoctricemq; facultatē robustissimam obtinet, assumantur: tamen alterari, in familiarē animanti qualitatē, adeoq; cōcoqui nequeūt planè. Longior fui fateor, quā par erat, atqui adversariorū hac in parte mirificæ argutiæ, brevibus dilui haud potuerunt. Pergunt adversarii, & à definitione morbi, quā Galenus attulit, non excludi quædā symptomata aiūt. Nam corneæ tunicæ præter naturā color, affectus est aiunt, lęditq; primò actionē, nec interim est morbus. Hæc illi. Affectū esse corporis visilē, hunc colorē, negare haud possumus. Lædere autem eundē actionē primò, & immediatè, id est, quod cōstanter negamus. Non enim color actionē lædit, sed morb. cuius hic citrinus rube⁹, &c. color p. n. symptoma est. Morbus porrò quē color dictus insequitur est humor ille, qui p. n. ad corneam affluit, quiq; visum lædit, facitque ut talia planè appareant visa, quale est mediū, per quod cernimus. Atqui nō licet in pręsentia singula adversariorū argumenta excutere: si enim hoc conaremur, in iusti voluminis molem hoc caput exiret: Differemus itaq; horū pleniorem confutationem, donec commodiorem nacti fuerimus occasionē, quę nobis offeretur, si Deus permiserit, ut nostrorum, in lib. Gal. de Morb. & sympt. differentiis commentariorum alteram editionem adornemus. Porrò quùm iam evicerimus, morbum esse affectum præter naturam propriè sumptum, id est, stabile quippiam, & alterationem post actionem derelictam

Cruditas non tam symptoma, quàm morbi causa.

Corneæ tunicæ color præter naturam, non lædit primò actionem.

Fuchs. commentaria in l. de morb. & sympt. differentiis.

Galenus non tantùm qualitatem, sed & substantias morbos appellat.

liquidò constat, Galeno non tantùm qualitatem, u Aristoteli, sed & substantias morbum appellari. Nam Galenus morbum nominat omnem affectum præte naturam, qui naturalem corporis temperaturam, & structuram immutat, ac destruit, sive is qualitas, siv substantia fuerit. Sic certè cap. 8 libri de Differ. morb lapidem in vesica, suffusionē, & pterygium morbo expressis verbis nominat. Nemo autem erit, qui lapidem, vesicæ structuram labefactantem, qualitaten nominabit. Neque erit, qui suffusionem humorém ve lentum, & glaciei modo inter corneam & crystallinum humorem concretum, visumq; remorantem adeoque morbum existentem, qualitatem esse dicet Et quis eò stuporis perveniet, ut pterygium, sive nervosam in adnata tunica procreatam, visumque auferentem penitùs membranam, qualitatem nuncupare audeat? Nō solùm verò in eo, quem jam citavimus, loco Galen. substantias morbos nominat, sed lib 14 Ther. Method. cap. 18 ubi inter morbos commemorat atheromata, steatomata, meliceridas, ascarides, lumbricos, in articulis & pulmonibus procreatos callos, inque renibus & vesica calculos, & in hæc verba prorumpit: Quippe in omnibus his morbis, communis est substantiæ generatio, quæ antè non fuit. Verùm hîc adversarii iterum Galeni placita impugnant, & lapidem in vesica, unguem in oculo, imò calorem præter naturam, non esse morbos, sed morbi causas contendunt. Nam, inquiunt, si hęc morbi sunt, quænam, quæso erit causa proxima morborum memoratorum? Esse autē morbi causas, non morbos ipsos, satis constat. Caloris enim excessus, temperiem vitiat, & lapis in vesica, unguis in oculo, & sextus digitus in manu, eo quòd pars una addatur superflua, numerum partium, & inde structuram earundem corrumpit. Quòd si calor ipse morbus est, quid erit ipsa intemperies, quę ob calorem exuperantem committitur? Si lapis, vel unguis in oculo, morbus esse creditur, quid erit ipsa structura, partis naturæ contraria?

Lithiasis catharacta Pterygium sunt morbi.

Loca Galen. in quib. morbos quosdam substantias nominat.

Adversariorum opinio confutatur.

traria? Hactenus bona fide adversariorum verba retulimus, è quibus iterum perspicuum evadit, studium novitatis ita præstrinxisse aciem oculorũ eorundem, ut quid dicant, videre nequeant. Quod ut clarè cognoscant studiosi, breviter ipsorum verba excutiemus. Quum quærunt, si hæc morbi sunt, quænam erit causa illorum proxima? Respondeo, si causam proximam vocant eam, quæ propriè continens appellatur, nulla prorsus ejusmodi in illis erit causa, quod præcedenti capite, ostendimus jam fusissimè. Sin proximam appellant immediatam, tunc caloris præter naturam lædentis actionẽ, sive febris ipsa, putredo erit causa similiter. Lapidis in renibus & vesica, humores crassi & lenti. Vnguis in oculo, utilis alicujus materię redundantia, unde membrana illa procreatur. Sexti digiti, itidem utilis materiæ abundantia est causa. Nam inter has planè causas, & jam dictos morbos, nihil intervenit magè propinquum. Sed esse causas morbi, quos nos, Galen. secuti, morbos esse affirmamus, quo pacto adversarii ostendant videamus. Caloris enim excessus, inquiunt, temperiem vitiat. Quid audio? quis unquam vel veterum, vel recentiorum medicorum ita locutus est, ut diceret caloris excessum, temperiem vitiare? imò caloris excessus, est ipsa temperies vitiata, sive, ut uno verbo efferam, intemperies. Neque enim intemperies, nisi calor exuperans existit. Id quod certè innuere voluit Galen. lib. 8. Therap. Method. cap. 1. ubi ait: ἐστι δὲ ἡ ἀμετρία τῆς τῶν πυρεττόντων δυσκρασίας, ἐν πλεονεξίᾳ θερμότητος: Excessus intemperiei febricitantium, est in abundantia caloris: hoc est, intemperies febrilis immoderata, non est nisi exuperans calor, seu caloris abundantia. Non autem, ut adversarii interpretantur, febris est intemperies ab excessu caloris facta. Nam si aliquid tale significare voluisset Galenus, non ἐν πλεονεξίᾳ, sed ἀπὸ τῆς πλεονεξίας, aut ὑπὸ πλεονεξίας dixisset. Sed ita violenter torqueant in suam senten-

Calculũ, unguem &c. nõ morbos, sed horum esse causas.

Intemperies calida est ipse calor exuperans.

tiam veterũ dicta necesse est, qui novi dogmatis authores esse cupiunt. Quum quærunt deinceps, si lapis, vel unguis creditur esse morbus, quid erit ipsa structura partis, naturæ contraria? Respondeo, morbus quivis, actionem vitians. Nam sicut Galen. lib. 2. Therap. Methodi docet, ut constitutio, sive structura, affectúsve secundum naturam est causa probæ actionis, ita structura, seu constitutio vitiosa, læsæ actionis est causa. Quod igitur constitutionem naturalem vitiat, morbi causa est: constitutio autem vitiata, morbus. Verbi gratia, quicquid temperiem, & legitimã partium corporis structuram vitiat, est causa morbi: constitutio autem & temperies vitiata, sive intemperies & mala cõpositio actiones lædit. Cum itaque lapis in vesica, & unguis in oculo toto genere præter naturam substantiæ sint, ideo causæ, quæ illas procreaverũt, structuram naturalem tùm vesicæ, tùm oculi labefactarunt, & quæ ab illis nata est substantia, lapis nimirum, cum actionem primùm & immediatè labefactet, morbus rectissimè dicitur. Quòd autem sextus digitus non sit morbus in numero, adversarii hac ratione monstrare nituntur. Si, inquiunt, partem ipsam numero excedentem, morbũ esse contendas, ut sextum digitum, concedas etiam oportet eam, quę à naturali numero ablata est, ut digitum abscissum, inter morbos reponi. Respondeo, nequaquam: neque enim id quod è corpore sublatum est, actionem lædere potest, cum non amplius adsit: sed refertur rectissimè morbus, ad eam partem, unde digitus ille abscissus est. Nam sectio ejus partem ademit, adeoque structuram vitiavit, quæ & ipsa, nunc illius partis actionem labefactat. Secto igitur digito in corpore, relinquitur, pars in manu, unde ademptus est digitus: hujus igitur jam morb. existit, haud secùs atque abolito gurgulione, palati, & spatii oris quod remanet, est morbus. Proinde cùm ad probam partium instrumentalium compositionem requiratur justa conformatio, magnitudo, numerus, & conjunctio

Sextus digitus, an sit morbus in numero.

E corpore sublata, actionẽ lædere nequeunt.

junctio ſimilarium, ut adverſarii quoq; fatentur, igitur in juſta conformatione, magnitudine, numero, & poſitu ſanitas conſiſtit, ut contrà morbus in indecenti conformatione, magnitudine, ac numero obſervatur. Sed hîc deſinam, nec plures adverſariorum rationes attingam, quòd ex iis facilè, quid de cæteris eorundem argumentis ſentiendum ſit, ſtudioſi cognoſcent, nec fert inſtituti noſtri ratio, niſi in maximam molem excreſcere velim has Inſtitutiones, ut in iis diluendis progrediar.

DE MORBORVM PARTIVM SIMI-*larium generibus, & differentiis.* Cap. IV.

POſtquàm morbi definitionem, abundè in præcedenti capite enarravimus, ut ejusdem genera, & differentias nunc oſtendamus, & proponamus reliquum eſt. Sunt autem tria in univerſum prima morborum genera. Vnum, quod in ſimilaribus conſiſtit partibus, ob id ſimilare appellatum: alterum in inſtrumentariis, inſtrumentarium dictum: & tertium quod utrisque commune eſt. Primi generis morbus, qui in ſimilaribus conſiſtit, Græcis *νοσώδης δυσκρασία*, Latinis morboſa intemperies dicitur. Neq; temerè fit, quòd ita Græcis appelletur: eſt enim alia quæ *ὑγιεινὴ δυσκρασία*, id eſt, ſalubris intemperies vocatur. Cùm enim inteperies ſit, ubi qualitates primæ, ſeu elemēta ipſa, à legitima ſymmetria cōmoderationéve ſua, & harmonico cōcentu deflectunt, duplex certè ſit intemperies, neceſſe eſt. Vna ſalubris ſeu ſanitatis, quæ à media & optima temperie paululum abeſt, ita certè ut nulla adhuc animalis functio manifeſtè ſit læſa, labefactata. Vt hinc pateat ſanitatis magnam eſſe latitudinem. Quantū enim intervallum eſt, inter id, quod perfectiſſimè functionē ſuam obit, & inter id, quod manifeſtè aliquā oblęſam actionem habet, tanta eſt profectò & ſanitatis & intemperiei, quæ ſalubris eſt, & intrà ſanitatem conſiſtit, latitudo.

Tria ſunt prima morborum genera.

Intemperies quid.

Intemperies duplex.

Salubris.

Sanitatis maxima eſt latitudo.

Quapropter si sanus quispiam imbecillius altero, qui secunda etiam valetudine præditus est, functiones obeat, nōdum verò evidenter læsas obtineat, intemperantior, hoc est, maiori intemperie præditus sanè est, sed nōdum ægrotat. Quòd si verò ex sanis, alios temperatos, alios intemperatos dicere alicui minus commodum videatur, is alterum duorum fateatur necesse est, vel omnes perpetuò ægrotare, vel unam esse omnium temperiem: quorum certè utrumq; absurdum, & à veritate alienum, nemo non videt. Proinde non absoluta ipsa tantùm accuratissima, & quæ insectilis, simul est & dicitur sanitas, sed etiam ea, quę ab hac deficit, modò usibus nostris adhuc non sit inepta. Et profectò nisi in eum modum de sanitate statuamus, ἀειπάθειαν, hoc est, perpetuam invaletudinē invehemus, ut fusiùs lib. 1. de Tuen. sanitate, cap. 5. & aliis quibusdam locis Galen. docet. Altera intemperies morbosa nominatur, estque ea, in qua animal, intemperiei vitio ægrotat, adeoq; longissimè ab optima temperie recedens, manifestas functionum patitur noxas. Suntque hujus aliquæ differentiæ Vna est, in qua corpora similaria nudis qualitatibus alterantur, ut est ea, per quam, caput à sole, plurimùm incalescit. Altera in qua, cum qualitatibus jam dictis, substantia quædam vitiosa, humórve aliquis ad ipsas confluit corporis nostri partes, ut evenit in omnibus præter naturam tumoribus. Primam, nostri temporis medici, intemperiem sine materia immaterialémve, alteram intemperiem cum materia vel materialem vocant: Galenus intemperiem cum affluxu humoris, & libr. 12. Ther. method. cap. 7. κακοχυμίαν appellat. Vt admirationē non levē mereatur, quòd Valleriola in suis locis communibus scribat, omnem intemperiem, sive ea nuda sit, sive cum affluxu humoris, similaris partis morbum esse, nihilominus tamen neget humorem morbi appellatione non venire. Annon hæc sibi maximè pugnantia, & contradictoria esse omnes fatebuntur? Prior distribuitur in quatuor simplices,

Status corporū neutralis.

ἀειπάθεια.

Morbosa.

Intemperiei morbosæ differentiæ.

Nudæ qualitatis.

Cum affluxu humoris.

plices, calidam tantùm, frigidam tantùm, humidam tantùm, & ſiccam tantùm. Simplices autem appellantur, quòd in ſingulis, una duntaxat qualitas, à modo naturæ recedit. Totidem quoque compoſitas, calidam ſcilicet & humidam, calidam & ſiccam, frigidam & humidam, frigidam & ſiccam. Compoſitæ autem ſunt dictæ, quòd in ſingulis, plures elementorum qualitates, à naturali habitu, & ſymmetria, aberrant. Eſt item alia intemperiei morboſæ differentia, quòd una ſit æqualis, altera inæqualis. AEqualis intemperies eſt, ubi omnes corporis particulę, æquabiliter ad aliquam definitam intemperiem verſæ, aut juſto calidiores, aut frigidiores, aut ſicciores, aut humidiores, vel per conjugationem quædam calidiores ſimul & ſicciores, quędam humidiores pariter & frigidiores, quædam humidiores & calidiores, quædam ſicciores & frigidiores redditæ ſunt. Inæqualis contrà intemperies eſt, ubi non omnes corporis partes æquabiliter ad aliquam intẽperiem verſæ ſunt. Vel brevius, eſt quæ non omnibus intemperanter affectis corporis particulis ineſt. Atque hæc nonnunquam fit in univerſo animalis corpore, veluti in ea hydropis ſpecie, quæ anaſarca dicitur: & in iis febribus, quas hepialas vocant. Nam in anaſarca crudus & pituitoſus, adeoque aquoſus ſanguis per univerſum corpus diſtribuitur, unde ſolidę corporis partes, ab adventitio frigore alteratæ, in aquæ naturam reſolvuntur, totumque corpus inæquale redditur. In hepialis febribus, uno & eodẽ tempore in toto corpore æger frigeſcit, & caleſcit, maximaque inæquali intemperie graviſſima vexatur. Nec eſt, cur quiſpiam miretur, qui fieri poſſit, ut uno & eodem tempore, in quavis corporis parte, caliditas ſimul & frigiditas ſentiatur. Cùm enim calidum & frigidũ contraria ſint, nequaquam in eodem ſubjecto ſimul eſſe poſſe videntur. Suapte namq; natura circa idem ſubjectum ſe invicem expellunt contraria. Quippe calidum & frigidum in hepialis febribus eodẽ ſentiuntur tem-

Simplex.

Cõpoſitæ intẽperiei differentia.

AEqualis.

Inæqualis.

In univerſo corpore.

Num uno & eodem tẽpore, in quavis parte corporis calidum ſimul & frigidum ſentiatur.

pore: atqui non velut contraria gratia graduum excellentium, sed sicut contraria existentia in remissis gradibus, adeoq; alterantia, quæ adhuc in sensilem partem agere videntur. Non igitur à vero alienũ est, sensibilem partem eodem tempore & loco, à contrariis qualitatibus fractis, & remissis alterari. Quemadmodũ enim oculus eodem tempore albũ & nigrum expeditè videt: ita & in sensibili parte, calidi & frigidi alterationem, simul esse multoties apparet. Fit verò & in una qualibet parte, quum ea vel tumore aliquo præter naturam laborat, vel supra modum aut calefit, aut frigefit, aut siccatur, aut humectatur. Cæterùm æqualis intemperies nullo dolore affligit partes corporis, quòd nimirum particulæ laboranti, jam veluti acquisititia natura adsit. Nullum autem corpus à sua ipsius natura infestatur. Quippe, ut Hippoc. ait in lib. de Homine, dum mutantur, & à sua natura recedunt, corrumpuntúrve corpora, dolore afficiuntur, nõ autem quum jam natura mutata, aut corrupta est. Atq; hinc est, quòd in Aphorismis etiam scriptum reliquerit: „ dum pus conficitur, dolores accidũt magis, quàm jam confecto. Inæqualis contrà temperies, quum in ea, partes non sint æquè excalefactæ, aut refrigeratæ, adeoq; ex illis nonnullæ adhuc mutentur, & alterentur, necessariò dolorem inducit. Atq; hactenus de similarium partiũ proprio morbo intemperie, de Galeni & aliorum medicorum sententia diximus. Non me latet autem esse hodie medicos, qui nimiùm philosophantes, usitatam hanc loquendi rationem, novitatis studio ducti, perturbant, & non unum esse in similaribus partib. morbi genus, sed præter intemperiem, duo alia esse contendunt genera, quorum unum ad materiam partium similarium, alterũ ad formam earundẽ referunt. Quasi verò Galenus sub nomine intemperiei non hæc omnia, maximè formam, cõplexus sit. Quippe materiam partium similarium esse dicunt, cujus ratione qua illæ laxæ aut adstrictæ, molles

Simile de oculis.

In una qualibet parte.

Æqualis intemperies cur nullo dolore afficiat.

Quando, & quomodo fiãt dolores.

2. Aph. 47.

Inæquales intẽperies dolores secum inducunt.

Eorũ sententia, qui plura esse in similarib. partibus morborum genera statuunt.

Materia morbi.

molles aut duræ, craſſæ aut tenues, raræ aut denſæ, adeoque exactiore vel obtuſiore ſenſu præditæ ſunt. Proinde quotiescunq; pars aliqua laxior, adſtrictior, tenuior, craſſior, rarior, dēſior, mollior, duriórve efficitur, materiam partium ſimilarium vitiari contendunt, eaque vitiata, partis robur atque valetudinem infringi, adeoq; morbo corripi, qui non ad intemperiem, quæ ex primis qualitatibus provenit, ſed ad materiam potiùs referri debeat. Formam partium ſimilarium vocant earundē eſſentiam, totámve ſubſtantiam, à materia & temperamento diverſam, illamque à ſemine, & diviniore longè principio naſci, quod Avicenna quoque exiſtimavit, & actionum cauſam eſſe, ſtatuunt. Totam hāc ſubſtantiam, perfectionem eſſe & integritatem, qua res, unaquæque conſiſtit, dicunt. Quare quoties hæc immutatur, & de perfectione decedit, penitúsve expugnatur, morbum eſſe totius ſubſtantiæ aſſerunt. Sed philoſophorum hæc ἀκριβολογία eſt quam ſtudio dataque opera Galenus, & qui hujus ſectantur dogmata medici evitare voluerunt, ut qui tùm materiam, tùm formam, ut illi nominant, ſub temperamento complecti maluerunt. Nam cùm Galeno, ut metipſe multis in locis teſtatur, temperamētum idem ſit ſignificet quod natura, eaq; ipſa non ſit niſi univerſa eſſentia ac temperatura ex primis elemētis, calido, frigido, humido, & ſicco conflata, neceſſe eſt fateamur temperamentū ſimilarium partium, non ſolùm eſſe elemētorum qualitates, ſed eorundem etiam ſubſtantias, ſive eſſentias. Atque hinc eſt, quòd in lib. 1. de Vſu partium cap. 9 temperamenta, propriam, particularum eſſentiam, complere dicat. Nemo autem eſt, qui neſciat, eſſentiam partium, non ſolùm ex qualitatibus, ſed etiam ſolidis & carnoſis, ex ſubſtantiis compleri. Et lib. 1. de elementis non ſolùm ex qualitatibus, quæ ſeorſum ſine corporibus conſiſtere nequeunt, gigni animalia, ſed ex corporibus potiùs, quibus illæ qualitates ſummæ inſunt, ſcribit. Quòd verò interdum aſſerit Galenus

Formæ morbi.

Galenus ab iniuria defenſus, quod ſcilicet materiam & formã ſub temperamento cõplectatur.

2. Aph. 34.
3. Aphor. 2.
3. de temper.

Primæ qualitates ſtirpium opifices cur vocitat Galenus.

primas qualitates, esse stirpium & animalium opifices, aut essentiam singulis, à tẽperie quatuor primarum qualitatum accedere, id non alia de causa fit, quàm quòd solæ illæ in causæ sint, mutuæ inter se se elementorum transmutationis Neque enim quum ex elementis, animalium aut stirpium corpora generantur, talia, qualia sunt, remanent elementa, sed alterantur, & permutantur. Quòd igitur partes quædam similares sint laxæ, aut adstrictæ, seu raræ aut densæ, id nõ fit nisi ratione temperamenti, quòd certè ejusmodi est, ut in hac parte, plus sit terreæ, in illa plus aëreæ naturæ. Hinc accidit, ut cordis, renum, & jecoris substantia sit densa, ac dura; pulmonis verò rara ac mollis, aliæq; partes, alias, obtinuerint qualitates. Quanquam autem elementorum corpora maximè efficiant, ut nonnullæ corporis partes raræ & molles, quædam verò densæ & duræ sint, tamen id non fit sine actione calidi & frigidi. Siquidem Arist. & eum sequentes Philosophi, raritatem, densitatem, levitatem, gravitatem, mollitiem, duritiem, & id genus alias qualitates non nasci statuunt, nisi ex varia commistione humidi & sicci, per actionem calidi & frigidi. Omnia namq; mista, varias formas, variosq; essentiæ modos, ex parte ipsius materiæ, recipiunt, prout humidum & siccum, quæ ob id Aristot. passiva dicuntur, in mistione per actionem calidi & frigidi patiuntur. Atque hinc est, quòd omnes illæ qualitates ab iisdem secundæ nominentur, quia ex primis, quæ mutuæ elementorum inter se, (ut comprehensum est) actionis causę sunt, procreentur. Quippe calidum non solùm calefacit, sed & corpora ejusdem speciei & cognata congregat, diversarum verò specierum separat: quod in metallis cõspicuum evadit; quorum quæ cognata sunt, à calore congregantur: quæ autem inter se diversa sunt, ab eodem calore dissolvuntur ac separantur. Idem calor rarefacit, attenuat, discutit, laxat, aperit, incidit, & attrahit. Frigidũ elementũ similiter non tantùm refrigerat, sed & congregat,

Ex elemẽtis, quomodo generẽtur mixta.

Secũdæ qualitates omnes, oriuntur, à primis.

2. de Ortu & inter. cap. 2.

Secũdæ qualitates.

Calidi effectus.

Frigidi.

gregat, adstringit, dēsat, obstruit, indurat & incrassat. Cùm itaq; Philosophorum veterum etiam testimonio, raritatis, densitatis, & id genus aliarū qualitatum procreatio, non sit nisi temperamēto, (ut jam ostendimus) accepta referenda, minus rectè, nec satis candidè faciunt, qui hoc nomine Galenū accusant, quasi verò raritatē, densitatem, mollitiem & duritiem, non ad materiam, sed temperamentum retulerit. Atq; ii etiam ut Galenum reprehendant, & suæ opinioni fidem faciant, falsis coguntur uti hypothesibus. Siquidem permultos videas præditos, inquiunt, optimo temperamento, qui neq; calorem, neq; frigus, neque laborem, neq; ullam exuperantiam perferunt, hac sola ratione, quòd molli, raro, laxoq; sunt corpore. Sed non concedimus illis quod assumunt. Neque enim mollis raraque corporis constitutio sola in causa est, cur corpora illa nullum excessum ferre possunt, sed universum potius temperamentū, quod optimè temperatum est, adeoq; excessus omnis expers. Quare si in ista mediocritate perdurare debet corpus, ab omni excessu sibi caveat est necesse. Inficias preterea imus, quòd corpus optimè temperatū possit dici molle & laxum: quod enim optimè temperatum est, omnis excessus expers est, quare nec molle, nec laxum, nec gracile, nec crassum dici potest: sunt enim hęc omnia excessus nomina. Esse autem excessus nomina, notius est, quàm ut demonstrari debeat. Et si non sunt excessus, qui fit ut in genere medicamentorum sint, quæ indurent, constringant, rarefaciant, & condensent? Sed quòd mollis & rarus corporis habitus sit vitiosus, adeoq; cum optimo temperamento consistere non possit, ex ipsorū verbis evincemus. Tale enim evasit, inquiunt, vel ex pauco imbecillóve semine, vel ex molliore delicatioreque vita, ex qua etiam molles solent appellari. Quomodo autem, quæso, ex pauco imbecilloque semine temperatum possit procreari? Annon extremæ est dementiæ, hoc ipsum affirmare, quod nemo sanæ mentis concedet? Annon mollior

Recentiorum falsissimæ, pro tuendo suo errore hypotheses.

Habitus corpórum molles & rari quare, nullū perferre queunt excessum?

Mollis habitus cur vitiosus?

delicatiorq; vita adscititii temperamenti intemperati causa erit? quod certè id quod præcessit, optimum etiam temperamentum, labefactat & perturbat. Falsum itidem est alterum, quod assumunt, nempe videri plurimos intemperatos, ut rusticos, qui tamen validi sint. Nam ut is validus sit, qui itẽperatus est, rationi consentaneum minimè gentium est. Concedimus quidem faciliùs ferre rusticos externas injurias, quippe qui partes similares firmas & densas habent, modò ita se habeat illorum etiam temperamẽtum, ut actiones non impediat. Quapropter rectissimè Galenus imbecillitatem, intemperiei, sobolem esse contendit. Non est igitur, ut adversariis nostris concedamus, raritatem & densitatem, partium robur & valetudinem infringere, adeoq; morbos esse, cum sint potius morborum causæ. Siquidem raritas, ut Galen. cap. 2. libri de Morborum causis ait, si modum non servat, discutiendo & dissipando nativum calorem, corpus frigidum reddit. Non itaque raritas actionem lędit, sed frigida intemperies, quę illam necessariò comitatur. Sic dẽsitas corpus, eo quod transpirationem prohibeat, & fuliginosa excrementa intùs retineat, calidius efficit, adeoque febrem excitat.

Raritas, & densitas morborum sunt causæ.

Iam concidunt etiam ea, quæ de exuperante & deficiente, seu exquisito & hebeti sensu afferunt. Quum enim ejus causam in raras, laxas, & molles, dẽsas, adstrictas, & duras partes referant, quę hoc nomine dissolutæ atque imbecilles, aut solidæ, firmæ, & robustę sint, in partium simul referunt temperamenta, quæ in causa sunt, cur rarę aut densæ, (quemadmodũ ostendimus,) in constitutione sua sint redditæ. Hinc Galenus verissimè in libello de Constitutione artis medicę, & alibi passim dixit, ex quatuor elementis simul contemperatis, corpus unũ similare gigni, quod pro varia temperamenti ratione, aut particeps sensus, aut illius planè expers evadit. Monstratum est itaq; à nobis hactenus, Galenum, sub temperamento, complexum esse materiam, nũc in forma idem accidisse docebimus.

Sensus exquisiti, & hebetes.

cebimus. Totius corporis formam, temperaturam, & minimè animam, Galenum statuere, è multis eiusdem monumentis est conspicuum. Id quod non alia de causa illum fecisse constat, quàm quòd temperaturę immutatione, actiones mutari, atq; etiam animam ipsam à corporis temperatura, vario affici modo, conspexit. Vt autem totius corporis, ita etiam singularum partium formam, esse earundem temperaturam dixit, non quidem solarum primarum qualitatum, sed & primorum corporum, vi qualitatum transmutatorum, ex quorum quidem commistione, proprietas quędā temperamēti, (ut lib. 3. de Temper. cap. ult. appellat,) nascitur. Hanc alio nomine, totam rei substantiam creberrimè vocare solet, alii occultā aut specificam qualitatē: alii aliter nominat. Et metipse etiam Galenus eam temperamenti proprietatem, sepenumerò qualitatis nomine donat. Hinc est, quòd l. 3. de Simplic. medic. facult. cap. 20. medicamēta purgantia, substantiarum similitudine, libro verò quinto eiusdem operis, cap. 16. qualitatū familiaritate, attrahere ait. Nihil autem referre, hoc vel illud dicas, ibidem non obscuris verbis innuit, inquiens: Aliud est ,, attrahentium medicamentorum genus, quod quali- ,, tatis familiaritate attrahit: id quod aliud est nihil di- ,, cere, quàm totius essentiæ similitudine, medicamenta trahere. Proinde quum tota rei substantia perfectio sit eiusdem & integritas, qua res unaquæq; consistit, ac quoties illa immutatur, & de perfectione decedit, res tota continuò perfringitur, nihil prohibemus, illius decessionem, morbum totius substantiæ appellari, modò intereà Galenus nō reprehendatur, qui illum ad intemperiem retulit. Nam & ille, intemperiem, duplici modo essentiam rei corrumpere statuit. Vno, quùm idipsum manifestarum qualitatum fit occasione. Alio modo, quando idipsum abditæ cuiusdam causæ ratione accidit, quæ illam proprietatem temperamenti, ex commistione primorum corporum natam corrumpit. Atque hinc est,

Forma corporis de Galeni sententia est tēperamentum, & neutiquam anima.

Forma partium.

Purgantia medicamēta, ut & quomodo agant.

Tota rei substantia.

Intemperies rei essentiam, bifariam corrumpit.

Intemperies manifesta alia. Alia occulta.

quòd primū genus intemperiei, quam nos clarioris doctrinæ gratia manifestam vocabimus, per medicamenta, quæ manifestis qualitatibus illam oppugnāt, curandam esse docet. Alteram verò intemperiem, quam occultam nominabimus, per ea, quæ tota substantia, & temperamenti proprietate, illi adversantur, curandam tradit. Cùm itaque tùm morbi, tùm eorundem medicamenta multoties nulla ratione constent, ac inveniri possint, sed sola experientia cognoscantur, ideo in lib. de Morborum differentiis, ubi methodo, & ratione morborum etiam similariū numerus docetur, occultæ intemperiei nulla facta est mentio, non certè quòd nullas eiusmodi esse putaret: quomodo enim aliàs medicamenta esse docuisset, quæ substantiæ aut temperamenti proprietate, & non manifestę qualitatis alicuius ratione prodessent; sed quòd eas methodo non subesse existimaret. Cæterùm non negamus aliquas qualitates, ut vocant, specificas, & vires peculiares, corporibus à Deo Opt. Max. esse inditas, quas commistioni primorum corporum peculiari & occultæ acceptas, referre non possumus. Voluit enim Deus haud dubiè remedia, certis rebus, contra certos morbos indere, ut in iis, divinæ providentiæ suæ, elucerent subinde testimonia, & hinc immensam erga nos illius beneficentiam agnosceremus, quòd vitam nostrā tot remediis datis tueri, & à morbis vindicare voluit. Hanc tantam Dei misericordiam ac clementiam erga nos homines, cùm Galenus, utpote nulla Christi cognitione illuminatus, ignoraverit, nihil mirum, eundē omnia misturæ primorum corporum tribuisse, præsertim quùm id suæ professioni maximè conveniret. Sed ut finem tandem huic disputationi imponamus: cùm Galenus disertè scribat, temperamenta partium essentiam complere, & mistorum essentia, non constet nisi ex materia & forma, quod philosophi uno omnes ore affirmant rectissimè, utraque sub temperaturæ nomine complexus est, utpote quo non solùm prima-rum

Qualitates specificæ etiam complures, corporibus inditæ.

Epilogus.

Temperamēti nomine, & titulo quæ, & quot fue-

rum qualitatum, sed & primorum corporum, quibus illæ insunt, mistionem intellexit. Ideoq; & eos, quos alii ad materiam & formam referunt similarium partium morbos, ipse ad unã retulit intemperiem. Proinde in libri de Morborum differẽt. ca. 4. ita scriptum reliquit: Nullus, primorum morborum, qui similaribus partibus proprii sunt, ratione curari potest, sine primorum elementorum contemplatione studiosissima.

rit complexus Galenus.

DE GENERIBVS ET DIFFERENTIIS MORBORUM INSTRUMENTARIARUM PARTIUM, PROPRIORUM.

Cap. V.

EXpedito primo morborum genere, quod in similaribus tantùm observatur partibus, ad alterum, quod in instrumentariis duntaxat consistit, transeamus nunc oportet. Hoc certè à nostræ ætatis medicis, mala constitutio seu compositio, & morbus officialis nominatur. Cæterùm sicuti domũ rectè constitutam iudicamus, quùm omnes suas partes, iusta magnitudine donatas habet, omniumq; earum iustam connexionem ac posituram est consecuta: ita quoq; partes corporis instrumentarias, rectè se se tunc habere dicimus, si probam conformationem, magnitudinem, numerum, & positum nactæ fuerint. Ex quo sequitur, quatuor instrumentariarum partiũ morbos esse proprios, quorum unus in indecẽti cõformatione, alter magnitudine, tertius numero, quartus positura nõ cõvenientibus, & p.n. consistit. Quam conformationẽ dicimus, Galen sua lingua διάπλασιν nominat παρὰ φύσιν. Tria autem hac voce significantur, figura, cavitas & soliditas, asperitas & lævitas. Cùm itaq; eas partes malè efformatas dicamus, quæ vel indecentem figuram sunt consecutæ, vel solidiores iusto, vel perforatæ præter naturã, vel asperiores,

Mala compositio.

Genera quatuor morborum propriorum instrumentariis partibus.

Conformationis.

Figura.

vel læviores effictæ sunt, tria certè morborum genera in conformatione esse hinc consequitur. Vnum in figura; connata, vel adventitia: alterum in cavitate meatúve immodicè patēte, aut solida obturátave, & tertium in asperitate & lævitate. Ac in singulis generibus, alii atq; alii nascūtur morbi magè particulares. Nam figura, multis modis variatur, ut si partes, quæ natura rectę esse debent, curvantur; quemadmodum in valgis & vaciis accidit. Item si curvæ eriguntur, si rotundę, quadratę redduntur, si distorquentur, si disrumpuntur, luxantur, aut quocunq; modo legitima earundem figura depravatur. In partibus, quas natura cavitatibus & meatibus quibusdam insignib⁹ donavit, multiplices fiunt morbi. Vel enim prorsus perditæ sunt cavitates, vel angustiores, vel latiores, vel pauciores, vel plures sunt redditę, vel deniq; in iis partibus reperiuntur, quas solidas esse oporteret. At in asperitate & lævitate unicū solū genus statuitur morbi, exasperatis scilicet partibus, quas læves esse cōvenit: & illis lævigatis, quas asperas esse oportet. Quæ cum omnia Galen in lib. de Morb differ. exemplis aptissimis illustraverit, nō est cur de illis longiùs disseramus. Numerus partium iustus quādo corrumpitur, duæ nascuntur morborum differentiæ: aut enim pauciores sunt partes, aut abundant. Exempla horum sunt sextus digitus, unguis in oculo: item detruncatio aurium, digitorum ablatio, & eius generis alia. In magnitudine itidem duo morborum consistunt genera. Vel enim supra modū excrescit partium moles, vel minuitur plus æquo, & magè quàm ratio postulat. Incrementū verò duplex, nempe vel connatum, vel adventitium: quale erat, quod Nicomacho Smyrnæo accidisse refert Galenus. Cōnatum est, ubi quis magno admodū capite, lato pede nascitur. Minuitur in atrophia & alimēti defectu. In compositione, vel, ut nonnulli vocant, coniunctione partiū bifariam morbi accidunt. Primò, quùm positus mutatur: id quod fit, si partes suo minimè stent loco, & à suis

Cavitatis morbi.

Asperitatis & lævitatis morbi.

Numeri.

Magnitudinis.

Compositionis morbi duplices.

ſedibus recedunt: quemadmodum in luxationibus, herniis, ramicibus inteſtinorum & omenti, articulorumq; commotionibus evenit. Secundò, quum perperam cõnectuntur, ut ſi vincula fuerint laxa, aut intenta, aut abrupta, & ubi partes præter naturã coaleſcunt. Atq; hi ſunt ſimplices corporis partium morbi. Compoſiti earundẽ morbi ſunt, ubi cõplures ex ſimplicibus iam dictis particulam aliquam ſimul infeſtant, ut ſi in oculo ſimul ſit unguis, & lippitudo. *Compoſiti morbi qui?*

DE CONTINVI SOLVTIONE, *Similaribus & inſtrumentariis partibus communi morbo. Cap. VI.*

Continui unitatíſve ſolutionem tàm ſimilaribus quàm inſtrumentariis partibus eſſe communem, Galenus in lib. de Morborum differentiis, hac ratione probat: Si quùm ſecundum naturã ſe habent, aliquid ſimilaribus & inſtrumentariis partibus ineſt commune, quod actionem præſtat, omninò utiq; ſi idipſum corrumpitur, communis quidam utriſq; illis morbus ſtatuetur. Atqui communis eſt ſingulis partibus unitas, qua unaquæq; ſi prædita fuerit, una eſſe, & unam actionem, vel unum uſum reliquis paribus perficere dicitur. Si verò hæc, ob aliquam occaſionem ſolvatur, ipſa illius partis morb⁹ eſt. Hæc Galeni ratio planè evincit, continui ſolutionem eſſe utriſque partibus, communem morbum. Quippe nemo ſanę mentis inficias ibit unitatem eſſe id cõmune partiũ accidens, ꝙ animali functionẽ pręſtat, quod in cõfeſſo ſit, hac corrupta, cõfeſtim quoque actionem partiũ labefactari. Cæterùm inſtrumẽtariarum partium actionem lædi, earundem unitate corrupta, notiùs eſt, quàm ut demonſtrari debeat, nec eſt hodie ꝗ idipſum in dubiũ vocet, Similariũ verò partiũ non eadẽ eſt ratio: ſunt enim, quorũ ſentẽtiã nõnulli hodie Galeni adverſarii, magno conatu tueri *Cap. 4.* *Adverſariorum Galeni ſententiã improbantium argumenta diluuntur.*

ſtudent, qui unionem & continuitatem partium ſimilarium actionibus nihil prodeſſe, nec ſolutam obeſſe iisdem quicquam contendunt. Atqui huius opinionis aſſertores initio meminiſſe oportuit, omnẽ ſubſtantiam, quæ generationi & corruptioni ſubiecta eſt, unitam eſſe, adeoq; alterari poſſe, quod Hippocrates certè affirmat, & Galenus adverſus Epicurum, Aſclepiadem, Democritum, & Leucippum, qui vacuitatibus quibuſdam, hanc interceptam eſſe aſſerebant, in libro de Morborum, & tertio de Pulſuum differentiis oſtendit. Non eſt autem ſimilarium partium unio, ut Galenus in libello de Conſtitutione artis medicę etiam teſtatur, niſi à natura, vel, (ut ibidem etiam ait,) ab elementorum commoderatione. Si itaque unio ſimilarium partium corrumpitur, neceſſe eſt eorundem commoderationem, adeoq; partium ſimilarium eſſentiam, conſtitutionemque, quam ex primis elementis conſecutæ ſunt, vitiari: Hæc enim ita, in ſimilarium partium procreatione miſta, & contemperata ſunt, ut unitam earum ſubſtantiam effecerint. Neque enim negare poterunt, ſimilares partes ex quatuor elementis ſimul contemperatis eſſe procreatas. Si verò ſoluta unione, corrumpitur earundem eſſentia, ut iam oſtendimus: tunc actionẽ quoque illarum, utpote quæ conſtitutionem neceſſariò ſequitur, adeoq; ab ea veluti à ſua cauſa pendet, labefactari eſt neceſſe. Quùm autem corrumpi ſimilarium partium eſſentiam, per continui ſolutionem dicimus, non intelligimus eam ita corrumpi, ut in alteram ſpeciem transmutetur, & abeat: nam id ſolius eſt primæ qualitatis opus: ſed quòd unita ſubſtantia ſeparetur. Sed adverſus illa quæ diximus, adverſarii ita inſtant: Actiones ſimilarium partium ſunt, quæ naturales à medicis dicuntur, attractio: ſi retentio concoctio, & expulſio: Pars autem vulnerata, niſi intemperies concurrat ex affluxu humoris, attrahet, retinebit, concoquet, & expellet, & deniq; nutrietur, & augebitur, non minus profectò, quàm anteà, dum

Similares partes unde facta.

Similarium eſſentia ut corrũpatur.

Adverſariorum inſtantiæ, & obiectiones.

omnino

omnino erat integra, quemadmodum videmus in carnis procreatione fieri, ubi non solùm proba perficitur nutritio, sed etiã quod ex vulneris concavitate est deperditũ, actione partium divisarum restituitur. Hæc illi: Fatemur quidẽ, naturales actiones vocatas, omnibus similaribus partibus adhuc integris inesse: vulneratas autem & divisas, easdem actiones illabefactatas servare, hoc est quod constanter negamus. Quòd enim caro in vulneratis partibus procreatur, id non partibus divisis acceptum referendum erit, sed subiectæ potius carni adhuc sanæ & integræ. Ex ea enim carnis generatio, Galeno libro 3. & 4. Ther. Method. teste, ortum habet: ibidem namque inter alia sic scriptum reliquit: Subiectæ carnis affectus causæ rationem obtinet ad id, quod efficitur. Quippe ex hac, & per hanc, tùm quæ dissident, glutinantur: tùm quæ cava sunt, carne implentur. Quare falsum est, quod in sua probatione assumunt adversarii; id quod deperditum est, actione partium divisarum restitui. Hæ namque partes, utpote quarum constitutio iam corrupta est, nihil unquam sanguinis, unde caro procrearetur, boni attraherent, quòd constitutione partium labefactata tùm communes, tùm proprias partium actiones lædi sit necesse. Sed iterum instant adversarii inquientes: Si pertinaciùs contendas, impediri actiones similarium, à solutione continui, idem nobis concedas de aliis prædictis partium constitutionibus organicis oportet, nempe illarum figura, conformatione, magnitudine, & connexu. Nam contortum os, aut alia pars malè conformata, similes noxas experietur, ob perversam conformationem iis, quas solutam unionem inferre posse putas. Sic sanè non minus, occlusis, aut patefactis, aut alio modo vitiatis suis meatibus, pars similaris, proprias obire actiones prohibebitur, quàm si divisionẽ aliquam patiatur. Respondeo, Minimè gentium id fieri, siquidem à figura, conformatione, magnitudine, & connexu, similarium partium essentia ac con-

Responsiones.

Obiectio altera.

Solutio Obiectionũ.

ſtitutio non labefactatur, ideoq; earundem quoq; actionibus nullam prædicti morbi inferunt noxam. In partibus igitur ſimilaribus, quatenus ſimilares ſunt, qui in magnitudine, conformatione, numero, & connexione conſiſtunt morbi, haud generantur, quādoquidem nihilominus ſimilares partes ſanę ſunt ac integræ, quûm malè figuratæ ſunt, aut iuſto maiores, aut minores. Ad has igitur, ea ſolùm ratione pertinent, qua ad inſtrumentarias cōponendas requiruntur, quarum certè compoſitio vitiatur, niſi debita, ac convenienti figura, magnitudine, numero, & connexu illas conſtituant. Hinc non temerè Galenus in libello de Artis conſtitutione ita ſcriptum reliquit: Cō-
„ ſtat igitur ligamenta, e. g. magnitudinem quandam,
„ figuram, numerum, & cōpoſitionē requirere. Sive e-
„ nim minora, aut maiora, plura aut pauciora, quàm o-
„ portet, fuerint, ſive aliam figuram habeant, aut pere-
„ grino loco inhæreſcant, non amplius inculpabilis ar-
„ ticulorū motus perficitur. Vitiata itaq; figura & magnitudo nō ipſis ſimilaribus, ſed inſtrumentariis, quę ex eis conſtituūtur, accidit. Nihil enim refert os, quatenus eſt pars ſimilaris, eſſe contortum, rectū, rotundum, quadratum, magnum, aut parvum, propterea ꝙ omnis generis talia oſſa in corpore humano reperiantur: quatenus autem inſtrumentariam conſtituit partem, neceſſe eſt, ut in thorace ſit reflexū & incurvum, in brachio & tibia rectum, in brachiali, quartū maximè, rotundum, in pede cubiforme quadratum: Quam certè figuram niſi iam dictæ partes obtineant, earundem cōſtitutio deformatur. Pari ratione in femorum cōſtitutione magnū ſit os oportet, in brachio autem exiguū. Vt hoc nomine rectiſſimè morbi tùm in figura tum in magnitudine ad inſtrumentales dūtaxat partes à Galeno, & aliis veterib. relati ſint. Quēadmodum aūt nihil refert partes ſimilares, quatenus ſimilares ſunt, hac vel illa forma eſſe præditas: ſic etiā nihil refert, cavitatē habeant, nécne, quatenus ſimilares ſunt. Quod nervorū exemplo demonſtraſſe ſatis ſit.

Similares partes ad ſuā functionem non egent ullâ conformatione.

Similares partes per ſe, nulla indigent cavitate,

ſit. Nam nervus quatenus eſt pars ſimilaris, neq; ſolidus neq; cavus neceſſariò exiſtit: quia utriuſq; generis nervi in corpore animantis reperiuntur, & inter omnes fortè non niſi unus, viſorius ſcilicet appellatus, perforatus exiſtit. Sic venæ & arteriæ, quatenus ſunt partes ſimilares, non neceſſariò cavitate donatę ſunt. Venæ enim, & arteriæ ſunt, quia tunicis ſuis & membranis conſtant, & certè nutrirentur perinde, ut aliæ partes ſolidæ, etiamſi non eſſent cavæ. Quatenus autem venæ inſtrumentarias conſtituunt, neceſſariò cavæ exiſtunt. Neq; enim ad eas, quibus hoc nomine inſertæ ſunt partes, ſpiritum & ſanguinem, niſi cavæ eſſent, perferre poſſent. Quod ſi igitur obſtructio, in iis, ex craſſis humoribus naſcitur, non ipſarum certè, ſed inſtrumentariarum partium, quibus illæ inſertæ ſunt, morbus exiſtit. Hinc eſt, quòd Galenus libro 2. Ther. meth. cap. 6. obſtructionem venarum, quæ in cavo iecoris habentur, ex lentis & craſſis ſuccis ortam, non venarum, ſed ipſius viſceris morbum eſſe dicat. Atq; eius rei quoq; cauſam ſubjicit, quia, inquit, nulla ſimilarium hepatis partium, pars ægrotat. Obſtructio namque venarum eſſentiam, quatenus ſcilicet membranæ quædam, aut tunicæ ſunt, nō lædit, ſed manent integræ, & illæſæ, non obſtante quòd in illis obſtructio iam dicta ſit orta. Obſtructio igitur earundem actiones, quatenus cavæ ſunt, lædit. Pari modò lib. 1. de Sympt. cauſis, cap. 1. obſtructionē accidere nervo viſorio, ut eſt pars inſtrumentalis, inquit: non certè quòd re vera nervus opticus ſit pars inſtrumētalis (omnib. enim cōſtat ſimilarem eſſe) ſed quòd inſtrumētalib. ſit inſerta partib. illiſq; inſerviat. Quaſi dicat Galenus, obſtructio in nervo viſorio fit, non quatenus hic eſt ſimilaris; ſed quatenus inſtrumentariam conſtituit, aut quatenus cerebri cauſa eſt perforatus, aut quatenus ad inſtrumentales pertinet. Quare non eſt eadē ratio unionis, cōformationis, & magnitudinis. Nā unio, quod etiā Averrhoës ſect. 1. de San. functionibus atteſtatur, ſimilaribus partibus,

Opticus nervus perforatus.

Venæ cavæ ſunt, quatenus ſunt organa.

Oppilatio hepatis quis, & qualis morbus.

Unio mage ſimilaribus convenit quā organicis.

quàm instrumentariis, magis convenit. Hæ enim propriè loquendo non unitæ, sed contiguæ potiùs, illæ verè continuæ & revera unitæ sunt. Vt hinc Sole clarius sit, solutionem continui, partibus similaribus verius, quàm instrumentariis tribui, adeoq; toto cœlo errare, qui libidine, & cupiditate novorū dogmatum laborantes, hanc partibus similaribus non esse communem, sed instrumentariis duntaxat propriam temerè contendunt. Verùm pergunt adversarii: Si, inquiunt, solutio continui, similarium actionem lædit, adeoq; earundem morbus est, sequeretur numquam posse reperiri morbum, ex solutione cōtinui in parte instrumentali, quin similares etiam partes ipsæ morbo affligantur. Non enim potest solvi unio partis instrumentariæ, manente integra, & sibi continua similari particula, quæ ad instrumenti compositionē assumitur. At Galenus ipse ἀποσπάσματα morbos organicarum partium, & non similarium esse censet, nimirum quòd quæ relinquuntur in iis partes similares, non minus exerceant sua officia, quàm quùm essent anteà integræ: alioqui eadem illa etiam similarium morbus essent. Hæc ille: Sequelam illam haùd agnoscimus. Nam in avulsione, quæ Græcis ἀπόσπασμα vocatur, partium instrumentariarum unio solvitur, similaribus interim manentibus integris, & nullo morbo afflictis. Siquidem similares, quæ priùs instrumentali cohærebant parti, iam ab ea avulsę, nec ut antea parti instrūmētariæ cōtiguæ sunt, & uniuntur, adeoq; ipsius instrumenti unio, quæ non est nisi partium similarium coalitus, divisa est. Similares verò partes hoc in affectu manent integræ, nec quicquam illarum patitur essentia. Quapropter Galenus rectissimè avulsionem ad instrumentarias partes retulit, utpote per quam earundem unio solvitur, similarium unitate illabefactata: ut hinc iterum perspicuum evadat, instrumentariarum unionem, verius contiguitatem dici: quòd si vera unio esset, ab ea partes eius avelli non possent, nisi ipsæ unà dividerentur.

Solutio continui partibus similaribus verius quàm instrumentariis convenit & tribuitur.

ἀποσπάσματα quales morbi sint?

ἀπόσπασμα.

Avulsio est morbus instrumentarius.

rentur. Arteriarum autem vel ligamentorum omnimodam divulsionem dilaniationémve Galenus rectè & totius instrumenti, & divulsæ particulæ commune esse pathema dixit, quòd utriusq; in ea solvatur continuitas. Totius quidē, quòd partes eius ampliùs sibi invicem neq; cohæreant, neq; uniantur, adeoq; ipsum instrumentum in se divisum, & unum nō sit. Partis divulsæ, quia non maneat una, sed in duas dissecta sit. Sin ligamentum ex toto divulsum nō fuerit, totius instrumenti morbus nō est, quòd videlicet eius partes adhuc instrumentali cohæreant, & uniantur: sed solius eius, quæ perpessa est cōtinuitatis solutionē, partis. Quare par in utroq; ratio, quōd putant adversarii, non est. Cùm itaq; unionis solutio tàm similariū, quàm instrumentariarū partium cōstitutionem labefactet, adeoq; earundē vitiet actiones, morbus sit, non autē causa morbi, oportet. Cęterùm continuitatis solutio in similaribus partibus facta, varias habet appellationes. Quippe in osse Gręcis κάταγμα, Latinis fractura dicitur. Nam eadem ossa Arist. etiam lib. 4 Meth. cap. 9 teste, propriè frangi dicuntur, quæ in magnas partes dividi, distrahiq; possunt: quæq; essentiam solidam & duram cōsecuta sunt. In carnosis partibus cōmuniter Græcis ἕλκος, Latinis ulcus nominatur. Propriè autem unitatis solutio in carnosis partibus ex vulnerantibus facta, Galen. lib. 3. Ther. Meth. cap. 1. suffragante, Græcis τρaῦμα, Latinis vulnus vocatur. Ea verò, quæ citrà vulnerationem ex humorum malitia & acrimonia accidit, Græcis propriè ἕλκος, Latinis ulcus nuncupatur. Quæ in carnosis musculorū partibus ex distentione provenit, Græcis ῥῆγμα, Latinis ruptio vel ruptura nominatur. Quùm verò fibræ similiter tensę rumpuntur, Gręcis σπάσμα, Latinis cōvulsio cum ruptione dicitur. Si acutū & tenue fuerit id, quod vulnerat, Græcis νύγμα καὶ νύσις, Latinis punctura & punctio vocatur. Quòd si carnosæ partes, & mollia ossa, qualia sunt puerorum, à

Differentiæ solutionis cōtinuitatis in similaribus evenientis.

Fractura.

Vlcus.

Vulnus.

Ruptura vel ruptio.

Convulsio cū ruptione.

Punctura.

Collisio, seu contusio. *Illisio.* *ἔνθλασις.* *Caries.* *Fissio vel fissura.* *Incisio.* *Intercisio.* *Sedes.* *Divulsio.* *Galeni locus emendatus & correctus.*

valido & gravi aliquo ac duro corpore collidantur, Græcis θλάσμα & θλάσις, Latinis collisio & contusio appellatur. Vlteriùs si cavitas aliqua in parte, quæ collisa est, à re, quæ ferit, inducta est, Græcis ἔνθλασις, Latinis illisio nuncupatur. Ossium ab acribus humoribus facta erosio, Græcis τερηδών, Latinis caries vocatur. Solutio continui in capitis ossib. Græcis ῥωγμή, Latinis fissura nuncupatur. Si verò calvariæ divisio ab acuto aliquo irruente & incidente fit, Græcis ἐγκοπή, διακοπή, & ἕδρα, Latinis incisio, intercisio, & sedes dicitur. Solutio unitatis in ligamento Græcis διασπασμὸς καὶ διάσπασμα, Latinis divulsio nominatur. Vt hinc pateat, in Galeni codicib. excusis in principio quarti libri de Medendi ratione, mendam esse, ubi unionem solutã, in ligamento vocari ἀπόσπασμα scribit. Nam, ut paulò pòst dicemus, ἀπόσπασμα ad instrumentales perpetuò, nunquam ad similares, referuntur partes. Cùm itaq; ligamentum sit pars similaris, fieri nõ potest, ut ἀπόσπασμα eius divisio appelletur. Quare ꝑ dictione ἀπόσπασμα substituenda venit vox

Διάσπασμα.

διάσπασμα. Hinc Galenus cap. 11. libri de Morborum differentiis, ubi de ligamenti divisione loquitur, ait: ὅταν διασπᾶται σύνδεσμος, non ἀποσπᾶται. Quod certè illi faciendum erat, si ἀποσπάσματα ad ligamenta tantùm referre voluisset, & nõ item ad partes instrumentarias. Mirùm autem, à nullo interprete hoc ipsum hactenus fuisse animadversum. Tot igitur, talesque differentiæ solutionis unitatis sunt, quatenus similaribus partibus accidit. In instrumentariis autem partibus, non perinde ut similaribus, propria habent nomina, sed omnia vocantur ἀποσπάσματα, id est, avulsiones. Testis eius rei Galenus, qui in libello de Constitutione artis medicæ ita scriptum reliquit: Ἐν ὀργανικοῖς δὲ κατὰ τὰς τῶν ἑτερογενῶν γίγνεται συμφύσεις καὶ καλεῖται πάντα ἀποσπάσματα. Quibus sanè verbis innuit, omnia morborũ solutæ continuitatis genera,

Solutio continuitatis instrumentariis partibus eveniens.

in

in instrumentariis partibus fieri per disiunctionem partium, quæ sunt diversi generis, & vocari avulsiones. Nam partes similares, quæ sunt diversi in instrumentariis generis, ut in capite, sunt membranæ, ossa, venæ, arteriæ, & aliæ diversi generis & naturæ, sibi cohærent, quantisper unitas instrumentalis servatur. Quum verò quæ prius cohærebant partes similares ab instrumentariis avelluntur; earundem unio corrumpitur, ideoque avulsiones illæ meritò, ut annotatum iam aliquoties, ad instrumentales pertinent.

DE DIFFERENTIIS MORBOrum generatim. Cap. VII.

EX iam commemoratis tribus primis morborum generibus, alii breves, alii longi sunt. Breves duplici constant differentia: quidam enim peracuti, quidam acuti, quidam omnis periculi expertes dicũtur. Ex peracutis rursùs, alii exquisitè vel simpliciter peracuti nominantur, qui ultrà quartũ diem non extenduntur. Hos barbaram sectantes medicinam peracutos appellant. Rectius autem peracutissimos hos omnes, qui intra quartũ fere terminantur diem, morbos vocarent. Alii non exquisitè, vel nõ simpliciter peracuti sunt, qui quartum excedunt, & ad septimum non rarò producuntur. Acuti trifariam dividuntur. Nam quidam simpliciter, id est, sine adiectione aliqua, acuti dicũtur, qui Hippocrate sect. 2. Aphor. Comm. 23. authore, intrà decimumquartum diem iudicantur. Quidam non simpliciter acuti, sed qui ad vigesimum usq; progrediuntur, vel intra vigesimum finiuntur. Alii verò sunt, qui acuti nominantur, ex prolapsu sive decidentia, quòd quadraginta diebus iudicatur. Quorum Hipp. quidẽ lib. 1. Progn. 28. mentionem facit. Iidemq; à Galeno alio nomine ἐκ μεταπτώσεως, id est, ex degeneratione, & mutatione in aliam speciem, & à Galeni quibusdam interpre-

Breves morbi.
Peracuti.
Exquisitè vel simpliciter.
Non exquisitè vel non simpliciter.
Acuti.
Simpliciter.
Non simpliciter.
Ex mutatione.

tibus, uti modò attigimus, ex decidentia acuti dicuntur: quòd scilicet per imperfectas iudicationes ab una morbi specie in aliam mutentur, ut si pleuritis in suppurationem abit. Longi seu diuturni morbi sunt omnes, qui acutorum terminum transcendunt. Vt autem breves morbi, à calidis magna ex parte humoribus, sanguine nimirum & flava bile: sic diuturni à frigidis, pituita & atra bile, nascuntur. Quod Hippocrates in Epidemiis, suo more, brevissimè iis innuere verbis voluit: In cranone antiqui dolores frigidi, novi verò calidi. Præter has multæ aliæ quoq; morborum sunt differentiæ. quidam enim sunt communes, qui multos uno in loco invadũt, hos Græci πάγκοινυς & simpliciter κοίνυς appellant. Contrà alii sparsi, σποραδικὺς Græci nominant, qui nec multos, nec omnes universim & communiter, sed separatim sparsimque unumquemq; apprehendũt, vel, ut Gal. lib. 1. Epid. in præfatione inquit, qui unumquemq; privatim invadunt, ut quùm hunc pleuritis, istum nephritis, illum tabes corripit. Communium morborum quidam ἔνδημοι, id est, patrii & vernaculi dicuntur, qui semper locum quendam particularem & definitum occupãtes tenent. Alii ἐπίδημοι sive ἐπιδήμιοι, hoc est, vulgares, qui anni tempore aliquo, in regione aliqua grassantur: quorum qui perniciosissimi sunt, multosque occidunt, pestilentes vocantur. Differunt autem endemii ab epidemiis, quòd illi perpetuò eãdem regionem obsideant, & causam habeant ambientem aërẽ ab inferioribus terrenisque causis superorumq; corporum influentiis infectum: hi verò minimè. & quòd causam habeant aërem, non ex loci ratione, sed potius ex cœli statu infectum. Sunt etiam dicti morbi πάνδημοι, id est, plebeii, quòd plebem tantũ, seu vulgi fecẽ corripiant. Est & morbus alius malignus, Græcis κακοήθης dictus, qui gravissima infert symptomata, vel, ut Galenus definit l. 1. de Iudiciis, c. 16. cui adsunt gravia indicia. Cui opponitur is qui Græcis εὐήθης, hoc

Longi morbi qui, & quales.

6. Epid. sect. 1. Aphor. 7.

Dolores frigidi, calidi qui?

Communes.

Sparsi, sive dispersi, & sporadici.

ἔνδημοι. Patrii. Vulgares.

Pestilentes.

πάνδημοι. Malignus.

hoc est, benignus, mitis, seu placidus vocatur, qui levia infert symptomata: vel cui securitatis signa adsunt pleraq;. Vlterius quidam magnus est, qui vehementer corpus affligit & infestat, quiq; vim magnam obtinet: id quod accidit tribus potissimùm de causis, quòd sc. in nobili & præstanti aliqua parte consistat, aut quòd plurimum à naturali statu recedat, & periculosus sit, aut quòd suapte natura, & propter suam essentiā magnus. Hic alio nomine veteribus Græcis σφοδρός, id est, vehemēs, & ἰσχυρός, hoc est, validus nūcupatur. Gravis autē, quem iidem χαλεπόν appellant, est idem cum vehementi, quamvis propriè periculosum significet. Nam qui vehemens est & difficilis morbus, is etiam periculosus existit. Quare veteres medici iis nominibus promiscuè sunt usi. Cæterùm inter morbos, quos humoris vitium cōmittit, quidā sunt exquisiti, qui sc. in suo genere synceri sunt, & mistione humorum differentiū non adulterantur. Hinc legitimi, alio nomine dicuntur. Sic tertiana exquisita & legitima vocatur, quæ ex pura bile gignitur. Pari ratione exquisitum erysipelas nominatur, quod non est cum phlegmone, aut alio genere tumorum preter naturam commistum & adulteratum. His contrarii nothi spuriive, non exquisiti, illegitimi, & impuri nominantur, qui scilicet alterius humoris mistione adulterati sunt. Sic tertiana, quæ cum pituita miscetur, non exquisita, & notha vocatur. Exquisitum nomen etiam in compositis usurpatur morbis, ut quùm exquisitam semitertianam appellamus, quæ ex equali mistione tertianæ & quotidianæ continuæ nascitur. Morborum quoque alii Græcis ἐν ἕξει, hoc est, in habitu dicuntur, qui difficilè discutiuntur, ac removentur, facti sunt stabiles, & permanentes. Contrà ἐν σχέσει, qui facilè abiguntur, ac discutiūtur. Ex morbis nōnulli simplices, quidam verò compositi sunt. Simplex autem morbus apud Galenūm non uno dicitur modo. Nam aliquando simplicem, pro miti, placi-

Benignus.

Magnus morbus quorū ratione, sit & dicatur.

Vehemens.
Validus.
Gravis.

Exquisiti.
Legitimi.
Tertiana exquisita.

Nothi.
Spurii.

Non exquisiti morbi qui.

In habitu.
ἐν σχέσει.

Simplices morbi, quot tuplices &

quot modis dicantur? dove usurpat, idque Hippocratis exemplo, qui in tertio Prognosticorũ libro, placidissimas & mitissimas febres, simplicissimas vocavit. Nonnunquam pro uno homogeneo capitur, ut simplex sit morbus, in quo simplex & unicus sit affectus. Hoc modo ei, qui

Compositi. compositus est, opponitur. Cõpositus verò est, quem σύνθετον Græci vocant, qui cum alio coniungitur & concurrit morbo diverso.

Complicati. Ex compositis autem alii complicati sive implexi, Græcis ἐπιπλεκόμενοι sunt dicti, qui ita coniunguntur, ut eorum natura distincta

Confusi. sit, & diversis horis invadant. Alii confusi sunt, qui ex mutua commistione ita coniunguntur & inter se temperantur, ut illorum natura minimè distincta appareat, & iisdem horis invadant, atque ob id Græcis

Ordinatus. κεραννύμενοι nominantur. Inter morbos etiã est morbus, qui ordinatus appellatur, qui statis certisq; temporib. affligit: ut tertiana, quæ tertio quoq; die inva-

Inordinatus. dit. Contrà inordinatus est, qui incerto tẽpore, & minimè secundum circuitum, statasq; periodos recurrit.

Errans. Hic alio nomine errans, & erraticus, incertusq; nun-

Stabilis. cupatur. Is verò, qui ordinẽ certum servat, stabilis, &

Recurrentes. constans vocatur. Sunt etiã ex morbis, qui recurrẽtes, redeuntésve Latinis appellãtur, Græcis ἐπανερχόμενοι, qui parum quidem remittuntur, moderatioresque evadunt, sed rursùs postea exacuuntur. Hippocrat.

Recidivam facientes. ὑποστροφώδεα νοσήματα alio nomine vocat, Latini recidivam facientes. Insuper morborum quidam sunt

Primarii. primarii, qui aliis non succedunt, nec ab aliis excitan-

Secundarii. tur, sed à suis causis primò gignuntur. Secundarii verò, qui ab aliis nascuntur morbis. Hi Græcis per συμπάθειαν, nobis per cõsensum, & per δευτεροπάθειαν constare dicuntur: sicut priores per πρωτοπάθειαν

Per se. evenire in confesso est. Ex morbis aliqui per se dicun-

Ex accidente. tur, qui primò & immediatè partem occupant. Ex accidente alii, qui secundo loco vel secundario, ut

Salutares. hodie loquuntur, ad aliam pertinent partem. Sunt etiam aliqui salutares vocati, in quibus certò speratur salus,

ſalus, aut qui utplurimùm ad ſalutem finiuntur. Lethales verò, qui vel ſemper, aut magna ex parte perimunt ægrum. Poſſunt etiam multæ aliæ morborum differentiæ à tempore, humoribus, & id genus aliis rebus deſumptæ ſtatui, quas nominatim percenſere nihil attinet. Atque hactenus generatim morborum differētias enumeraſſe ad eum, quem propoſuimus, modum ſufficiat. Nunc ad tertium præter naturam affectum, nempe ſymptoma, ut progrediamur, ordinis ratio poſtulat. *Lethales.*

DE SYMPTOMATIS DEFINITIONE. Cap. IIX.

CVm de cauſis morbificis, morbisque ipſis abunde pro inſtituti noſtri ratione egerimus, reliquum eſt, ut de ſymptomatis nunc verba faciamus. Symptomatis verò vox, ut in libr. de Sympt. differentiis autor eſt Galenus bifariam uſurpatur, generatim ſcilicet, ac ſpeciatim. Generaliore in ſignificatione pro omni eo, quod præter naturam in corpore accidit. Qua ſanè ratione, & morbus, & morbi cauſa interna, ſymptomata dici poſſunt. Speciatim, ſeu propriè, quicquid præter naturam, morbo & ejus cauſa exceptis, in corpore reperitur, ſymptoma vocatur. Atq; hoc modo ſumptū ſymptoma, nihil aliud eſt, quàm affectus præter naturā, qui morbos, veluti umbra corpus, neceſſariò ſequitur, illisque ſuccedit. Hinc eſt, quòd idipſum morbi accidens, nōnulli Græci medici, non ſymptoma, ſed ἐπιγέννημα, h.e. ſuccedens, ſc. morbū, appellare maluerint. Quamquam σύμπτωμα quoque nomen illi pulchrè quadrat, quod ei à verbo σύμπίπτω, quod ſimul cado denotat, eſt impoſitum, nulla alia hercle de cauſa, quàm quòd ſimul cum morbo eveniat. Interpretes aliquot Galeni, caſum, alii accidens vertunt. Priorum interpretatio, modò in hac ſignificatione ſatis perſpicua & Latina

Symptoma bifariam uſurpatur. *Generatim.* *Speciatim.* *ἐπιγέννημα.* *Interpretes Latini Galeni notantur.*

esset, tolerari posset, posteriorũ autem nequaquam. Nam Galeno σύμπτωμα diversum est ab accidente, quod ille συμβεβηκὸς vocat. Siquidem, ut primo lib. Method medẽdi, cap. 9. ille testatur propriè loquentibus, ea, quæ sanorum constitutionem sequuntur, συμβεβηκότα, id est, accidentia: quæ verò ægrotantiũ, symptomata dicũtur. Nec studiosos turbare debent, hoc loco, quorũdam cavillationes, qui aliter vocem symptomatis Galen. in lib. de Optima secta usurpasse ajunt, ubi symptomata quædam esse secundum naturam, ut nigrum colorem in Indis, disertè tradit. Nam non animadvertunt, aut certè dissimulant, Galenũ eo loci non ex sua, sed potius Methodicorum, contra quos ibidem disputat, sententia loqui, qui symptomatis vocẽ ad omnia ea, quæ in corpore nostro accidunt, accommodarunt. Miror autem vehementer, ejusmodi calumniis delectari, hodie viros eruditos, quorum certè erat veterũ dicta potius candidè, quod faciendum esse certè studiosè Galen. ipse jampridem monuit, interpretari, quàm ita insidiosè & hostiliter, ad suas cogitationes parum rectè institutas detorquere. Sed accipient haud dubiè parem mercedem, habebuntque olim qui ipsos pro meritis tractabunt, & qui eorum etiam optimè dicta aliter ac ipsi dixerint, interpretabuntur. Non solùm verò hoc nomine reprehendunt generalem symptomatis apud Galenum acceptionem, sed etiam his suis verbis, talique sua descriptione Symptoma generatim est, quicquid animanti præter naturam accidit: falsam affingunt interpretationem. Nam præter naturam interpretantur, quod plurimùm à naturali statu recedit: quum tamen Galenus, quicquid à naturali statu recedit, generatim symptoma nominet. Sic pandiculatio, palpitatio, sternutamentum, & tussis, inter symptomata, cùm sint motus præter naturam, rectissimè ab eo numerantur. Nam etsi parum admodum corpus, hujusque partes molestant: tamen quia præter naturam

συμβεβηκὸς.

Quorundam cavillationes diluuntur.

Symptomata quandoq; nõ ex sua, sed methodicorũ sententia recenset Galenus.

Falsa Symptomatis διαγραφή.

ram

ram sunt, & à morbis actiones lædentibus eveniunt, symptomata sint oportet. Cæterùm, quæ de sanguinis excretione, vomitu, & aliis excretionibus, quæ toto genere præter naturam sunt, & à symptomatum tamen consortio sejunguntur, adferunt, in nostris commentariis super librum de Symptomatum differentiis, diluimus. Cùm enim non morbi impetu, sed naturæ potius robore fiant, actiones naturæ, non symptomata sint, neque præter naturam accidant, oportet. Fiunt autem robore naturæ, si tempestivè fiunt. Tussis autem, rigor, horror, singultus, sternutamentum, & id genus alia, perpetuò sunt actionum noxæ, & à morbis excitantur, ideoque symptomata sint, est necesse. Nec verum est, quod iidem Doctores ingeniosissimi Galeno affingunt, nihil eorũ, quæ ad animalis commodum in corpore peragũtur, Galenũ inter symptomata reputare. Nam, ut rectè colligunt, hac ratione tussim, rigorem, sternutamentum, & id genus alios præter naturam motus, inter symptomata temerè collocasset. Galeno itaque ne per somnium quidem in mentem venit, inter symptomata non reputari, quæ ad animantis commodum in corpore excitantur. Constat enim omnibus, nullum esse motum præter naturam in corpore, per quem non noxia expurgentur. Cùm verò illi, à morbis excitentur, adeoque actionum noxæ sint, rectissimè symptomatis annumerantur. Quòd si verò robore facultatis, & naturæ animalisque præmeditatione, non vi morbi, ac invito animali fiunt, non symptomata, sed naturæ actiones rectissima ratione appellantur. Quod si animadvertissent adversarii, non eò absurditatis prolapsi fuissent, ut symptoma pressius sumptum non solùm à morbis, sed etiam à morborum naturaliumque rerum causis fieri dicerent.

Naturæ opera, à symptomatibus distinguenda.

Verùm de symptomatis definitione satis.

DE SYMPTOMATVM GENERIbus differentiisve. Cap. IX.

SYmptoma propriè sumptum in tria partitur genera Galenus: Alia enim sunt functionum noxæ, alia corporis nostri affectus, alia quæ ad utraque per immodicas excretiones, & retentiones sequuntur. Quapropter promiscua planè sunt, ut quæ modò ad affectus corporis, modò ad functionũ noxas sequuntur. Porrò noxæ functionum nomine intelligimus, debilitatem, depravationem atque etiam abolitionem earundem actionum, cujus duæ primæ sunt differentiæ. Vel enim animaliũ, vel naturalium functionum noxæ existunt. Rursus animalium functionum noxæ trifariam secantur. Vel enim sunt sensilium actionum, ut visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus prorsus amissus, hebes vel depravatus. Vel motricum, ut est partis immobilitas, & difficilis motus. Vel principum actionum, ut imaginationis, ratiocinationis, & memoriæ abolitio, debilitas, & depravatio. Naturalium functionum noxæ sunt, appetentia, concoctio, distributio, pulsus, attractio, alteratio, retentio, & expulsio abolita, imbecilla, vel depravata. Affectus nostri corporis, hoc est, symptomata, quæ ex genere sunt permanentium & constantium, neq; amplius in ipso fieri suam essentiam possident, atq; adeò verè subsistunt, quadruplici genere continentur. Sunt enim alii visiles affectus, ut colores præter naturam totũ corpus, partem unã, vel pluresoccupantes, ut est, color in morbo regio, & omnib. vitiliginis generib., aliisq; partiũ malis. Nam ii colores aliquandiu manent firmi, nec ita subito cum morbis, à quibus procreati sunt, abeunt: imò interdum difficulter amoventur. Olfactiles seu odorabiles, ut fœtores aurium, narium, maxillarũ, & aliarum putrescentium partium, ructus insuper fumosi, fœtidi piscolẽti, &c. Gustabiles, ut sapores præter naturam, amarus nimirum,

Noxæ functionum. *Animaliũ.* *Sensilium.* *Motricum.* *Principum actionum.* *Naturaliũ.* *Affectus nostri corporis quid sint?* *Visiles.* *Odorabiles.* *Gustabiles.*

rum, salsus, & acris. Tactiles, ut cutis durities, tensio, aridi- tas, flacciditas, & rugositas. Ea verò, quæ præter naturam vel è corpore excernũtur, vel in eo detinentur, in tres quidem, primas præcipuasq; secantur differentias. Vel enim tota substantia, vel qualitate, vel quantitate à naturali habitũ recedunt. In censu eorum, quę tota substantia prętér naturam sunt, sanguinis excretiones, Græcis αἱμοῤῥαγίαι dici solitæ, numerãtur, neq; temerè, siquidem per eas excernitur, quod corpori maximè familiare est, & quod in vasis, utpote naturæ usui futurum, retineri debebat. Quæ qualitate à naturali statu recedunt, sunt eorum, quæ excernuntur, colores & odores præter naturam. Quantitate præter naturã sunt, sudor, qui immodicè excernitur, aut indebitè retinetur. Insuper urina, & muliebre profluvium. Igitur jam dicta symptomata, ut comprehẽsum est, modò ad effectus corporis, modò ad functionum noxas sequuntur. Vt sanguinis profluvium immoderata excretio existens, læsam venarum actionem, nempe retentionis imbecillitatem, aut immodicum expultricis facultatis motum, sequitur. Idem etiam corporis affectum comitatur, puta calidam intemperiem, vel vulnus, & id genus alios affectus venarum, & arteriarum. Tussis prætereà affectum interdum corporis, frigidam nimirum intemperiem sequitur. Atque hæc est recepta hactenus symptomatum in sua genera & differentias divisio, quam tamen, ut omnia ferè alia, adversarii Galeni labefactare multis rationibus conantur. Quas certè, nisi instituti nostri ratio prohiberet, ordine confutaremus. Quod verò nunc præstare nobis non licet, id Deo annuente, tum cumulatiùs præstabimus, quum aliquando Commentarios nostros in hos Galeni de Symptomatum differentiis & causis libros recognoscemus. Id quod ut faciamus, partim typographi negligentia & crebri errores, partim illorum, qui nova dogmata spargunt, temeritas nos coget.

Tactiles.

Quæ præter naturam vel excernũtur à corpore, vel in eo retinentur.

Quæ tota substãtia præter naturam.

Quæ qualitate.

Quæ quantitate.

Hæmorrhagiarum causæ primæ.

Tussis causa.

Quum autem hactenus generatim morborum & symptomatum rationem exposuerimus, superest, ut iam eorundem nomenclaturas, iuxtà partium corporis, in quibus excitantur, ordinem, propter eos qui linguæ Græcæ imperiti sunt, exponamus, exorsi à febribus, ut quæ totum occupent corpus.

FEBRIVM BREVIS ET *dilucida explicatio. Cap. X.*

Febris quid, ex Galeni opinione.

CVM in hoc capite febrium rationem simus explicaturi, initiò quid febris sit, ostẽdamus necesse est. Febris itaque, est calor præter naturam, qui à corde prodiens, per arterias & venas in universum corpus diffunditur, actionesque eiusdem lædit & pessundat. Quæ quidem extrema definitionis pars necessario addita est. Nam quantumvis homo nunc quàm anteà calidior sit redditus, nondum tamen febri correptus dici potest, nisi calor eousque auctus sit, ut hominem plurimùm offendat, & actiones iam manifestè lædat. Cæterùm, etsi variæ sunt ac circũferuntur febrium differẽtiæ, partim ab essentia earundẽ, partim ab accidẽtib⁹ sumptę, ut patet ex iis, quæ lib. 1. de Febriũ differentiis tradit Galenus: tamen illa, quę è materia seu corporis nostri partibus, in quibus calor pręter naturam accenditur, peti solet, omniũ est usitatissima. Quapropter ut tria sunt, Hippocrate in Epidemiis teste, quæ corpus nostrũ constituunt, continentia nimirũ, contenta, & impetũ facientia: hoc est, solidæ partes, humores, & spiritus: sic etiam tria sunt prima simplicium febrium genera. Quippe si immodicus & præter naturam calor in spiritibus accẽditur, febris hæc Græcis ἐφήμερα, Latinis diaria nominatur. Hæc assimilatur vento utri calido incluso. Vt enim ille, utrem, cui ille includitur, calefacit, sic quoque spiritus plus iustò calefacti universum in quo continentur, corpus accendunt. Diariæ verò nomen hoc primum febris genus,

Differentia febrium.

6. Epid. sect. 8. aphor. 8.

Tria prima simpliciũ febrium genera.

ἐφήμερα.

Diaria simpliciter.

Diaria cur dicta?

nus, quod in ſpiritibus accenditur, conſecutum eſt, quòd unicam tantùm habeat acceſſionem, uno plurimùm die, ex ipſius ſaltem natura, circumſcripta. Deſiſtit enim poſt primam acceſſionem, nec ultrà unum diem naturalem appellatā, hoc eſt, vigintiquatuor horas, porrigitur, ſi quis eam modò rectè tractet. Et hæc profectò verè, exquiſitè, ſimplicitérve, ac citra adiectionem diaria nominatur. Eſt anim altera, quæ cum adiectione plurium dierum, diaria nuncupatur, quòd ſcilicet in tertium uſque diem, & interdum longius, Galeno lib. 2. de Differ. febr cap. 11. atteſtante, nempe ad quartum, vel quintum, ſæpiùs etiam ad ſeptimum uſque extendatur. Hæc certè alio nomine Synochus non putrida vocatur. Neque eſt cur quiſpiam miretur, hanc febrem Galeno & aliis veteribus diariam eſſe dictam, cùm de ſubſtātia eius diariæ vocabulum non ſit, quandoquidem ultra unū diem duret, ac protendatur. Nam etſi nomen illi adverſatur, tamen quia huic, eadem eſt, quæ aliis etiam diariis febribus natura: unam enim acceſſionem ab initio ad finem perpetuò manentem, in multos porrigit dies: ideò clarioris ſimul breviorisque doctrinę gratia, potiſſimùm cùm proprio & convenienti nomine deſtituatur, diaria rectiſſimè dicitur plurium dierum. Aut igitur aliud, præter tria iam dicta, genus eſſe, in prima febrium diviſione, dicendum eſt: aut appellatione pro nihilo habita, diariam ipſam nominare oportebit. Alterum febrium genus eſt, quando in humoribus putreſcentibus, calor immodicus accenditur, & ob id putrida appellatur febris. Hæc ſimilis eſt aquæ calidæ, vaſi alicui infuſæ. Vt enim hæc aqua vas frigidum cui infunditur calefacit, ita etiam humores præter naturam calefacti, corpus incendūt. Cæterùm putreſcunt humores, vel intrà, vel extra vaſa. Intrà vaſa verò bifariam putreſcunt: nempe vel omnes ſimul, vel unus duntaxat. Si omnes æquabiliter, in omnibus, maximis potiſſimùm, vaſis putreſcūt, ſynochus ſeu continens putrida nominatur. Siqui-

Dies naturalis.

Plurium dierum.

Synochus nō putrida.

Putrida febris.

Humores bifariam putreſcunt.

Continens putrida.

σύνοχος febris quid? dem Greci συνόχον febrem omnem, in qua vna accessio, ab initio, ad finem perpetuò manens in multos porrigitur dies, Galeno lib. 9. Therap. meth. cap. 2. authore, appellant, vel breviter, eam quæ omni muta-

Continens. tione magna usque ad iudicationem caret. Hanc Latinè propriè continētem nominare licebit, estq; eius

Nō putrida. gemina natura. Quædam enim nullam prorsus putredinis notam obtinet, atque hæc ex diariarum fe-

Putrida. brium, ut paulò antè monuimus, est genere. Quædam verò manifestam putredinis notam habet. Prior Latinis dilucidioris doctrinæ gratia, synochus sive continens non putrida: posterior autem synochus

Barbarā sectantiū medicinā ineptiæ. seu continens putrida vocatur. Neq; enim imitandi sunt hac in parte barbaram sectantes medicinam, qui hanc synochum, illam verò fœminino in genere synocham, nominant, cum Græci utrunq; genus uno

Synochorum differentiæ tres. nomine synochon appellaverint. Cæterùm earum febrium, quæ Græcis synochi vocantur, tres sunt differentiæ. Nam quædam illarum, à principio, ad finem usq; æquali magnitudine ac vehementia perdurant,

ὁμοτόνοι. ἀκμαστικοί. quas ob id illi ὁμοτόνους & ἀκμαστικοὺς, hoc est, in eodē tenore ac vigore permanentes nuncupant. Quędam

ἀναβατικοί. ἐπακμαστικοί. verò semper augentur, & exiguum aliquid adiiciunt, quas propterea ἀναβατικοὺς & ἐπακμαστικοὺς, id est, incrementum accipientes, & invalescentes appellant.

παρακμαστικοί. Aliæ contrà paulatim minuuntur & decrescūt, ideóque Græcis παρακμαστικοί, hoc est, decrescentes vocantur, ut fusiùs lib. 9. Ther. meth. capite 4. & lib. 2. de Differ. febr. cap. 2. & lib. 2. de Iudiciis, cap. 6. Galenus docet. Porrò si intra vasa unus duntaxat aliquis hu-

συνεχής. Continua. mor putrescit, febris excitatur, quæ Græcis συνεχής, Latinis verò continua dicitur. Sic verò est nominata, quod ad quietem, & integritatem, vel, ut hodie loquuntur, ad infebricitationem non desinat, remissionem tamē in singulis accessionibus obtineat. Vt hinc

σύνοχος & συνεχής fe- pateat, quàm inter se σύνοχος & συνεχής febres differant. Nam in synocho seu continente febre nulla fit

fervoris

fervoris remissio: syneches verò sive continua in singulis accessionibus sensilem habet declinationē sive remissionem. Præterea synochus unicam duntaxat accessionem, ad finem usq; durantem obtinet: syneches autem plures. Quemadmodum verò iam dictis rationibus differunt, ita certè in eo conveniunt, quòd neutra illarum ad infebricitationem perveniat, veluti copiosiùs lib. 2. de Iudiciis, cap. 6. Galenus monstrat. Cæterùm, ut recentiores Grecorum medici, qui Hippocratis secuti sunt ætatem, aliquam inter has duas febres statuerent differētiam, solœcismum committere maluerunt, quàm formam ipsarum febrium sine nomine relinquere. Nam Græcè utraq; febris appellanda fuisset συνεχὴς & neutra σύνοχος. Ideoq;, ut in fine suorum Commentariorum, quos in secundum Hippocratis de Natura humana librum exaravit, Galenus testatur, neq; Hippocrates, neq; alius veterum Græcorum usquam continentem nobis dictam febrem σύνοχον nominavit. A iunioribus itaq; medicis, hæc vox excogitata est, cùm veteres utrumq; genus febris, nempe & id quod nullam; usq; ad iudicium, habet mutationem, & eam quę multis particularibus circuitibus continetur, & remissionem aliquam obtinet, sub συνεχὴς nomenclatura complexi sint, ut clariùs lib. 2. de Differ. febr. cap. 2. & lib. 2. de Iudic. cap. 6. fusiùs ostendimus. Febrium autem, quæ privatim Græcis συνεχεῖς, Latinis continuæ vocantur, tres sunt species. Quùm enim flava bilis intrà vasa putrescit, tertiana continua, & privatim Græcis καῦσος, Latinis ardens appellatur febris. Vbi autem pituita hac ratione putrescit, quotidiana continua nominatur. Si atra bilis, vel potiùs melancholicus humor, putredinem intrà vasa concipit, quartana continua vocatur. Habent itaq; continuę febres, idem genus cum intermittentibus, de quib. paulo post dicemus. Siquidē tertiana cōtinua convenit cum exquisita tertiana intermittente, quod perinde atq; illo tertio quoq; die accessionē

bres ut differant.

In quo conveniant.

Solœcismus recentiorum medicorum Græcorum.

σύνοχος vox à iunioribus primū excogitata Medicis.

Continuæ tres species.
Tertiana.
Ardens.
Quotidiana.
Quartana.

Continuæ idē genus cum intermittentibus obtinent.

habet. Quotidiana continua, cum quotidiana intermittente, quòd ſcilicet ſingulis diebus acceſſionem obtineat. Differunt tamen etiam inter ſe continuę & intermittẽtes, non obſtante quòd humore, qui utrasque efficit, communicent, idque duplici ratione. Primùm, quòd in cõtinuis putreſcens humor, intrà vaſa continetur: in intermittentibus autem extrà vaſa contentus, per ſenſiles corporis partes diſpergitur. Secundò, quòd intermittentes, eò quòd delationis impetu, ipſæ per ſe expurgentur, & ad quietem, vel ut Græci dicunt, ἀπυρεξίαν, id eſt, infebricitationem perveniant: continuæ autem nequaquam. Hactenus genera febrium, quas humor intra vaſa putreſcens, excitat, commemoravimus. Reliquum eſt, ut nunc eas febres, quas humores extra vaſa putreſcentes accendunt, exponamus. Quando autem humores extra vaſa putreſcunt, intermittens vocata excitatur febris, ut paulò antè attigi. Hæc verò ſic eſt appellata, quod eius acceſſio non perpetuò duret, ſed remiſſionem habeat, & (ut comprehenſum eſt,) ad quietem & in febricitationem perveniat. Latinis alio nomine interpolata dicitur, quòd nimirum ſuo tempore acceſſiones repetat ac renovet. Sunt qui deficientem appellent. Huius tres ſunt præcipuæ differentiæ. Vna enim tertiana, altera quotidiana, & tertia quartana nuncupatur. Tertiana rurſus bifariam dividitur: in exquiſitam, ſynceram, purámve, & notham, ſpuriámve. Tertiana exquiſita fit, quando flava bilis ſyncera, nullique alteri humori permiſta, extra vaſa putreſcit. Tertiana verò notha fit, ubi bilis, maxima ex parte, pituitæ commiſſa & confuſa extra vaſa putreſcit. Tertiana vero utraq; eſt dicta, quod unum diem intermittentes, tertio die redeant. Quotidiana exquiſita eſt, ubi pituita dulcis extra vaſa putreſcit. Hæc Græcis privatim ἀμφήμερος eſt nominata, quod ſingulis diebus revertatur, & acceſſionẽ habeat. Quod ſi vero vitrea pituita non tota æqualiter, ſed ex dimidio putrida fuerit, aut aliquæ ipſius partes putruerint,

Continuarũ & intermittentium differentia.

Intermittens.

Interpolata.

Deficiens.

Tertiana exquiſita.

Spuria.

Quotidiana exquiſita.

rint, aliquæ verò nequaquam. Græcis ἠπίαλος, Latinis Hepiala febris dicitur. In hac febre simul ægrotantes febricitant, & rigent, atque eodem tempore per universum corpus, & in omnibus eiusdem partibus Gal. lib. 2. de Differ. febr. cap. 6. & cap. 10. libri de Inæquali intemperie teste, ambo, nempe calorem & frigus immodicum, sentiunt. Partes enim humoris eius, quæ putredinem necdum expertæ, omnibus venis, vel etiam reliquo corpori communicatæ sunt, rigorem creant: putrefactæ verò calorem accendunt. Nihil igitur mirum, pituitam hanc, ubi modicè putrescit, per omnes sensiles corporis partes, per quas movetur, calorem & frigus inducere posse. Hepialos autem dicta est, Paulo libro secundo, cap. 25. autore, παρὰ τὸ ἠπίως ἀλιαίνειν ὅπερ ἐςὶ θερμαίνειν, hoc est, quòd blandè & leniter calefaciat. Quartana intermittens, ab humore melancholico, extrà vasa putrescente nascitur. Sic verò nominata est, quòd duos integros intermittat dies, & quarto quovis die revertatur. Præter iam dictas febrium intermittentium species, sunt etiam quintanæ, sextanæ, septimanæ, & nonanę, quarum Hippocrates libro 1. Epidemiorum meminit, ita nominatæ, quòd quinto, sexto, septimo, & nono diebus invadant, & revertantur. Hæ rarissimæ sunt, adeo ut Galenus lib. 1. Epidem. Comment. 3. disertè scribat, se inde usq; ab ipsa adolescētia, septimanum vel nonanum circuitum omnino nō vidisse, nec clarè, nec obscurè: quintanos certè conspexisse obscuros, sed non exquisitè, aut apertè, ut quotidianos, tertianos, & quartanos observasse. Ex putridarū genere, est pestilentialis febris, quæ sic dicta est, quòd à venenata qualitate, adeoq; à pestilentis ac venenati aëris inspiratione oriatur. Nam ut libro 1. de Differ. febr. cap. 5. attestatur Galenus, ambiens aër, à putrescibili evaporatione vitiatus, humores etiā putrescere facit. Cæterùm pestilentialis febris non ex simplici putredine nascitur, sed accedit etiam causa alia, id est, venenata, ut iam dictum est, adeoque totius

Hepiala.

Hepialos cur dicta.

Quartana unde oriatur

Quintana.
Sextana.
Septimana.
Nonana.

Huiusmodi febres vix umquam vidit Galenus.

Pestilentialis febris.

substantiæ proprietate perniciosa qualitas, quæ totam corporis substantiam, seu ut Galenus aliàs appellare solet, temperamenti totiúsve substantię proprietatem offendit ac corrūpit. Quod cōfirmant ea, quæ lib. 2. de Nat. hum. Comm. 4. scribit Galen. inquiens: Ἐλλιπῆ τὴν ἴασιν ἔγραψε τῶν κοινῶν νοσημάτων, ὅταν ὑπὸ τοῦ περιέχοντος γίγνηται. Πολλάκις μὲν γὰρ ἀναθυμιάσεις τινὲς ἐξ ἑλῶν, ἢ λιμνῶν, ἢ τελμάτων, ἢ γῆς τοιαύτης αἰτίαι γίγνονται τῶν τοιούτων νοσημάτων, ἔστι δ' ὅτε μόνη τῶν ὡρῶν ἡ κρᾶσις. ἐπὶ μὲν οὖν τῶν ἀναθυμιάσεων ἰδιότητι μᾶλλον ὅλης τῆς οὐσίας, οὐχ ἁπλῶς ποιότητι λυμαινομένων τοῖς σώμασιν, ὀρθῶς ἔγραψε τὴν θεραπείαν, εἰς διττοὺς ἀνάγων σκοπούς, ἀμοιβήν τε τοῦ χωρίου, καὶ χρείαν ὀλίγης τῆς εἰσπνοῆς. ὑπὸ δὲ τῶν ἀπὸ ποιότητος βλαπτομένων, οὐ μόνον ἡ θεραπεία τῶν γεγονότων ἤδη νοσημάτων, ἀλλὰ καὶ ἡ προφυλακὴ τοῦ μηδ' ὅλως συστῆναι, διὰ τῶν ἐναντίων ἔσται ποιοτήτων: Morborum communium imperfectam sanationem scripsit, ubi ab ambientis aëris p.n. constitutione nascuntur. Frequenter enim exhalationes ex paludibus, aut stagnis, aut lacubus, aut eiusmodi terra, talium morborum causę ac indicia oriuntur. Accidit verò interdū, ut sola temporum anni temperatura causa sit. Igitur in exhalationibus proprietate magis totius substantiæ, quàm qualitate corpora lædentibus, curationem rectè tradidit, in duos redigens scopos, loci scilicet mutationem, & exiguæ inspirationis usum. In iis autem qui à qualitate offenduntur, non solùm iam factorum morborū curatio, sed & pręvisio, ne omnino consistant, per contrarias qualitates fiet. E quibus sanè verbis palàm fit omnibus, Galenum non obscuris verbis confiteri, exhalationes pestilentes excitantes febres, proprietate totius substātię magis, quàm qualitate seu intēperie evidēti, & manifesta corpora nostra lædere. Quapropter ex aëre quoq; maximè fiunt pestilentes febres. Quanquam enim contactu mutuaq; hominum communitate & vitæ societate contaminent: prima tamen illorum origo, visq; maxima

Pestis causa coniuncta unde.

&validissima, in aëre, quem inspiramus, inest, illincq; processit, & fovetur subinde. Et certè venenum, aëris haustum nos afficiens, omnium præsentissimum est & efficacissimum, nec humore, nec crassiore materia tanquam vehiculo indigens, ut in nos agat & commigret: sed tenuissimum quum sit, cum spiritu attracto celerrimè, per pulmonem in cor, viscus vitæ nobilissimum, & in arterias, in omne deniq; corpus obrepit, primumq; spiritus, deinde humores, postremò ipsam partium substantiam labefactat & pessundat. Quòd si venenata ac perniciosa hęc qualitas primùm in spiritibus hæserit, eosque devastaverit, ac corruperit, erit tum febris pestilentialis diaria, quales fuere, quæ in lue illa, quam sudorem Anglicum vocarunt, anno 1529. per universam Germaniam grassabantur. Sin humores occupaverit, erit pestilentialis humoralis dicta febris. Nam facillimè hanc venenosam ac pestilentem qualitatem putredo, corruptionis opifex, sequitur. Si verò in substantiam cordis, prędicta qualitas insilierit, eiusq; corpus adgressa fuerit, hectica pestilentialis erit. Pestilentiales autem febres, ut plurimùm carbũculis, vel bubonibus se insinuant, & cor, iecur, cerebrum, in furiam vertunt. Quæ singula cõmemoravimus, primùm ut inde intelligant medici recentiores, se nihil novi afferre, qui pestilentiales febres, hodie magno fastu, inter morbos toti⁹ substãtię collocant. Dein, ut nõ solùm iis, quæ putredinem sanant, sed & iis, quæ totius substãtiæ proprietate contraria sunt, febres pestilentiales abigẽdas scirem⁹. Postremò, ut in iis febrib. ꝑ os & nares valida excitetur expiratio, quę & pulmones, partesq; cordi vicinas veneno aëre refertas, exinaniat, atq; posteà mox aër igni expurgatus, aut odoratus inspiretur. Sed ea de re alibi fortè plura proferem⁹. Hæc aũt in præsentia de febribus, quę putridorũ humorũ dũtaxat occasione, citrà partẽ aliquã laborantẽ, accenduntur, dixisse satis sit. Sũt enim alię febres putridę, quę occasione laborãtiũ quarundã partium, affectorumq; viscerũ excitantur,

Pestilẽtialiũ febrium pathognomõnica.

Siquidem quæ propter phlegmonem internarum partium ac viſcerum excitatur febris, ut li. 2. Prognoſtic. comment. 4. autor eſt Galenus, Græcis λειπυρία nominatur. In ea quidem, ut idem cap. 10. libri de Inæquali intemperie, teſtatur, intùs, & in ipſis viſceribus calor ſentitur, in externis verò partibus univerſis frigus percipitur. Phlegmones namque vehemẽs calor, inſtar cucurbitæ, ex univerſo corpore ſanguinem ad ſeſe trahit, ideoque iis, qui ita ſe habent, viſcera peruruntur: extremæ autem partes, propter ſanguinis ad viſcera ſe recipientis defectum, frigeſcunt. Quæ verò ex pulmonis, ventriculi, aut iecoris eryſipelatibus naſcitur, eodem Galeno libro 2. de Iudiciis, capite 7. atteſtante, propriè καῦσος κακοήθης, ἢ κακοηθέστατος, hoc eſt, ardens pernicioſa, vel pernicioſiſſima febris vocatur. Aëtius febrem ex iecoris eryſipelate ortam, typhodem appellavit: ſecùs atque Galenus, ut paulò poſt clariùs oſtendemus. Eſt itaque lipyria genus ad omnes, quæ ex viſcerum phlegmone excitantur, febres. Quod ſi vero etiam huius generis recenſere velis ſpecies, eam quæ ex capite naſcitur phreneticam, eam vero quę ex membrana ſuccingente coſtas pleuriticam, ex pulmone peripneumonicam, ex iecore iecorariã, & ita deinceps vocare licebit. Inter putridas continuas; illa etiam numeratur febris, quæ Græcis τυφώδης, Gal. ſect. 7. aphoriſ. comment. 43. & in libro adverſus Lycum teſte; alio nomine ἠλώδης, hoc eſt, humida vocatur, non alia quidem de cauſa, quàm quod perpetuo madore, ſudoreque corpus exolvat. Typhodes enim febris, Galeno iam citatis locis autore, eſt in qua à prima ſtatim die ægri ſudant, ſudore ipſo interim, aut parum, aut nihil iuvante. Vt hinc omnibus palam ſit, typhodem febrem ab ea, quæ helodes nominatur, non eſſe diverſam Sed pręſtat Galeni verba ex libello adverſus Lycũ, quib. idipſum clariſſimè confirmat, referre, inquientis: τινὲς δὲ ἐσχάτως ὑγροί, καθάπερ οἱ τυφώδεις, ἢ ἠλώδεις ὀνομαζόμενοι.

Lipyria.

Ardens perniciosa.

Aetij appellationes.

Typhodes febris.

ἠλώδης.

Typhodes febris quid?

Quare

Quare præter rationem Cardanus libro secundo Contradictionum, tractatu quinto, capite vigesimo-nono, me erroris insimulat, quod typhoden & heloden unum & idem esse febris genus statuam. Facit autem id obscurè admodum, ut solet, ita quidem ut vix quod dicit assequi possis. Assuit autem interim multa quoque mendacia, de quibus principio dicam necesse est. Nam me febrem helcoden & typhoden unam eamdemq; facere, scribit falsissimè: quasi vero ego mendosam Aldini codicis lectionem secutus, ἑλκώδη pro ἑλώδη dixerim. Et satis hinc apparet, Cardanum ignorasse falsum illic ἑλκώδη scriptum esse. & fortè hac voce febres quæ ulcera comitantur, significari putasse, ideoque in hanc venisse sententiã, ut eam à typhodo diversam esse affirmare voluerit. Dein non puduit illum constanter asserere, me in commentariis meis in Hippocratis aphorismos scriptis, vigesimiquarti primæ sectionis textus, omnino oblitum fuisse, eiusq; enarrationẽ omisisse. Quàm impudenter autem & mendaciter hanc mihi negligẽtiam adscribat Cardanus, omnes horum meorum commentariorum æditiones, palàm testãtur, in quarum nulla, hic aphorismus, nec eiusdem etiam enarratio desideratur, ut ad convincendum apertum mẽdacium non sit opus pluribus testimoniis. Quis vero est qui hinc non colligat, Cardanum omnem deposuisse pudorem, ut qui non veritus est, constanter affirmare, quod res ipsa manifestè falsum & confictum esse loquitur? Potuisset igitur, imo debuisset hoc loco, sibi & mihi parcere Cardanus, nec mihi negligentiæ notam inurere, qua me vacare, nisi planè cæcus tum fuerit, ignorare haud potuit. Sed simili quoque ratione Manardum, aliosq; bonos & eruditos claros viros tractavit, ut nihil mirum sit mihi idem ab illo etiam evenisse. Sed ad typhoden revertamur febrem. Quum differre inter se typhoden & heloden febrẽ, contendat Cardanus decuit certè illũ, ut qua ratione inter se distarent exponeret: sed tantum abfuit, ut id

Cardani calumnia confutata.

Cardanus calumniator Manardi &c.

faceret, ut potius se ignorare num typhodes & helodes febris, unum febris genus, an diversum esset, fateri coactus sit. Nam inter alia sic scribit: Seu igitur typhodes, atq; helodes unum febris genus sit, seu diversum, non nisi humidarum febrium typhodes genus est. E quibus utiq; verbis satis liquet, Cardanum non rectè intellexisse, quale genus febris esset helodes, & typhodes. Atq; idipsum abundè confirmant quæ ibidem scribit, inquiens: Febres typhodes, ex multa materia pituitosa gignuntur, sudorq; qui in initiis earum apparet, longitudinem morbi significat. Si ex pituitosa materia procreātur, humidas igitur esse oportet. Et humidas profectò esse, copiosus sudor declarat. Paulò tamen ante prædicta verba, testimoniis è Suida, & Hesychio productis ostendere conatus est, typhodes febres esse incendentes & igneas. Quod si verū est humidæ ut sint eædem fieri nequit, ut rectissimè suos libros Cardanus contradictionum titulo ornarit, siquidem multis modis in iis sibi contradicit, ac ita se & alios contradictionibus involvit & implicat, ut ex illis neque se, neque alios explicare sciat. Nihil igitur certius est, quàm Cardanum prædictarum febrium rationem prorsus ignorasse, & tamē intereà illum nihil puduit, alios earundem naturam rectè explicantes, erroris insimulare.

Typhodes febris gemina acceptio Græcis familiaris.

Hoc quidem lubens concedam Cardano, Typhoden febrem, apud Græcos non una ratione explicari. Sunt enim qui hanc vocem pro febre, quæ erysipelas iecoris comitatur, usurpēt. Quo utiq; modo ab Aëtio lib. 5. cap. 89. accipitur. Galenus contrà, ut iam ostēdimus, rectius pro humida febre usurpat. Eam autem, quæ iecoris erysipelata sequitur, lib. 2. de Iudiciis, cap. 7. καῦσον κακοήθεα, ἢ κακοηθέστατον, hoc est, ardētem, perniciosam, malignámve, aut perniciosissimam febrem nominat, ut dubium nullum sit, Aëtium ab immenso ardore & incendio, quo hac febre laborantes correpti sunt, Typhoden ipsam, secùs quàm veteres Græcos, appellare voluisse. Pergit deinceps

inceps Cardanus, & magno ſupercilio Hippocratis locū, qui eſt in l. 2. Ep. ſect. 5. interpretatur, ubi ita inquit: ὧ ἂν ἡ φλὲψ ἐν ἀγκῶνι σφύζῃ, μανικὸς ϗ ὀξύθυμος, ὧ δ' ἂν ἀτρεμέει, τυφώδης ὀνομάζεται. Principio igitur Latinos Hippocratis interpretes, Bartholomæū Sylvaniū & Cornariū reprehendit, quorū hic vocē τυφώδης ſtupidꝰ, ille v. ſuccēſo ſtupori obnoxius, cōvertit. Meliorē igitur illis, ſi Diis placet, interpretationē allaturus, ita ait: Sciens eos qui in fumo obverſantur ſenſibꝰ hallucinari externis, internis, atq; hebetudine quadā, huic ſimilē affectū patientes, mente Typhodeos appellavit. Bella mehercle interpretatio, & Cardano digna, utpote cuius animus ac ſenſus perpetua caligine ac fumo obducti, nō niſi obſcura & denſiſſimis tenebris involuta depromere poſſunt. Quis n. facilè intelligeret, quinā eſſent, quos ille mente typhodeos vocat, niſi eos quorū ſenſus detinētur, quiq; hebetes & ſtupidi ſunt, hac loquēdi ratione inauditet? Atqui hanc interpretationem à Cornario propoſitā, quem nominis qualitatē omnino ſervaſſe inqt, reprehēdere auſus eſt. Quùm itaq; Cardani interpretatio cęterorū cōverſionib. multò ſit obſcurior, breviter quę ſit legitima Hippocratis verborum expoſitio indicabimus.

Hippocratis locus enarratus.

Denuò taxatur Cardani interpretatio.

Ad verbum igitur præcitatum Hippocratis locum, ita convertere licebit: Cui utiq; vena in gibbero pulſarit, furioſus & iracundus eſt. Cui verò quieverit, mutus. Vt autem ſtudioſi cognoſcant, cur τυφώδης vox, à nobis per mutus ſit interpretata, ſciendū erit, ꝙ τυφώδης Hippocrati planè contrarius ſit ei, qui μανικὸς dicitur. Nā, ut Galenus in libello de interpretatione antiquarum vocum Hippocratis, autor eſt, τυφώδης vox idē quod ἐνεὸς ϗ καθεζόμενος, id eſt, mutus & ſedens denotat. Neq; enim ἐνεὸς Phavorino teſte, Gręcis eſt niſi ἄφωνος, ϗ ὁ ἠλίθιος, id eſt, mutus & ſtupidꝰ. Mutum verò in præſentia non intelligas eum qui voce deſtitutus eſt, & loqui non poteſt, ſed eum potiùs, qui ob morbum, quo iam infeſtatur, ſilet, &

Τυφώδης contrarius ei qui μανικὸς dicitur πύρετος.

ἐνεὸς.

sedet, nec furiosi instar vociferatur, cõsurgit, ac exilit, ut sunt ii qui lethargo correpti sunt, aliisq; soporosis affectibus detinentur. Quapropter τυφώδης à lethargico ferè diversus non est, utpote qui somnolentus, desidiosus, ignavus sit, & vix, aut tardè admodũ quocunq; interpellatus modo respondet, contrarius autem furioso, ac phrenitico. Hinc τυφωμανία malum, Græcis dicitur, è lethargo & phrenitide mixtum & compositum, ut infrà latiùs docebimus. Sed longiùs, ut Cardani impudentiam retunderem, ab instituto digressus sum. Maluissem autem hic & alibi continua orationis serie docere quæ ad institutum pertinebãt: sed tanta est quorundam petulantia & malicia, ut nõ patiantur in proposito nos hærere, sed calumniis suis potiùs aliò me traducunt. Quos si interdum acerbiùs excepero, non est cur quispiam miretur. Neq; enim fieri potest, quin tandem tot calumniis irritatus, immodestius respondeam. Nemo enim tàm patienti est animo, quin mendaciis permotus, interdum acerbiùs adversario occurrat, præsertim ubi mendaciis eiusmodi doctrinam & dogmata vera lectori suspecta facere studet.

τυφωμανία.

Cur acris adeò sit auctor, in confutandis adversariis.

Porrò quùm apud Hippocratem & Galenum crebrò quoq; mentio fiat febrium τεταρτοφυῶν, præstat hoc etiã loco quales hæ sint breviter exponere. Sunt igitur, Galen. lib. 2. de Diff. febr. cap. 4. autore, quę tertio quoq; solùm die accessionem habent De quibus febribus quùm copiosè lib. 6 Epid. sect. 2. comm. 11. disseruerim, non est cur nunc repetenda esse putem. Cęterùm ex cõmemoratis putridis febribus, alię sunt typicæ seu ordinatę, aliæ verò errabundæ seu inordinatæ. Typicæ sunt, in quibus accessio & remissio, statis accidunt vicibus. Erraticæ febres, iam dictis contrariæ sunt Neq; enim statum tempus, neq; ullum accessionum & remissionum ordinem, servant. Quales sunt, quę ex atra bile, in quibusdam partibus mota, in quibusdam verò immota manẽte, in aliis putrescente,

Febres τεταρτοφυεῖς quæ, & quales nam sint?

Typicæ.
Erraticæ.

te, aut fervere incipiente, Gal. lib. 3. Progn. comm. 29. autore, oriuntur. Tertium primarium febrium genus fit, quādo in solidis humani corporis partibus, calor præter naturam accenditur, Græcisq; & Latinis Hectica, quòd nimirum habitum totius corporis corripiat, nominatur. Hæc profectò, calido vasi adsimilis est. Vt enim hoc, aquā, illi infusam calefacit, ita quoq; hectica solidis inhærens partibus, ac quasi iisdem infixa, omnes corporis humores calefacit. Quòd si febris illa sic increverit, ut universum corpus, omnesq; solidas eiusdem partes colliquet atq; consumat, marasmus dicitur Medicis. Si id per ætatē accidit, marasmus senectutis, seu senium Philippi vocatur. Hactenus simplicium febrium genera summa, qua potuimus, brevitate perstrinximus. Restat igitur, ut compositas ac mistas pari brevitate percurramus. Bifariam verò compositæ febres constituuntur. Primùm, quando tertiana, quotidiana, & quartana, citrà aliquam partem laborantem internam, invicem commiscentur. Secundò, quando febres ob partium phlegmonem accensæ, inter se miscentur. In utraque autem harum differentiarum alteram rursus sectionem, fieri contingit. Quæ citrà alicuius partis phlegmonem consistunt febres, dupliciter commiscentur. Vel enim cōplicantur, vel per se in totum confunduntur. Priorem mistionem Græci ἐπιπλοκήν, Latini complicationem: alteram verò κρᾶσιν Græci, confusionem Latini nominant. Est autem ἐπιπλοκή seu complicatio quando horis diversis febres commistæ invadunt. Confusio, ubi eadem occurrunt hora, adeoq; ita inter se cōfunduntur, ut eas discernere non sit facilè. Porrò tertianæ & quotidianæ febris, quatuor sunt complicationes. Vna quando tertiana & quotidiana intermittentes commiscentur. Altera, cùm tertiana intermittens, quotidianæ continuæ coniungitur. Atque hæc peculiari nomine Græcis ἡμιτριταῖος, Latinis semitertiana vocatur, quòd scilicet tota eius natura, dimi-

Hectica cur, & unde dicta.

Marasmus.

Compositarū febriū ratio.

ἐπιπλοκή.

κρᾶσις.

Complicatio.

Confusio.

Tertianæ & quotidianæ complicationes.

Semitertiana, unde & cur sic dicta.

dia parte tertianam, altera verò dimidia quotidianã continuam habeat. Tertia complicatio, quando quotidiana intermittens, tertianæ continuæ permiscetur. Quarta, ubi quotidiana & tertiana continuæ miscentur. Non solùm verò febres differentes specie, ut quotidiana tertianæ, & huic quartana: aut etiam genere, ut intermittentes cùm continuis miscentur: sed etiam febres eiusdem tùm generis, tùm speciei complicantur, ut continuæ, cum continuis, intermittentes cum intermittentibus: item tertiana, cum alia tertiana, quartana cum alia quartana, quemadmodũ fusiùs lib. 2. de Differ. febriũ cap. 7. & 8. necnon lib. 2. de Iudiciis Galenus docet, & nos in nostris super hos libros Commentariis ostendimus. Vt autem febres, ita etiám laborantes partes mistionem recipiunt, vel quia diversæ, propriam singulæ febrem accendunt, veluti lien, si ita accidat, & iecur: vel quia affectus unde oriuntur, mistus est, ut phlegmone erysipelatosa, aut erysipelas phlegmonosum. Cùm itaque multifariam componantur febres, in omnibus iis dignoscendis mistionibus, medicum exercitari oportet. Quod fiet, si primùm omnium, idq; accurata diligentia, simplicium febrium species perdiscat. Nam nisi illas exquisitè teneat, fieri non potest, ut unquam compositas probè assequatur, & intelligat differentias. Atqui cum compositarum cognitio sit planè difficillima, adeò ut in iis rectè discernendis non raro etiam periti medici fallantur, operæprecium erit, ut medicinæ studiosi diligenter, quæ de febrium differentiis duobus in libris à Galeno scripta sunt, perlegant. Qui etsi cognitu difficiles sunt, tamen à nobis ita sunt commentariis illustrati, ut ab omnibus ferè intelligi possint. Cæterùm ut studiosorum memoriam iuvaremus, simplicium febrium genera sequenti schemate complexi sumus.

Febriũ simplicium varia συμπλοκή.

Febrium misturas, quare cognoscere debeat medicus.

l. d. different. febrium commendantur.

Febrium

Febrium simplicium tria sunt prima genera. Vel enim calor præter naturam accenditur in

- Spiritibus, & fit ἐφήμερα, *hoc est, diaria. Estq; duplex, scilicet*
  - Ephemera *seu Diaria simpliciter, & citra adiectionem sic dicta.*
  - Diaria *plurium dierum, alio nomine synochus non putrida vocata.*
- Humoribus, *& fit putrida. Putrescũt autem bifariam: vel enim*
  - Intra *vasa, & fit continua idque bifariam: vel enim*
    - Omnes *æqualiter putrescunt, & fit Synochus putrida. Quæ utiq; triplex est,*
      - Acmastice.
      - Epacmastice.
      - Paracmastice.
    - Vnus *duntaxat, & sic erit* συνεχὴς *Græcis, continua Latinis dicta. Si enim putrescit*
      - Bilis *flava, fit tertiana continua, Græcis* καῦσος, *Latinis Ardens nominata.*
      - Pituita, *quotidiana continua.*
      - Atra *bilis, quartana continua.*
  - Extra *vasa, & fit intermittens. Si enim putrescit*
    - Flava *bilis vel*
      - Syncera *& pura, fit tertiana exquisita.*
      - Pituitæ *mistæ, tertiana spuria.*
    - Pituita *vel*
      - Dulcis, *quotidiana intermittens.*
      - Vitrea, *fit Epiala.*
    - Atra, *quartana intermittens.*
- Solidis, *& fit vel*
  - Hectica.
  - Marasmus.

VITIO-

VITIORVM CAPITIS BREVIS enarratio, & quædam quasi nomenclatura. Cap. XI.

Alopecia quid. Vnde dicta.

Ἀλωπεκία Græcis, vitium eſt capitis, in quo, deciduus capillus areas efficit. Sic autem appellatum eſt, quòd vulpi, quæ Græcis ἀλώπηξ dicitur, crebrò accidat. Latini propria deſtituti nomenclatura, cum Græcis, alopeciam itidem vocant: Barbari, ut frequenter aliàs, unius immutatione literæ, vocem depravantes, alopiciam nominant.

Ophiaſis quid?

Ὀφίασις Græcorum medicis vitium eſt, quod læſam capitis partem, ſerpentis modo, quæ iisdem ὄφις dicitur, glabram oſtendit. Latini haud ſecùs atq; Græci ophiaſim appellant.

Tyria.

Barbari medici Arabum doctrinam ſectantes, Tyriam nuncupant. Tyri enim voce, omnes ſerpentes, potiſſimùm autẽ viperas, intelligunt Græci.

Calvitium.

Φαλάκρωμα & φαλάκρωσις vitium eſt, in quo, univerſi calvæ pili, defluunt. Latinis calvities & calvitium dicitur.

Πιτυρίασις.

Πιτυρίασις vitium eſt Græcis, in quo tenues ac furfuraceæ ſquammulæ, ex capitis cute, citrà exulcerationem decidunt.

Porrigo. Furfures.

Latinis, Celſo potiſſimùm, porrigo nominatur: Barbaram excolentes medicinam, furfures vocant.

Φθειρίασις pediculorum in capite acervatim facta generatio, & provẽtus uberrimus eſt.

Pediculatio.

Latinis pediculatio & morbus pedicularis nuncupatur.

Achores.

Ἀχῶρες ulcuſcula ſunt capitis, tenuiſſimis foraminibus, cutem perforantia, è quibus glutinoſa excernitur ſanies putidiſſima. Plinius manantia capitis ulcera appellat.

Tinea.

Noſtræ ætatis medici, à tinearum in veſtibus ſimilitudine, capitis tineas nominant; ut enim hę multo, eoque tenui morſu, ac eroſione veſtes perforant, ſic etiam capitis cutem, achores, Avicenna Saphacum nuncupat. Pueros hoc malum maximè exercet. Simile huic, aſpectu & figura, vitium eſt, quod

quod Græci κήριον, Latini favum nominant, majora tantùm foramina habens, in quibus humor melli similis continetur, perinde atque in favis apum, unde etiam nomen suum traxisse, affectum hūc certum est. *Favus.*

Κεφαλαλγία, capitis dolor est, recens factus, haud diuturnus & inveteratus, sive per se accidat, sive alterius affectus symptoma, & comes sit. Barbarā sectantes medicinam Sodam vocare, Arabum more solent. *Cephalalgia.* *Soda.*

Κεφαλαία verò, diuturnus & ægrè cedens, ac contumax capitis dolor est. *Cephalæa.*

ἡμικρανία, vitium est, dimidiæ capitis parti, dolorem inferens, nunc dextræ, nunc sinistræ, sutura enim per cranii longitudinem extensa distinguitur caput. *Hemicrania*

Σκότωμα vitium est, in quo, obtenebrationes hebetudinesque oculis obversantur, & omnia circumagi ac rotari putantur. Latinis vertigo tenebricosa dicitur. Alio nomine σκοτόδινος dicitur, ut sect. 4. Aphoris. comment. 17. Galen. testatur, dum ait hoc vitium fieri, quum simul quæ cernuntur circumagi putantur, & derepentè sensus, visus perit, existimantibus, qui id vitii patiuntur, sibi offusas esse tenebras. Latinis propriè vertigo, & visio tenebricosa nominatur. Idem vitium etiam Græcis, Hippocrati maximè, ἴλιγγος appellatur, ut testis est sect. 3. Aph. comment. 18. idem Galen. dum ἴλιγγον interpretatur σκοτοδινιᾶν. Differt autem ab eo vitio, quod simpliciter δῖνος nuncupatur. Nam ut lib. 4. de Victu acut. morbor. comment. 37. attestatur Galenus, δῖνος est, quum caput circumagi videtur: ubi verò tenebricosa simul visio fuerit, σκοτόδινος appellatur. Quare δῖνος non est nisi vertigo simpliciter. Qui barbaram colunt medicinam, depravata voce Scotomiam nominant. *σκότωμα.* *Vertigo.* *σκοτόδινος.* *Δῖνος quid?*

ἔγκαυσις, ustio est, circà caput perseverans, à sole facta. Latinis ustio solis appellari potest. *Ustio solis.*

Σειρίασις, Paulo lib. 1. cap. 13. autore, phlegmone est partium, quæ circà cerebrum & ejus membranas consistunt. Proinde, à phrenitide nihil distare videtur. *Σειρίασις.* *Phrenitis.*

Φρενῖτις enim Galeno lib.2. de Sympt. causis cap.11. teste, cerebri, ejusdemque membranarum est phlegmone. Sopor malũ est phrenitidi cõtrarium. Quum verò soporis vox ambigua sit, utrumque somnũ, eum scilicet, qui naturalis, & eum qui præter naturam existit, significet, non rectè faciunt Latini medicorum interpretes, quòd hanc vocem ei dũtaxat vitio, quod Græcis Κῶμα dicitur, accommodant. Præstat enim ut medici, ad evitandam confusionem, somni vocabulum naturali, soporis verò non naturali somno accommodent. Sopor igitur nobis, non est nisi somnus exuperans; aut profundior quàm par sit, & naturæ conveniat, à quo animal difficilè excitatur. Cujus quidem quinque sunt species, nempe coma sive cataphora, catoche sive catalepsis; carus, lethargus, & apoplexia. Quomodo verò inter se differant, ordine explicabimus, & longius quidem quàm Institutionum medicinalium fortè ratio ferat: quòd scilicet nemo, quod sciam, ferè sit hodie, qui harum vocum significationes legitimas teneat. Κῶμα igitur, ut author est lib.3. Epid. comment.1. in textus septimi explicatione Galenus, non est nisi κα]αφορά, id est, delatio in somnum.

Sopor quid.

Sopor propriè acceptus quid?

Soporis species quinq;.

κῶμα quid.

κα]αφορὰ quid.

Delatio autem in soporem, eodem ibidem teste, est quum ægri vigilare nequeunt, oculosque minimè apertos, sed conniventes potiùs habent: & vel profundo, vel tenui levique sopore, vel vigiliis detinentur identidem. Coma igitur reverà somnus non est, sed somni quoddam præter naturam desiderium. Quapropter Græcis à verbo κωμαίνειν, quod illis somnum appetere significat, κῶμα deductum est. Comatosi autem sunt, qui præter naturam dormire cupiunt, quanquam diversa ratione. Alii enim in profundos aut leves tenuésve somnos incidunt: alii verò desiderio dormiendi frustrantur, & vigiliis detinentur assiduis. Vt hinc palàm sit, Coma Hippocrati, & veteribus aliis Græcis duûm esse generum,

κῶμα unde dictum.

Comatosi qui.

Coma duplex.

nem-

nempe, ὑπνῶδες, id est, somniculosum: & οὐχ ὑπνῶδες, ἄγρυπνον, hoc est, non somniculosum, aut vigilans. Commune quidem utrisq; est, non posse attollere oculos: statim enim gravantur, & dormire cupiunt assiduò: hincq; adeò est, ut utrumq; comatis nomē sortitum sit. Privatim autem, somniculosum coma, id obtinet, ut in eo ægri dormiant, idque nonnunquam profundè diuque, ut difficilè expergisci possint. Hoc Hippocrati lib. 3. Epid. comm. 3. textu 64. κῶμα βαρὺ, id est, coma grave, sive profundum appellatur. Fit, (Galeno textu septimo comm. 1. lib. 3. Epid. autore, ob multam cerebri humiditatem, ut nonnullis evenit inebriatis: sæpiùs autem ob solum ejusdem frigus, & interdum propter utrumque: præterea ob virtutis imbecillitatem adeò jam debilitatę, ut palpebras sublatas servare ægri non valeant. Interdum verò in somniculoso comate, somni leves, tenues, parvive sunt, unde coma leve, tenue, sive leves aut tenues somnos obtinens dicitur. Hoc non à pura pituita, ut præcedens, nascitur, sed ut Galenus lib. 3. Epidem. comm. 3. testatur, ubi tenuis humor, flava nimirum bilis, cum pituita conjuncta est & confusa. Non igitur à puro humido & frigido, sed cum aliquo calore conjuncto, cujusmodi est bilis cum pituita mista, ut diximus, aut putrescens pituita, procreatur. Quòd autem id coma, à calore frigori permisto fiat, attestatur idem Galenus capite vigesimonono, Artis medicæ, ubi de calidi & humidi cerebri notis agens, ita scribit: ὕπνῳ τ' ἐπιτρέψαντες ἑαυτοὺς ἅμα τε κωματώδεις εἰσὶ, καὶ ἄγρυπνοι: id est, Ad somnum autem conversi, simul inclinationem ad somnum habent, & vigilant. Quippe cerebri calor vigiliam, humiditas autem ad somnum inclinationem inducit. Alterum coma, quod Galeno οὐχ ὑπνῶδες, καὶ ἄγρυπνον, id est, non somniculosum, & vigilans, nuncupatur, fit quando inclinatio ad somnum inanis est, ægerque vigiliis detinetur. Eo correpti,

Coma est duplex, somnolentū & pervigil.

Somniculosum.

Grave seu profundum; unde fiat.

Leve, tenue, sive leves somnos habens.

Pervigilis comatis causa.

ut Galenus libr 3. Epidem. comment. 3. textu 40. testatur, apertis oculis vigilare nequeunt, sed coniventes claudentésve oculos, spe dormiendi inani, vigiles permanent. Hi denique, ut idem in libello de Comate autor est, vigiles se versant hinc inde in lecto, alia post aliam imaginatione accedente, mentemq; movente, ac somnū intercipiente: unde semper quidem vigilant, verùm exurgere non possunt; nec vigilantium obire queunt munera, habentq; deterius, quàm si exquisitè vigilarent. Gravi namque & ponderoso sunt corpore, obdormiscuntque, ita ut si somnū illis permittas, speres facilè dormituros, quum tamen neque dormiant, neque se sē dormituros sperent. Hi, eodem Galeno libr. 3. Epidem. comment. 3. textu 40. teste in medio sunt tùm exquisitè vigilantium, tùm dormientium: partim enim vigiles sunt; nec tamen vigilantium munera obeunt: partim etiam inclinationem in somnum habent insignem, nō tamen dormiunt. Cæterùm ex iis quæ diximus abundè constare arbitror, Coma perpetuò esse præter naturā, quòd nimirum soporis, adeoque somni præter naturam sit species, & ex morbosa causa excitetur, nec nisi iis qui præter naturam affecti sunt, accidat. Proinde plurimum errat Argenterius, quòd coma non semper esse præter naturam dicat. Fallitur enim, quòd putat Galenum in loco paulò antè ex Arte medicinali producto, signa cerebri sani hominis docere, quum illic potiùs agat de cerebro in quo calor & humiditas plurimum excedunt. Id quod è verbis Galeni fit manifestissimum, quæ sunt ejusmodi: Si verò calor, & humiditas plurimum excesserint, *νοσῶδες*, id est, morbosum erit, & excrementosum cerebrum. Hæc ille. Morbosi igitur etiam sint, qui ea de causa, comatosi & vigiles sunt, necesse est. Si enim causa morbosa est, etiā id quod ex ea causa in cerebro procreatur, morbosum sit oportet. Præterea Galenus cap. 3. libri de Sympto. differ. coma sive cataphoram inter symptomata & vitia primi sensorii recenset, & posteà definit esse

Coma perpetuò præter naturam est.

Argenterii lapsus.

Galeni loci conciliati.

eſſe imaginatricis facultatis motũ infirmum. Quod ſanè utrumque rectè vereq; dicitur. Quatenùs enim coma, ſopores, & vigilias inducit, primi ſenſorii ſymptoma eſt. Quatenùs autem in comate ſomniculoſo, gravi præſertim, imaginatrix vis patitur, eatenus principis facultatis, nempe imaginatricis, ſymptoma eſt. Nam propter aſſiduum & profundum ſomnum, itemque frigidum humorem cerebrum opprimitur, & graviſſimè afficitur, ideoque omnes ejus vires ac ſenſus, ipſaque etiam imaginatio, imbecilles fiunt, ac malè adminiſtrantur. Quocircà non rectè Galenus hoc nomine, tanquam ſibi contrarius, ab Argenterio accuſatur. Atque hactenùs de comate & cataphora propriè ſic affectibus dictis, hæc retuliſſe ſatis ſit. Sumuntur autem hæc vocabula interdum generatim pro omnibus vitiis, in quibus homo in ſomnum præter naturam καταφέρεται, id eſt, delabitur. Hac quidem ratione Galenus 2. comm. libr. Prorheticorum textus 29. explicatione, ut coma appellemus carum permittit, quòd ſcilicet utrumque vitium, ſit profundi, & excitatu difficilimi ſomni genus. Et idem lib. 13. Therá. Methód. cap 21. interna ταφορὰς βαρείας, id eſt, profundas in ſomnum inclinationes, apoplexiam, carum, & catochem numerat. Libro denique 11. de Simpl. medicam. facul. capite de caſtorio, cataphoricos & lethargicos affectus pro iiſdem accipit, nempe pro ſoporoſo affectu profundo, & excitatu difficili, qui cum febre conſiſtit. Generis itaque vox καταφορα omnibus ſoporibus cõmunis, lethargi adjectione, eo loci, apud Galenum, ad eum tantùm ſoporem, cum quo febris conjuncta eſt, aſſiduò contrahitur. Non rectè igitur Argenterius, Galenum accuſat, quaſi hæc duo, inter ſe ſe confuderit ille nomina. Non enim confundit qui nunc propriè, nunc generatim utitur vocibus, quòd ſcilicet id Galeno, & aliis etiam autoribus ſolenne admodum ſit, & uſitatiſſimum. Quare Argenterius ſuam orationem, ad veterum potiùs rationem accommodare, atq; ad illorum

Coma ſeu cataphora generatim.

Galenus ab Argenterii reprehenſione aſſertus.

præscriptum loqui, aut certè eorundem scripta, candidè interpretari, non ita illis perpetuò insultare debuisset.

κατοχὴ καὶ κατάληψις. Detentio.

Κατοχὴ καὶ κατάληψις Græcis, detentio, apprehensio, vel occupatio Latinis dicta, vitium est in quo, tùm mens, tùm corpus, sensu & motu penè privatum detinetur, ægerque in ea corporis permanet figura, in qua fuit correptus, sive sederit, sive jacuerit: sive clausis, sive apertis oculis perstiterit. Sopor itaq; est, qui nunc apertis, nūc verò clausis fit oculis. Quum verò, hoc laborantes vitio, eo modō, quo, qui à frigore cōgelantur, & concrescunt, afficiuntur idcircò, recentioribus congelatio vocata est.

Congelatio. Catoche & catalepsis nō differunt.

Catochen autem, & catalepsin idē significare, nec quicquam inter se se differre, Galen. multis in locis, suorum monumentorū docet, præcipuè verò lib. 3. de Labor. locis, cap. 4. ubi inter cætera sic scribit: τῆς ὀνομαζομένης ὑπὸ τῶν νεωτέρων ἰατρῶν κατοχῆς τε καὶ καταλήψεως: id est, nominatæ à junioribus medicis catoches, & catalepseos. Et iterum lib. 4. ejusdem operis, cap. 3. κατὰ δὲ τὰς καταλήψεις τε καὶ κατοχὰς ὀνομαζομένας τὰ ὀπίσω πάσχει. hoc est: In catalepsi & catoche nominata, posteriora capitis patiuntur. Multò autem clariùs in Isagoge, sive introductorio in pulsus, ubi ita scriptum reliquit: κατόχους γὰρ κατεχομένους ἐκάλουν αὐτοὺς οἱ παλαιοί. κατοχὴν δὲ καὶ κατάληψιν οἱ νεώτεροι τὸ πάθος ὀνομάζουσιν. Hoc est: Catochos namq; & catechomenos veteres ipsos appellarunt: juniores autem, vitium ipsum catochen & catalepsin dixerunt. Sed desino plura ejus rei testimonia ex Galeno proferre, & coacervare.

Aetii definitio.

Et subscribit etiam Aëtius, qui lib. 6. c. 4. sic scribit: μέσον τοῦ φρενίτιδος καὶ ληθάργου πάθος εὑρήσεις, ὅ ἐστιν εἶδος παρανοίας, ἢ παρακοπῆς. καλεῖν δὲ τοῦτο εἰθίσθησαν οἱ ἰατροὶ κατοχὴν καὶ κατάληψιν, ἐπὶ χυμῷ συμβαίνοντα μᾶλλον μελαγχολικῷ. καὶ ὅτε μὲν δοκοῦσιν ὑπνώττειν· ὅτε δὲ ἀνεῳγότα ἔχουσι τὰ βλέφαρα, ἢ τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἢ ἀκινήτους. Id est:

Medium

Medium inter phrenitidem & lethargum vitium, invenies esse illud, quod species est delirii sive amentiæ. Medici autē hanc catochen, & catalepsin vocare consueverunt, ex melancholico humore magis contingentem. Et aliquando dormire videntur, aliquandò autem palpebras apertas habent, aut instant, aut intentè vident, & veluti fixos immobilésve obtinent palpebras, aut oculos. Ex omnibus igitur iis quæ hactenùs diximus, perspicuū evadit, catochen & catalepsin idē esse Græcis medicis vitium. Non est autem surda aure prætereundum, quod Aëtius dixit, catochen à melancholico magis fieri humore, quàm ullis aliis succis. Nam iis verbis tacitè innuere voluit, hanc ipsam interdum ab alio quoq; humore, pituitoso nimirū, fieri posse. Quod confirmat etiam Galenus, qui libro decimotertio Therap. Metho. cap. 21. ita scriptum reliquit: In vitiis quæ cum vigiliis conjuncta sunt, sopire, ac stupefacere cerebrum oportet, quod autem suprà modū incaluit caput refrigerare. In contrariis autem vitiis excitare, ac noxii humoris, qui citra putredinem, & citra febrem cataphoras graves invehit: crassitudinem incidere atque calefacere. Tales Græci, apoplexiam, carum, & catochum appellant. Et Paulus lib. 3. cap. 6. idem paulò clariùs significavit, dum ita inquit: τοῦ δ' αὖ φλεγματώδους κατακρατοῦντος χυμοῦ, κωματωδῶς αὖθις καταφέρονται: οἱ δὲ παλαιότεροι τοῦ Γαλήνου, κάτοχον τοῦτο προσηγόρευον. Hoc est: Pituitoso rursus dominante humore, iterum in profundum delabūtur somnum Vetustiores autem Galeno medici, hoc vitium, catochum appellarunt. Per vetustiores autem, Aegineta Archigenem & Philippum intelligit. Hi enim catochum impropriè eum quoque nominarunt capitis affectum, quem pituitosus humor procreat, & in quo oculi connivent, & clausi sunt. Cujus rei testis est Galenus, qui libro tertio Epidem. comment. 2. textu penult. sic inquit: Nihil referre ajunt, vel catochum dicas, vel coma,

Paulus.

Vetustiores qui.

,, non cognoscentes Hippocratem distinguere profundum coma, à comare vigili. Profundum igitur coma, communitatem habet quandam cum vocata ab Archigene & Philippo catoche, non tamen cum vigilante comate. Hæc ille. Habet autem coma profundum, ut id obiter etiam dicamus, & catoche Archigenis & Philippi cōmunitatem, quòd ab eadem causa, pituita scilicet, ambo vitia proveniant. Hinc igitur palàm fit, Galeno & veterib. duplicem fuisse Catochen. Vnam propriè dictam, quòd scilicet in ea oculi aperti detineantur. Hæc ex melancholico, hoc est, frigido & sicco humore, in capitis posterioribus coacervato, generatur. Alteram impropriè appellatam, quòd nimirum in ea oculi clausi sint. Hæc è pituitoso nascitur humore. Quod dicimus, comprobat Galenus libro secundo Prænotionum, textu 56. ita dicens: τοὺς γὰρ ἰδίως κατόχους καλουμένους, καὶ οἱ περὶ τὸν Ἀρχιγένην καὶ Φίλιππον ἴσασιν ἀναπεπταμένους ἔχοντας τοὺς ὀφθαλμοὺς, οὐχ ὡς κωματώδεις, καὶ οἱ καταφορικοὶ κεκλεισμένους. ἐπ' ἐκείνων μὲν γὰρ ὑγρότης αἰτία τοῦ παθήματος ἐκλύουσα τὸν τόνον τῶν νεύρων. ἐπὶ τούτων δὲ διὰ ξηρότητα τάσις γίνεται. Quod est, Propriè vocatos catochos, seu detentos, Archigenes & Philippus, sciūt esse eos, qui habent oculos apertos, non, ut comatosi & cataphorici, clausos. In iis humiditas, causa est vitii, quo robur nervorum dissolvitur. In illis autem propter siccitatem tensio fit eorumdem. Ex iis igitur palàm fit, Argenterium non rectè confusionis & repugnantiæ accusare Galenum, quòd lib. 4 de Labor. locis, cap. 3. catalepsin apertis palpebris fieri scribat, alibi verò dicat, eorum qui hoc malo laborant, oculos nunc apertos, nunc clausos esse. Quippe in libro de Laborantibus locis de catalepsi propriè dicta tantùm loquitur. Alibi verò de utrisque affectibus illi sermo existit. Hinc quoque perspicuum evadit, in errore versari eos, qui Archigenem & Philippum catochen appellasse vigilantem soporem, seu coma vigilans

Duplex catoche veterib.
Propriè dicta.
Impropriè vocata.
Galenus ab iniuria Argenterii defensus.
Error quorundam.

lans

lans arbitrantur, quum ex jam dictis constet, eos ita potius nominasse coma profundum, quod quidem ex pituitoso tantùm fit humore, non id quod ex mixto cum bilioso nascitur, & coma vigilans vocatur. Quod non animadvertens Paulus Aegineta, autorem utique definitionum secutus, contra Galeni & veterum aliorum Grecorum mentem, triplicem lib. 3. facit catochen. Vnam cap 6. à pituitoso humore natam, quæ non est nisi Archigenis, & Philippi catoche. Alteram cap. 10. à melancholico ortam humore, quæ non est nisi catoche propriè dicta. Tertiam compositã, hoc est, ex pituitoso & bilioso humore procreatam. Hæc, non est, nisi coma vigilans, id quod capitis inscriptio satis testatur, quę est ejusmodi: περὶ κατόχου, ἤγουν ἀγρύπνου κώματος: id est, de catoche, sive vigilante comate. Paulo, ut modò dicere cœpimus, astipulatur autor definitionum medicarũ, qui in hunc modum scribit: εἴδη κατόχου τρία. ὁ μὲν ὑπνώδης ὃς παράκειται ληθάργῳ. ὁ δὲ ἕτερος ἐγρηγορώς, ᾧ παράκειται τετάνῳ. τρίτον εἶδος κατόχου, ὃν οὐκ ἄν τις ἀσυνήθως κάτοχον ὀνομάζοι φρενιτικόν. γίνεται γὰρ ἐκ μίγματος ἀρρωστημάτων κατόχου τε καὶ φρενίτιδος. Quod est: Tria catochi sunt genera. Vnus quidem somnolentus, qui lethargo accedit. Alter verò vigilans, distentioni similis. Tertium genus catochi, quem quispiam non insuetatè phreniticum dixerit. Fit enim ex mixtis vitiis catoche & phrenitide. Quum verò obscuritate haud vacet, quòd catochen vigilantem tetano accedere dixerit, sciendum erit id ideo fecisse illum, quòd in catocho propriè dicto oculi tensi, aperti, & immobiles manent, haud secus atq; cervix in tetano riget, & immobilis permanet. Vt ex iis quæ jam diximus omnibus perspicuum evadat, Pauli, & definitionũ authoris errorem, secutum esse etiam Amatum Lusitanum, qui itidem catochen, cum comate vigilante cõfundit. Hinc magna temeritate, Centuria secunda, curatione decimaquinta me erroris insimulare ausus

Pauli Aeginetæ lapsus.

Catoche triplex.

Coma vigilãs an, & in quibus cum tetano conveniat.

Amati Lusitani error proponitur & cõfutatur.

est, quod in medendi mea ratione, de catalepsi & catocho eodẽ in capite, tanquam de uno tantùm morbo, egerim. Quasi verò, ut ille cæcutiens sentit, diversi sint morbi, qui iis duabus vocibus significãtur. Vtinã verò unus tãtùm Lusitanus hoc in errore versaretur, & non alii quoque multi doctissimi viri, huic implicit essent. Idem enim quod ille Budæus, Copus, Iacobus, Sylvius, Fernelius, & Lãgius in suis medicinalibus epistolis sentiunt. Ita sæpè unius error, multos etiam alios, in errorem pertrahit. Quare haud facilè cujusq; sententia amplectenda erit. Periculum enim est, ne crebrò falsum pro vero arripiamus, si aliis plus æquo credamus. Cæterùm, ne id silentio involvamus, catalepsios generationis multæ sũt causæ. Fit enim interdum, Galeno lib. 1. de Symptom. causis cap. 7. autore, per consensum crebri cum ore ventriculi, quod minimè quidem mirum est. Si enim hac quoque ratione, ut ibidem tradit Galenus, melancholia fieri potest & ea maximè melancholię species, quæ Græcis φυσώδης καὶ ὑποχονδριακὴ, id est, flatuosa & hypochõdriaca nominatur, quemadmodum lib. 3. de Labor. locis cap. 6. Gale. etiam testatur, nempe, aura exhalationéve quadam maligniore ac melancholica, à ventriculo laborante, sursum ad cerebrum transmissa: quid mirum, si etiam sive humore pituitoso, sive crasso vapore, à ventriculo sursum delato, & cerebrum refrigerante, coma, & catalepsis impropria, aut certè etiam propria, si siccus halitus, aut humor cerebrum desiccans, sursum feratur, procreetur? Quum enim nervorum à sexto pari cerebri ortorũ interventu ventriculus cerebro jungatur, eisq; partib. hoc nomine maximus sit cõsensus, facillimus profectò hinc ad illud est transitus. Vt immeritò ab Argenterio hoc nomine reprehẽsus sit Galenus. Nec reprehensionem etiam meretur, quòd idem sectio. 2. aph. com. 3. frigiditatem cerebri, cum siccitate cõjunctam, causam catalepsios facit. Nam metipse Argenterius ab iisdem causis hoc vitium procreari scribit.

Confutantur alii quoque Lusitani asseclæ.

Causæ catalepsios variæ.

Flatuosa melancholia quid.

Galenus ab Argenterii calumnia assertus.

Nec

Nec notari debuit Galen. quòd lib. 2. Prænotionum à sola siccitate vitium hoc fieri memoriæ prodiderit. Siquidem & ipse Argenterius, à sola cerebri frigiditate catalepsin propriè dictā, non semper, ex aliquo humore fieri, fateatur. Quùm itaq; à diversis causis catalepsis nascatur, minimè vitio Galeno ab Argēterio vertēdū erat, quòd variis in locis catalepsim à variis & differentibus causis procreari scribat. Immeritò quoq; Aëtium erroris insimulare videtur Argenterius, quòd is catalepsin nunc ab humore melāncholico, nunc à sanguine copioso in caput irruente, nasci pronunciat. Nam si à frigido & sicco fit humore, ut dictum est, igitur etiam à melancholico sanguine, quòd ille scilicet natura sua humor frigidus & siccus sit. Sed instat Argenterius: Si melancholicus humor id vitium parere potest, cur igitur ii qui melancholia laborant, non omnes fiunt cataleptici? Rectè utique facit Argenterius, quòd non prorsus negat melancholia laborantes fieri catalepticos. Siquidem id nō solùm absurdum fuisset, sed & manifestè falsum. Cur autem nō omnes melancholici fiant cataleptici, epilepsiæ exemplo lib. 6. Epid. sect. 8. aph. 44. Hippocrates monstrat, inquiens: Melancholici magna ex parte epileptici fieri consueverunt. & contrà epileptici melancholici efficiuntur. Horum verò utrumlibet magis evenit, prout vel in hanc, vel in illam capitis partē infirmitas repit. Si enim in corpus, epileptici: si verò in mentem, melancholici. Hæc ille. Quibus utique verbis Hippocrates docet, cerebrum à melancholia bifariam affici. Vno modo, ut est pars instrumentalis, seu ut Hippocrates vocat, corpus. Id quod certè accidit, si in eius cavitatibus, melancholicus humor, obstructionem excitat. Atq; hac quidem ratione, epilepsiam creat. Altero modo, ut est pars similaris. Id quod fit, ubi cerebri temperamentum læditur, ac mutatur. Hac quidem lege in mentem seu rationem repit, & melancholiam efficit. Simili modo etiā catalepsin propriè dictam efficit, ubi scil: melancholicus

Catalepsis quandoq; à sola generatur siccitate.

Aetius defensus.

Catalepsis an oriatur ex melancholia.

A melancholico succo bifariam læditur cerebrū.

humor, cerebrum suprà modum exiccat, eiusq; temperamentum immutat. Quòd autem à sanguinis copia, hoc vitium fieri, Aëtius scriptum reliquerit, non simpliciter esse intelligēdum existimo, de quovis nimirum sanguine. Siquidem is qui vitio omni caret, nihil tale creare poterit. De melancholico igitur locutus est sanguine, qui quùm frigidus & siccus existat, nihil miru si catalepsim efficiat. Sed de catalepsi & catoche satis. Κάρος propriè dictus Græcis à capite, quod illis κάρη dicitur, parte nimirum laborante, in qua fit, & à verbo καρῶσθαι, quod iisdem aggravari significat, nomen accepit. In hoc namq; vitio, caput aggravatur. Est autem Carus is, ut Galen. lib. 4. de Lab. locis, cap. 3. autor est, vitiū, in quo sensus & motus perit, respiratione tamen illæsa permanente. Qui igitur caro laborant, ut lib. 6, cap. 5. ex Posidonio testatur Aëtius, somno profundo detinentur: ac si stimulentur, sentiunt quidem, non tamen loquuntur, neq; oculos aperiunt. Vnde perspicuum evadit, Carum Græcis vocatum vitium, Razi Mauritano, Subeth appellari. Nam is in lib. 9. Almansori inscripto, cap. 5. Subeth iis describit verbis: Est Subeth, ubi aliquis quasi dormiens iacet, & tamen sentit, moveturq; , sed oculos utplurimùm habet clausos, quos tamen, ubi cum clamore vocatur, aperit, quanquam statim iterum claudat. Hæc ille. Quum verò inquit, Tamen sentit & movetur: intelligendum erit, ut omnes eiusdem expositores interpretantur, si scilicet stimuletur. Movetur præterea, non tamen vehemēti, sed levi admodum motu. Razis sententiā secuti sunt etiam Montanus, & Sylvius, qui itidem Carum cum Subeth eundē esse statuunt. Quare non erat cur Argenterius me reprehenderet, quasi nulla ratione motus scripserim, Subeth Arabibus idē esse vitiū, quod Carum. Eius enim rei, in ea familia Razem habui autorem, quem in morborum appellationibus Medici recentiores barbari magis sectantur. Non ignoro au-

Catalepsis à sanguine.
Κάρος quid?
Carus quid?
Subeth quid?
Caro detenti sentiunt & moventur.
Argenterius reprehēditur.

ro autorem Subeth Avicennæ & Serapioni non minus coma ſeu cataphorā, quàm Carū ſignificare. Imò interdū Subeth nomine Arabib. etiam Lethargus intelligitur. Vt hinc quoq; liquidò appareat, doctrinā Arabū eſſe confuſam.

Arabum doctrina confuſa.

Cæterū nō temerè nobis paulo antè dictum eſt, Carus propriè ſumptus. Siquidem Carus Galen. & aliis veteribus geminus exiſtit, morboſus, & non morboſus.

Carus duplex.

Carus non morboſus, eſt ſomnus profundus, qui interim nullum morboſum ſequitur affectum, qualis certè eſt, qui ex vini immodici potione fit, & in pueris plerumq; propter maiorem vaporum, & exhalationum benigniorum cōpiā oritur. Atq; is quidem impropriè Carus nominatur. Hinc eſt quod Gal. permittat impropriè loquentibus, ut Carum etiam ſimpliciter appellent. Propriè autē loquētibus, (quòd à bono fiat ſomnus hic humore,) Carus ſimpliciter haùd dicitur, ſed potiùs profundus ſomnus, aut cum adiectione Carus bonus

Non morboſus ſive bonus, & ſalutaris.

Morboſus contrà eſt, qui morboſum aliquem cerebri affectum ſequitur. Atq; is iterum duûm eſt generum, mitior nimirum, & pernicioſus.

Morboſus.

Mitior, eſt ſomnus profundus, & excitatu difficilis. Atq; is à comate, ſeu cataphora non diſtat, imò propriè loquendo non eſt, niſi coma ſomnolentū.

Mitior.

Pernicioſus eſt, quando immobilis & inſenſilis homo, tēpore aliquo iacet, etiāſi eundem ſtimules, ferias, aut clames. Hic quidem ſolus eſt, qui propriè Carus dicitur.

Pernicioſus.

Porrò ut varia eſt, appellatio & acceptio Cari, ita quoq; variæ ſunt eius cauſæ. Prior, bonus dictus, fit à copia bonæ humiditatis gravātis cerebri corpus. Alter morboſus mitior vocatus, à pituita humectante & refrigerāte cerebrū. Tertius morboſus pernicioſus nominatus, fit, quādo caput iuxtà temporales muſculos vehementer affligitur ac contunditur, & nōnunquam in acceſſionib. morborum febrilium, in quibus neque eos qui pungunt, aut contundunt, & multo minus eos qui clamant, ægri ſentiunt, aut audiunt. Quæ diximus cōfirmat Gal. lib. 2. prænotionum, textu 29. ubi planiſſi-

Cauſæ Cari morboſi in univerſum omnes.

M 5

mis verbis Cari tùm differentias, tùm causas explicat. Quare immeritò ab Argēterio reprehenditur, & cōfusionis insimulatur. Quòd enim Carum interdum comprehendere somnum non morbosum ait, id de Caro impropriè dicto intelligendum erit. Siquidem hunc metipse proprie somnum profundum appellādum esse affirmat. Quòd verò Carum, cum comate eundem esse ait id ex aliorum sententia facit, quibus permittit ut somnum profundum, & excitatu difficilem, impropriè Carum nominent, quùm propriè loquendo Coma vocetur affectus ille. Præterea quòd libro tertio, de Temp. cap. tertio Carum, frigidum capitis vitium nuncupat, de secundo Cari genere, nempe morboso mitiore, inaudiendum erit. Siquidem illic, de immodica vini potione loquitur, quòd, quia ab innato calore non vincitur ac superatur, crudum manens, frigida vitia meritò procreat. Quòd autem Carum cap. 3 de Differen. Sympto. imaginatricis facultatis symptoma esse, ac veluti quandam illius resolutionem statuit, reprehensione omni vacat. Nam Carus hanc ipsam facultatem quasi resolvit. Quùm enim sit sensus privatio Carus igitur etiā imaginationis, utpote quæ imaginatricis facultatis, obiecta sua, & imagines à sensibus nullas amplius recipientis, actio existit, privatio & resolutio sit oportet. Verè etiam idem Gal. lib. 4. de Labor. locis, capite tertio, in Caro, corpus neq; sentire, neq; moveri scribit. Nam illic de tertio Cari genere, sive de eo qui propriè Carus dicitur, loquitur. Quare ut illum redarguendi occasionem haberet Argenterius, Galeni verba nonnihil immutare voluit, & pro eo quod Galenus dixit, In Caro: ipse, In omni caroso affectu, substituit falsissimè.

Galenus ab Argenterij reprehensione defensus.

Carus phantasiæ est Symptoma.

Reprehenditur quoq; ab Argenterio Galen. quòd Caro diversas assignet causas, nempe gravissimas aliquas, leves alias, nonnullas verò levissimas, atqui minus rectè. Vt enim tria sunt Cari genera, ita etiā eius triplices esse causæ possunt. Gravissimæ, ut e.g. ictus capitis

Cari causæ variæ.

Gravißimæ.

capitis vehemens, frigiditas morbosa calorē innatū ad interna revocans, & cerebrum aggravans, atq; opprimens in pituitosarum febrium accessionū initiis, contusio musculorū temporaliū, ossis perforatio, & ventriculorum cerebri attritio. Quæ quidem omnes causæ Carum gravissimum & propriè dictū creant. Leviores verò, ut est affectus musculorū oculi, ususq; hyoscyami. Hæ Carum impropriè nominatū sive coma excitāt. Levissimę autē, ut est vini potio, & in pueris nimia humiditas, Carū bonum appellatū, efficiūt.

Leviores cari causæ.

Λήθαργος vitiū est phrenitidi contrarium, nomēq; suum deducit ἀπὸ τῆς λήθης, καὶ ἄργης, id est, ab oblivione & captura: quanquam alii malunt id nominis derivare ἀπὸ τῆς λήθης καὶ ἀργὸς, id est, ab oblivione & inertia: nonnulli ἀπὸ τῆς λήθης καὶ ἀργίας, hoc est, oblivione & otio, nullo certè discrimine quod scilicet eos, qui hoc vitio laborant, omnium rerū oblivio capiat, & inertes ac otiosi iidem decumbant. Siquidem Lethargus propriè dictus, sopor est præter naturam cōtinuus, inexpugnabilem dormiendi necessitatem, ac oblivionem cum lenta febre, pituitam in capite putrefactam comitante, inducens. Latinis Veternus appellatur. In hac quidem significatione sumitur li 13. Ther. Meth. cap. 21. ubi eius curationem ex professo Galen. docet. Idem lib. quoq; 2. de Labo. locis, cap. 5, ubi memoriæ & rationis vitium esse scribit: quod intelligendū erit, de eo quo ægroti adhuc laborant tēpore. Perit enim in iis lethargicis tùm ratio & memoria, sanato tamē ac profligato morbo, rursus nonnūquam restituuntur. Habēt etiā qui lethargo correpti sunt, deficientes & infirmos motus, ut cap. 3. libri de Sympto. differ testatur Gal. Et cap. 10. libri de Sympt. causis, practicas, id est, motrices actiones, in Lethargo esse torpidas scribit. Sentiunt etiam Lethargici, atqui ægrè & difficillimè. Neque enim prorsus in Lethargo sensus & motus abolentur, alioqui ab Apoplexia non differret lethargus. Etsi igitur, ut

Λήθαργος unde sic dictus.

Lethargus propriè.

Veternus.

Lethargici infirmi, & inertes.

Paulus lib. 3. cap. 10. attestatur, Lethargici, somnolenti semper sunt, & ægrè excitari possunt, tamen respondent, quùm interpellantur, & oculos nonnunquam aperiunt ad vociferationes, quod indicium est certissimum eos sentire, suosque motus servare. Proinde quùm Galenus alicubi scribit lethargicos nec sentire, nec moveri, intelligendum est, ægrè eos sentire, & infirmos habere motus, ut iam dictum est. Atque hactenus de Lethargo propriè vocato. Sumitur etiam interdum generatim & impropriè lethargus, pro omni somno, qui difficilem habet expergefactionem. Sic non rarò cum comate generatim sumpto coincidit. Lethargus præterea, Galeno com. 1. libri Prenotionum textu 1. autore, interdum simplex, aliquando mistus existit. Simplex est, qui fit ex uno simplici humore, nempe pituita cerebrum humectãte & irrigante. Mistus, ex phrenitide, & lethargo propriè dicto, est compositus, qui alio nomine Græcis, maximè Hippocrati, τυφωμανία appellatur. Vnde perspicuum fit, Galenum non rectè ab Argenterio reprehendi, quòd de Lethargo parum convenientia & vera prodiderit, & in eius referendis causis varius adeò fuerit, easque negligenter, & confusè explicarit. Quod enim lib. 1. Epidem. Lethargum periculosum morbum esse tradit, id, ut ex iam dictis patet, de Lethargo propriè dicto audiendum erit. Quùm enim in eo putrescat in capite pituita, periculo vacare nequit lethargus. Quod autem infirmum facultatis imaginatricis motum, in libro de Symptomate differ. esse scribit: id rectè ab eo dictum est. Nam ut in comate & caro, ita etiam in Lethargo, propter assiduũ soporem, quo ægri opprimuntur, imaginatrix facultas, quæ sensilium rerum imagines continet, deficit, & imbecilla est. Oppresso enim & à pituitâ intemperanter affecto cerebro, necesse est eius actiones quoq; impediri. Quod verò lib. 3. de Laborant. locis, cap. 6. scribit Lethargum à vehementi frigore, & intemperie frigida fieri, id verũ est, & hoc ipsum etiam affir-

Lethargus generatim sumptus duplex.
Simplex.
Mistus.
τυφωμανία.
Galenus ab Argenterii calumnia defensus.
Causa Lethargi.

affirmat Argenterius, qui aliquando ex phrenitide malè curata, prætermodum refrigerato capite, hunc nasci ait. Verum etiam est, quod comment. 1. libri Prænotionum text. 1. scribit Galenus, Lethargum fieri, quùm pituita, locum, in quo princeps animæ pars residet, humectarit suprà modum, & irrigarit. Non enim ab eius humiditate tantùm, sed etiam frigiditate fieri lethargum ita innuit: Pituita enim nulla est citrà frigiditatem. Etsi interdum à sola humiditate, (ut lib. 1. & 3. de Sympt. causis testatur idem Galenus) lethargus generatim sumptus & sic dictus, fiat. A` nimia namque humiditate, ut metipse Argenterius fatetur, calor innatus intùs veluti suffocatur, ut prodire ad exteriora posteà nequeat. Quod sect. 2. aphorism. comm. 3. tradit, vehementem frigiditatem cerebri, cū humiditate mistam, efficere lethargum, non differt ab eo quod antè ex lib. Prænotionum produximus: Intelligit enim pituitæ humiditatem, quemadmodū seipsum in libello de Atra bile explicat, ubi disertis verbis, humorem lethargum procreantem, esse lentū & crassum affirmat. Quòd lib. 13. Therap. meth. humorem in lethargo vult putrescere, de propriè vocato lethargo accipiendum erit. Cæterùm quum postremo loco me quoque erroris insimulet Argenterius, committere non potui, quin me etiam ab ipsius reprehensione vindicarem. Reprehendit verò me, quòd lethargi causam esse dixerim, pituitam nimio frigore & humore cerebrum imbuentem. Quasi verò non idem fecerit Gal. lib. 1. Prænot. com. 1. text. 1. ubi lethargū fieri ait τὸ ψυχῆς ἡγεμονικὸν μόριον ὑγραίνοντός τε καὶ διαβρέξαντος φλέγματος: id est, quando pituita, principem animæ partē humectat, & irrigat. Et comm. 3. eiusdē operis text. 31. expressis verbis ait: φλεγματῶδες τὸ πλῆθος λήθαργον ἐργάζεται, hoc est, pituitosa plenitudo Lethargum efficit. Quòd si itaque hæc verba ad Lethargum propriè dictum referantur, satis ex aliis Galeni locis constat, illa non esse, de pituita simpliciter dicta, sed de putrefacta potiùs in-

Autor ab Argenterii reprehensione sese liberat.

telligenda. Vt minimè necesse sit, id semper expressis significari verbis. Neq; ego in mea Medendi ratione, simpliciter pituitam lethargi esse causam scripsi, ut mihi falsò affingit Argenterius, sed statim subieci: Putrescit enim in hoc malo pituita. Vt hinc facilè lector candidus quid voluerim intelligere potuerit. Sed Argenterio hoc unicum est studium, ut non tantùm veteribus contradicat, sed etiam ut per aliorum ruinam emergat.

Apoplexia. Ἀποπληξία vitium est, ubi laborante cõmuni nervorum principio, cerebro putà obstructo, compresso subitò omnes corporis particulæ, motum simul, & sensum amittunt. Aut est privatio sensus & motus, in universo corpore, cum functionum à voluntatis imperio prodeuntium læsione, subitò invadens. *Attonitus morbus.* Latini attonitum sydereum morbum vocant. *ἐφιάλτης.* *Incubus.* Ἐφιάλτης vitium est, ubi aliquis noctu se grandi mole opprimi, suffocarique ab alio credit. A Themisone πνιγαλίων, à suffocando nũcupatum est, quòd in eo malo, ægrotantes suffocari videntur. Latini incubum & incubonem appellant. *Epilepsia.* Ἐπιληψία nihil aliud est, (ut libro tertio de Laborantib. locis, capite quinto autor est Galenus,) quàm universarum corporis partium, non quidem perpetua, sed quæ ex temporũ fit intervallis, modò brevibus, modò longioribus, cum mentis & sensuum læsione, convulsio. Hoc verò nomen, huic vitio à Græcis est inditum, quòd sensum omnẽ, ipsamque mentem pariter apprehendat. *Morbus comitialis, unde dictus.* Latini morbum comitialem appellant, quòd in comitiis, ut in aliis etiam concionibus & hominum cœtibus, eo correpti maximè infestabantur, frequenterque detegebantur: quodque eo, quo quis concidisset die, comitia interrumpebantur. *Sacer.* Alio nomine sacer nuncupatur morbus, propter suam magnitudinem & gravitatem, quandoquidem eo correptus homo, subitò concidat & corruat. Siquidem Græcis familiare est, *Magnus.* ut ἱερὸν, hoc est, sacrum, pro magno usurpent, ut dum

sacrum

sacrum os, & sacrum piscem, pro magno osse, & magno pisce efferunt. Et Virgilius imitatione Græca, *6. Epid. sect.* sacram auri famem, pro magna dixit. Atque hinc est, *6. Aphor 9.* quòd Hippocrates in Epidemiis μεγάλην νόσον, id est, magnum morbum nominet. Dicitur etiam Hercu- *Herculeus.* leus, vel quòd Herculi familiaris fuit: vel quòd Herculis instar immensus & magnus sit. Idem caducus, *Caducus.* ab assiduo lapsu, & casu vocatur. Lunaticus quoq; *Lunaticus* à nonnullis appellatur, vel quòd Lunæ circumactio- *unde dictus.* nem sequatur: vel quòd eos qui interlunio nati sunt, hoc malo ferè affici compertum sit. Puerilem deniq; *Puerilis.* & Infantilem nuncupant, quòd teneram præcipuè ę- *Infantilis.* tatem infestet, & pueris quoad pubertatem accedit, peculiaris sit.

Παράλυσις & πάρεσις, est malum, ubi alterum dun- *Paralysis* taxat latus, aut dextrum aut sinistrum totum, aut ali- *quid?* quæ horum partes plures, pauciores, sensum simul & motum amittunt. Alio certò nomine, & propriè quidem ἡμιπληγία & παραπληγία, Hippocrat. & aliis *ἡμιπληγία.* Græcis dicitur. Nam sic tantùm appellatur, Galeno *παραπλη-* libro quarto, Victus acut. morbor. comment. vigesi- *γία.* motertio teste, resolutio, quæ apoplexiam sequitur. Cæterùm παράλυσις non rarò generatim pro omni resolutione, & ex quacunque occasione facta sumitur. Sic membrorum resolutio, ex colico dolore oborta, etiam paralysis nominatur. Σπασμός, vitium *Convulsio.* est, in quo nervi atq; musculi, præter voluntatem cõvelluntur, inq; eum veniunt affectum, quem in motibus secundum arbitrium & voluntatẽ naturaliter habentẽ, factis assumpserũt. Vel, ut lib. 2. de Sympt. caus. cap. 2. definit Galenus, malũ est, quod nervos, musculosq; ad eundem cogit affectum, in quem ab animali facultate, quum naturalem servarent habitum, ducebantur: Latini convulsionem vocant. Eius autem tres *Convulsionũ* sunt species seu differentiæ. Vna Græcis τέτανος, *species tres.* Latinis nõnullis interpretib. simpliciter distensio, vel *Τέτανος.* cũ adiectione distensio erecta, rigida Cornelio Celso rigor dicitur. Hęc accidit, ubi cervix unà cum reliquo

corpore immobilis manet, & in neutram partem inflectitur, sed iuxtà in utramque partem rectà intenditur. *Ἐμπροσθότονος.* Altera ἐμπροσθότονος Græcis, distensio ad anteriora Latinis nominatur. Fit, ubi caput, cervix, & reliquum corpus, in pectus, & anteriora convellitur. *Ὀπισθότονος.* Tertia ὀπισθότονος Græcis, distensio ad posteriora Latinis appellatur. Accidit, quando caput & cervix, in dorsum, & scapulas contrahitur. *Μανία quid?* Μανία vitium est, quod Latinis insania & furor vocatur, atq; delirium ferinum. Hoc enim correpti, ferarum modo redduntur furiosi, immanes, ac furere consueverunt, ita sanè ut non rarò eos qui imprudentiùs illis occurrunt, aut cum iis versantur, malè tractent. A' phrenitide distat, utpote cui adiuncta sit febris, cùm mania consummata, præcipuè citrà febrem consistat. *Melăcholia.* Μελαγχολία Græcis est mentis alienatio desipientiáve sine febre, ex melăcholico humore cerebrũ occupante, ac temperaturam eiusdem immutante, ortà. *Paraphrosyne.* Παραφροσύνη verò iisdem delirium appellatur, quod propter consensum cerebri, vaporibus nimirum acribus sursum elatis, accidit. *Lycanthropia quid?* Λυκανθρωπία vitium est, quo correpti, sese in lupos esse conversos imaginantur. Proinde noctu egressi domo, lupos per omnia imitantur, & donec dies illucescat circa defunctorum monumenta vagantur. Quocircà minimè fabulosum videri debet, quod Plin. lib. 8. cap. 22. homines in lupos mutari tradidit: quamquam aliis contrarium videatur. *Eroticus furor.* Est præterea furor ex amore nat⁹, qui Græcis ἐρωτικός nominatur. Quo ferè omnes adolescentes, & iuvenes correpti, iuvenculas depereunt. Furor autem quem Musæ & literarum studia pariunt, qui tamen hodie apud Germanos nostros rarus admodum est, *Protrepticus.* ignotisque exulat in oris προτρεπτικός Græcis nuncupatur. *Tremor.* Τρόμος vitium Græcorum, medicis ex duobus perficitur motibus, uno quidem, dum cogitur membrum ob morbum & gravitatem ad inferiora repere: altero, dum sursum à facultate fertur. Latinis

tremor

tremor nuncupatur. Κατάῤῥος & Κατάῤῥους contractè Græcis malum dicitur, ubi ex capite humor ad os & fauces: alias item capiti subiectas partes plerasque Galeno lib. 3. de Sympt. causis cap. 11. autore, defertur. Latini destillationem nominant. Κόρυζα verò vitium est, in quo humor ad nares decumbit. Latinis gravedo vocatur. Βράγχος malum est, ubi ad guttur humor destillat. Latinis raucitas, nonnullis raucedo &c. appellatur. *Catarrhus.* *Destillatio.* *Gravedo.* *Raucitas.*

VITIORVM OCVLI SVCCINcta explicatio. Cap. XII.

QVæ in oculis nascuntur vitia, vel ad totum oculum, vel ad eius duntaxat partes singulas pertinent. Quæ ad totum oculum spectant, hæc sunt: Ἀτροφία vitium est, quod totum oculum minorem depressioremque reddit. Celsus imminutum oculum lib. 6. vocat. Avicennæ interpres fen. 3. canonis tertii profunditatem oculi appellat. Ἐκπιεσμός contrarium est priori malum. Siquidem in eo sic exprimuntur oculi, ut exerti perseverent. Interpres Avicennæ exitum oculi nominat. Latinè expressio oculi nuncupari posset. Στραβισμός convulsorius est musculorum oculum moventium affectus, & motus, per quem aut sursum, aut deorsum, aut in obliquum torquentur oculi. Distortio oculi, vel obliquus aspectus dici posset. Avicennæ interpreti Strabositas nuncupatur. Qui hoc vitio laborant, Strabones Latinis vocantur. Μυωπίασις ἢ μυωπία, malum est nativũ, quo fit, ut ab ineunte ætate, pusilla, propè oculum sita videtur quidem, remota verò etiamsi magna sunt, non item. Hoc correpti vitio, lusciosi Latinis dicũtur. Νυκταλωπία vitium est, quo quis interdiù quidem videt, sole autem occidente obscuriùs, noctu verò penitus nihil. Latinis nocturna cæcitas nuncupatur. Eo autem laborantes malo, Nuscitiosi nominantur. Ἀμβλυωπία est visus obscuritas, Latinis hebetudo ap- *Oculi totius vitiorum divisio.* *Ἀτροφία.* *Ἐκπιεσμός.* *Strabismus.* *Strabones.* *Μυωπίασις.* *Lusciosi.* *Νυκταλωπία.* *Nuscitiosi.* *ἀμβλυωπία.*

pellatur: fit, ubi vel ſpiritus craſſeſcũt, vel tunicæ dẽſantur, vel oculorum humores lenti maximè fiunt, & craſſeſcunt. Ἐπιφορά, eſt omnium humorum ad oculos impetuoſior fluxus. Celſus pituitæ curſum ſeu impetũ, vulgus autem medicorũ lachrymam vocat. Ῥῆξις eſt ruptura ab ictu, vel alia quapiam cauſa, in alto ſubindè integras membranas dividens, ut etiam humores, quibus videndi facultas adminiſtratur, effluant. Παράλυσις, eſt ubi obliquæ motiones, & quæ ſurſum ac deorſum fiunt, expediri non poſſunt. Latinis oculi reſolutio nuncupatur. Atque hactenus vitia ad univerſum pertinentia oculum percenſuimus. Nunc reliquum eſt, ut de iis malis, quæ oculi membranis ſive tunicis accidunt, diſſeramus, exorſi ab iis, quæ in adnata fiunt tunica. Τάραξις eſt humiditas oculi, cum rubore & calore præter naturam, non ex corpore, ſed forinſecùs adveniente cauſa aliqua, fumo, verbi gratia, pulvere, aut oleo oborta. Latinis perturbatio oculi, Avicennæ interpretibus conturbatio & vacillatio, item ophthalmia levis, & ſpuria dicitur. Ὀφθαλμία, membranæ, tunicæve adnatæ phlegmone eſt; quæ Latinis lippitudo, Avicennæ verò interpreti ophthalmia vera appellatur. Χήμωσις eſt, ubi utraque palpebra, ex vehementi phlegmone diſtorquetur, adeò, ut ægri vix oculos operiant, & album oculi, nigro ſublimius fiat & rubrum, ac multam nigri partem occupet. Avicenna Alguardenegi vocat. Πτερύγιον, nervoſa eſt adnatæ membranæ excreſcentia, quæ ab angulo maiore orta, uſque ad coronam ſeu irim oculi progreditur. Vbi verò augeſcit, pupillam etiam obtegens, cæcitatem cauſatur. Celſus unguem appellat. Barbaram excolentes medicinam ungulam nominant. Quæ autem in cornea tunica fiunt mala, ſunt ſequentia: Φλύκταιναι privatim, exiguæ ſunt puſtulæ, veluti quædam bullæ, ſuprà corneam eminentes, quales iis potiſſimùm accidunt, qui exanthematibus, & ſcabie laborant. Sic dictæ

Ἐπιφορά. *Ῥῆξις.* *Reſolutio oculi.* *Adnatæ tunicæ vitia.* *Τάραξις.* *Perturbatio oculi.* *Ὀφθαλμία.* *Χήμωσις quid?* *Πτερύγιον.* *Vnguis.* *Corneæ vitia.* *Phlyctæna.*

dictæ ἀπὸ τοῦ φλύειν, hoc eſt, ab ebullitione & fervore quem in oculi tunica excitant: Celſus puſtulas, Avicennæ interpres veſicas vocat. Βόθριον cavum, anguſtum, purumq; in cornea prognatum ulcus eſt. Latini interpretes foſſulam, Avicennæ interpres annulum nuncupat. Κοίλωμα latius eſt multò, ipſo botrio ulcus, ſed minùs altum. Cavitas interpretibus Latinis dicitur. ἄργεμα καὶ ἄργεμον, ulcus eſt quod in iridis circulo naſcitur, undiquaque illum occupans, ſic ut circa exteriorem iridis partem rubicundum, circa interiorem verò album appareat. Ἐπίκαυμα, ulcus eſt oculorum, ſordidum, impurum, & cruſtoſum, Latinis inuſtio vocari poſſet. Interpres Avicennæ aduſtivum nominavit. Ἀχλύς ulcus eſt ſuperficiarium, in nigro oculi apparens cæruleum, caliginoſo aëri ſimile, nigri maximam partem occupans. Caligo ea propter Latinis appellatur. Νεφέλιον eiuſdem generis ulcus eſt, ſed caligine profundius & anguſtius colore candicans. Latinis nubecula vocatur. Πύωσις & ὑπόπυος eſt, ubi pus ſub cornea nunc altius, nunc in ſumma ſuperficie coacervatur, humani unguis ſpecie. Atque hinc eſt, quod idem vitium Græcis ὄνυξ etiam appelletur. Avicennæ interpres ſaniem in Siphac nominat. Καρκίνωμα propriè ſic dictum, malum eſt, corneæ tunicæ, immenſum dolorem & ruborem, punctoriumque cruciatum, ad tempora uſque protenſum, excitans. Latinis cancer corneæ tunicæ nuncupatur. Et hæc corneæ ſunt vitia. In uvea vocata tunica hæc eveniunt præcipuè mala. Πρόπτωσις uveæ eſt procidẽtia, ab eroſione ruptionéve, corneæ accidens. Hæc ſi exigua adhuc fuerit, ut muſcæ capitis formam præ ſe ferat. Μυοκέφαλον Græcis nũcupatur. Avicennę interpreti, formicalis ruptura dicitur. Vbi verò amplius & eouſq; ſuccreverit, ut acinũ uvę repręſentet, Gręcis σταφύλωμα propriè appellatur. Sunt qui uvationẽ dici poſſe putant; ſed barbarè admodũ, & incõgruè. Avicennæ interpreti uva nominatur. Si autẽ ſic augetur,

Βόθριον quid? *Foſſula.* *Κοίλωμα.* *ἄργεμα.* *Ἐπίκαυμα.* *Ἀχλύς.* *Νεφέλιον.* *Nubecula.* *Πύωσις.* *Καρκίνωμα.* *Vueæ vitia.* *Πρόπτωσις.* *Μυοκέφαλον* *σταφύλωμα.*

μῆλον. ut extra palpebras emineat, μῆλον Græcis, Avicennæ interpreti clavalis ruptio vocatur. Vbi verò obducta cicatrice obduruerit, & occaluerit, id quod procidit, *Clavus.* Græcis ἧλος, Latinis clavus, Avicennæ interpreti clavalis ruptio dicitur. *Pupillæ vitia.* Foraminis uveæ quod Latinis pupilla nominatur, hæc vitia sunt. *Μυδρίασις.* Μυδρίασις, vitium est, in quo pupilla, colore quidem nihil evariat, sed multo quàm consuevit latior fit & amplior, adeò ut interdum iridis circulo appropinquet. Latinis pupillæ dilatatio & effusio, Avicennæ Alintisar nuncupatur. *Φθίσις.* Φθίσις privatim, contrarium priori affectui malum est. In eo enim pupilla angustior, obscurior, rugosiorque fit. Latinis tabes & imminutio pupillæ, interpreti Auicennæ contractio pupillæ dicitur. ὑπόχυσις & ὑπόχυμα est, ubi humor lentus, & glaciei modo inter corneam & crystallinum concretus, *Suffusio.* circa pupillam concrescit. Latinis suffusio, Avicennæ interpreti aqua, vulgo medicorũ cataracta vocatur. *Glaucoma.* Γλαύκωμα, est crystallini humoris vitium, in quo is ex humiditate, in glaucum colorem mutatur. *Angulorũ oculi vitia.* Angulorum oculi hæc sunt mala. *αἰγίλωψ.* Αἰγίλωψ, est abscessus inter maiorem oculi angulum, & nasum factus, qui ruptus si negligatur, in fistulam, ad os usque progredientem abit & terminatur. Nostri, fistulam lachrymalium angulorum appellant. *ἀγχίλωψ.* Αγχίλωψ Græcis dictus affectus itidem est abscessus, sed priusquam disruptus in ulcus abit. Vtrumque Avicenna Garab nominat. *ἐγκανθίς.* Εγκανθὶς, est naturalis circà maiorem oculi angulum, carunculæ suprà iustum modum excrescentia. Avicennæ interpres, additionem & incrementum carnis, lachrymalium angulorum vocat. *ῥοίας.* Ροίας, vel potius ῥύας, eiusdem carunculæ imminutio & decrementum est. Avicennæ interpreti diminutio carnis lachrymalium angulorum dicitur. *ἐπινυκτίς.* Επινυκτὶς, Plin.lib.20.cap.6.authore, ulcus est aciem visus hebetans, & in oculi angulo perpetuo manans humore: *Palpebrarũ vitia.* Palpebrarum vitia sunt huiusmodi: *ἐφύσκμα.* Εφύσκμα palpebrę

laxus

laxus eſt tumor, & dolore vacans, atq; adeò œdematodes, Latini palpebræ inflationem nominant, pituitoſumq; eiuſdem tumorem. Qua certè appellatione, Avicennæ quoq; interpres uſus eſt. Σκληροφθαλμία duritics eſt, & difficilis cum dolore ac rubore, citrà humiditatem oculi & palpebrarum, motus. Avicennę Creſſe appellatur. Ξηροφθαλμία autem eſt pruriginoſus ſine fluore palpebrarum affectus. Latinis nõnullis interpretibus ariditas, ſiccitáſve oculi & palpebrarum, aliis, & quidē rectiùs, arida lippitudo vocitatur. Ψωροφθαλμία pruriginoſa palpebrarum ſcabies eſt. Avicennæ interpres ſcabiem, & oculorum pruritum vocat. Πτίλλωσις craſſities eſt palpebrarum calloſa, rubicunda, quibus ſæpè etiam pilorum accidit, & cōiungitur defluvium. Avicennæ Silac nuncupatur. Εκτρόπιον palpebræ eſt inverſio propter cicatricē, aut carnis excreſcentiam nata. Avicennæ interpres inverſationē, ſive inverſionē palpebrę nominat. Αγκύλωσις & ἀγκυλοβλέφαρον vitium eſt, in quo palpebræ cū Albo vel nigro, vel inter ſe ita coaleſcunt, ut aperiri oculus non poſſit. Latinis interpretibus agglutinatio, vel coalitus palpebrarum dicitur. Avicennæ interpreti, inviſcatio palpebrarum nuncupatur. Λαγωφθαλμοί ſunt, qui ſurſum retracta palpebra, oculis apertis, perinde atque lepores dormiunt. Interpres Avicennę leporinos oculos appellat affectus, herclè rariſſimus. Τράχωμα, interna eſt palpebrarum ſcabrities & aſperitas. Celſo aſpritudo palpebrarum dicitur Eius duæ ſunt ſpecies. Nam ubi ſic augetur & intenditur, ut veluti inciſuras habeat, σύκωσις Græcis, quòd ſcilicet granorum ficus ſimilitudinem referat, nuncupatur. Latini ficoſam palpebram vocant. Vbi verò inveterata iam, in callū abierit, Græcis τύλωσις, Latinis calloſa palpebra appellatur. Υδάτις, pinguis quædā ſuperioris palpebræ ſubſtantia eſt, pondere ſuo ſic gravans oculum, ut vix attollere hunc poſſimus, eoque

[Margin: Σκληροφθαλμία. Ξηροφθαλμία. Ψωροφθαλμία. Πτίλλωσις. Εκτρόπιον. ἀγκυλοβλέφαρον. Λαγωφθαλμοί. Τράχωμα. Σύκωσις. Τύλωσις. Υδάτις.]

assiduas fluxiones excitat, palpebræq; in hoc vitio aquam intercutem repræsentant. Hinc à quibusdā interpretibus Latinis, palpebrarū aquositas dicitur, Avicenna Alsarnac nominat.

Χαλάζιον.

Χαλάζιον, rotundum & translucidū, huc atq; illuc mobile, in palpebris est tuberculum. Latinis Grando vocatur.

Κριθὴ quid, unde dicta.

Κριθὴ, abscessus est exiguus & oblongus, iuxtà palpebræ cilium marginémve ortus. Latinis hordeolū nuncupatur, quòd sc. forma, grano hordei similis sit. Grçcis alio nomine

Ποσθία.

ποσθία, quòd prçputio, quod iisdem πόσθη dicitur, similis sit, appellatur.

Φθειρίασις.

φθειρίασις privatim est, quando palpebrarum pilos, exigui pediculi infestant. Pediculationem palpebrarum nonnulli vocant.

Τριχίασις.

Τριχίασις est, ubi pili inutiles, & oculos pungentes, in palpebris enascuntur.

Μαδάρωσις.
Μίλφωσις.

Μαδάρωσις ἢ μίλφωσις pilorum palpebræ est defluvium. Latinis glabrities palpebrarum, Avicēnç interpreti casus capillorū nominatur.

Διστιχίασις.

Διστιχίασις est, ubi sub naturali pilorum palpebræ ordine, alius succrescit ordo. Latinis pravitas aut turbatio ordinis dici posset. Avicennæ interpres additos pilos vocat.

Φαλάγγωσις

Φαλάγγωσις vitium est, in quo pilorum duplex triplexque acies, vel in superiore, vel inferiore palpebra, vel etiam in utraq; provenit. Hoc evenit, quando cilium introspectat, pilorum acie simul cum eo inversa.

Alia Phalangosis definitio.

Phalangosis etiam interdum dicitur de palpebris relaxatis, ubi naturales pili, bulbum oculi compungunt.

Λιθίασις.

Λιθίασις est, ubi in palpebris gignuntur candicantia quædam & aspera, lapidis instar, oculum prementia, & dura,

Ἵππος.

ἵππος, vitium existit ab ortu ipso nascens, propter quod instabiles semper sunt palpebræ.

Nervi visorii vitia.

Nervi visorii vitia hæc sunt.

Ἀμαύρωσις.

Ἀμαύρωσις nervi visorii obstructio est, in qua omnimoda, vel maxima ex parte, longeque gravissima visus est interceptio, absque ulla manifesta causa circa oculum apparente, accidit. Pura enim & incolumis undique pupilla conspicitur. Latinis obfuscatio, aut obscuritas

tas

tas visus appellari posset. Ἀπόῤῥωξις est, quando meatus à cerebro in oculum descendens ex ictu capitis, vel casu ab alto disruptus est. Παρέμπτωσις est, ubi in meatū qui in oculum videndi facultatem defert, humor aliquis aperto vel rupto vase incidit, eundemq; obturat & occludit. Latinè fortè coincidentia dici posset. Σύμπτωσις est, quando meatus ille, ex tabe, vel imbecillitate arctior fit, ac concidit. Latinis Concidentia fortè non ineptè nominari posset. Adnatam & corneam simul hæc infestant vitia: Ὑπόσφαγμα & ὑπόπιον malum est, in quo, propter ictum quendam, fractis aut contusis vasis intrà tunicas oculorū sanguis coacervatur, & in extima oculi parte, veluti sanguinis puncta quædam apparent. Latinis suggillatio, & suggillata, recentioribus macula oculi, Avicennæ Altarfati vocatur. Οὐλαί, hoc est, cicatrices oculi sunt duplices. Nam quæ in summa oculi consistunt superficie, Græcis νεφέλια, Latinis albugines tenues dici possent. Avicennæ interpreti simpliciter nebulæ nuncupantur. Quæ altiùs radices agunt, Græcis λευκώματα, Latinis albugines crassæ appellantur. Interpres Avicennæ albugines simpliciter nominavit.

ἀπόῤῥωξις. *Παρέμπτωσις.* *Σύμπτωσις.* *Adnatæ & corneæ simul vitia.* *ὑπόσφαγμα.* *Suggillatio.* *Cicatrices.* *Νεφέλια.* *Λευκώματα.*

VITIORVM AVRIS BREVIS enarratio. Cap. XIII.

Ὠταλγία aurium in universum omnis dolor est, qui vel ex phlegmone, vel ulcere, vel abscessu, vel alia quadam ex causa & occasione fit. Δυσηκοΐα & βαρυηκοΐα est difficilis auditus. ἦχος & συριγμός Græcis, aurium sonitum & tinnitum significat. Κώφωσις, vitium est, in quo æger non solùm graviùs, sed prorsùs nihil audit. Latinis surditas dicitur. Σκωληκιῶντα ὦτα Græci vocant aures vermiculantes. Fit enim in auribus tàm tetrum & horrendum ma-

Ὠταλγία. *Βαρυηκοΐα.* *Syrigmus.* *Surditas.* *Vermiculantes aures.*

lum, ut haud secùs quàm ex corrupto cadavere illic prodeuntes vermes videre liceat. Παρώτις, phlegmone est, quæ in glandulis, propè aures constitutis, accidit. Φύρτα, sunt prominentes & oblongæ in glandulis, eminentiæ, ut alibi fusiùs monstravimus. Κυψέλις & κυψέλη sordes aurium, quæ graviorem auditum reddunt. Has quidem aurium sordes Latini marmorata nominant, juniores Cerumina. Θλάσις privatim confusio, & compressio foraminum, quæ in auribus sunt, appellatur.

Παρώτις. Φύρτα. Κυψέλις. Marmorata. Cerumina. Θλάσις.

VITIORVM NARIVM EXPLIcatio. Cap. XIV.

Ὄζαινα ulcus est narium profundum, ac putridum, ex quo ingratus & fœtidus exhalat odor. Sic verò à graveolentia & fœtore dicta est oræna. Πολύπους tumor est præter naturam, in naribus ortus, polypodis carni, substantiæ proprietate assimilis & confinis.

Σάρκωμα, est carnis præter naturam in naribus incrementum. Μύξα, est humor è naribus fluens, Latinis mucus & pituita narium crassior appellatur. Αἱμοῤῥαγία simpliciter, & citrà alicujus partis adjectionem posita vox, sanguinis ex naribus profluviũ significat: qualecumq; criticum sive symptomaticum nihil refert. Aliàs enim ferè semper, cum partium unde sanguis promanat nomenclaturis, cohæret.

Ὄζαινα. Πολύπους. Σάρκωμα. Mucus. Αἱμοῤῥαγία.

VITIORVM FACIEI EXPLIcatio. Cap. XV.

Ἔφηλις, est aspredo, & nigrities in facie, ex ardore solis maximè, sed & quacumq; alia ex causa pronata. φακός, macula est faciei nigra, lentis similitudinẽ obtinens. Latinis lentigo nuncupatur. Ἴονθος tumor in facie parvus, & durus, ita quidẽ dictus, quòd

Ἔφηλις. Lentigo. Ἴονθος.

quòd instar ἰόνθυ, id est, fimi, faciem conspurcet, ac fœdet. Latinis varus nominatur. *Varus.*

VITIORVM DENTIVM EXPLICATIO. Cap. XVI.

ODονταλγία, omnem dentiũ dolorem à quacumq; causa obortũ, Græcis denotat. Ὀδαξισμός, est pruritus is, qui cõceptis jam intrà gingivas dentibus, & erumpere festinãtibus sentitur, quomodo solent infantes, relatis ad os digitis, identidem eos mordere, & ipsi gingivas suas confricare. Ὀδοντοφυΐα puerorum est dentitio, ubi scilicet jam è gingivis prorumpunt dentes. Αἱμωδία stupor est dentium malum sanè quotidianũ, in quo acerbitate aut aciditate cibi alicujus, præsertim nõdum maturi pomi, stupent dentes, nec alios cibos sine dolore, commanducare ac conficere possunt. Παρυλίς, est phlegmone, Aëtio li. 8. cap. 24. autore, partis alicujus gingivarũ, quæ non soluta suppuratur. Ἐπυλίς est carnis excrescentia à phlegmone juxta intimum molarem dentem facta. *ὀδονταλγία. ὀδαξισμός. ὀδοντοφυΐα. αἱμωδία. παρυλίς quid? ἐπυλίς.*

VITIORVM ORIS EXPOSITIO. Cap. XVII.

BΑτραχος tumor est phlegmonodes, sub lingua enatus, pueris potissimùm accidens. Ranulam, hodie facientes medicinam, vocant. ἄφθαι ulcera sunt oris, non adeò profunda, sed in ejus superficie hærentia, igneę caliditatis quippiam obtinentia. Barbaram excolẽtes medicinam, Alcolam appellant. παρίσθμια Græcis, tonsillæ Latinis, Galeno sect. 3 Aphor. comm. 26 teste, tumores ac phlegmones sunt juxtà Isthmum locorum. Isthmus autẽ, Galeno ibidem attestante, pars est, quæ os & guttur interiacet. Sic verò per metaphoram nominatus est locus ille, ab iis, qui propriè Isthmi dicuntur, ac terræ inter duo maria sitæ, angusti quidem transitus sunt. Ἀντιάδες, *Ranula. ἄφθαι. Alcola. παρίσθμια. Tonsillæ. Isthmus. ἀντιάδες.*

glandularum, quæ in fine oris utrinq; linguæ appositæ sunt, è defluxu ex capite nati tumores, phlegmonosi existunt. Vt inter paristhmia & antiades sit differentia, quam disertè Galen. lib. 3. de Sympt. causis, cap. 11. iis explicat verbis: Si in glandulis, inquit, quæ ,, in fine oris utrinque sibi invicem apponuntur, fluxio ,, derivatur, ἀντιάδας efficit. Si verò in partes illis adjacentes, παρίσθμια. Σταφυλή, Gal. lib. 6. de Compos. medic. local. cap 3. teste, nõ columellã, neq; ejusdem phlegmonẽ, (ut nonnulli putant,) significat, sed aliud quoddam illius vitium, in quo tota columella laxata, extrema sui parte major est, & livida, superna verò tenuis, ut similitudinem, fructus uvæ, unde nomen accepit, præ se ferat: nam Latini uvam vocãt. Συνάγχη & κυνάγχη Græcis, propriè loquendo, non est nisi phlegmone, quæ in faucibus vel gutture fit. Ita verò dicta est, ἀπὸ τοῦ συνάγχειν, id est, suffocando, quòd exitiosum & acutissimum malum sit, strangulatu præsentaneum vitæ discrimen inferens: Latinis angina, barbaram sectantibus medicinam Squinantia nominatur. Hippocrates tamen, & alii quidam veterum medicorum, omnia vitia, quæ in jam dictis locis accidunt, & quæ spirandi conjunctam habent difficultatem, anginæ nomine complexi sunt. Cæterùm anginæ quatuor sunt differentiæ. Vna, quum fauces phlegmone afficiuntur. Altera, ubi neq; fauces, neq; reliquæ oris partes, neq; etiam extremarum partium ulla, phlegmone laborare videtur, æger tamen suffocationis periculum in gutture sentit, sustinetq; maximũ. Tertia, quando gutturis partes cùm internę, tùm externæ phlegmone infestantur. Quarta, ubi ad anteriorem cervicis regionem, vertebrę luxantur, indeq; cavus apparet locus, ac dolorem, quum extrà tangitur, sentit æger sævissimum notha quidem, sed atrocissima est angina. Ex recentioribus Græcis, Paulus AEgineta, inter synanchen & cynanchen, item parasynanchen & paracynanchen discrimen facit, quod alibi

Paristhmia, & antiades, ut differant.

Σταφυλή quid?

Vva.

Συνάγχη unde dicta.

Angina.

Angina quatuor differentiæ.

alibi etiam in nostra praxi indicavimus. Verùm Galenus libro quarto de Laborantibus locis, capite 5. & lib. 3. prognost. Comment. 20. hanc differentiam, ut ineptam ridet, atque convellit. Et qui anatomes periti sunt, facilè animadvertent hoc discrimen temerè esse excogitatum. Κυνικὸς σπασμός, oris musculorum resolutio est, quam, in utramlibet partem faciei depravatio & distortio sequitur. Nostri seculi medici torturam oris appellant, quòd scilicet in hoc malo, os cum quodam motu invertatur. Ἀγκυλόγλωσσον, vitium est, quod interdum in utero adhuc materno existente fætu accidit. membranis nimirum linguam cōtinentibus, durioribus & brevioribus statim à prima origine factis. Interdum ex acquisito, ob quampiam cicatricem duriorem, sub ipsa, ex ulcere contractam. Qui hoc malo infestantur, tardè sermonem explicare incipiunt. Τραυλότης Latinis blæsitas dici potest. Qui hoc vitio laborant, τραυλοί Græcis, Blæsi Latinis dicūtur. Sunt verò, qui certas aliquas literas exprimere nequeunt. ψελλοί verò sunt, qui inter pronūciandum literam vel syllabam prætermittunt. Latinis balbi vocantur. Κατάῤῥους vide cap. 11. hujus sectionis.

Canina convulsio. *Tortura oris.* *Ἀγκυλόγλωσσον quid?* *Τραυλότης.* *Blæsitas.* *Blæsi.* *Balbi.*

VITIORVM THORACIS ENARratio. Cap. XVII.

Ἄσθμα, vitium est, in quo ægrotantes citrà febrem crebrò respirant, perinde ut solent ii, qui citatiore cursu fatigati sunt. Qui eo laborant malo, Græcis ἀσθματικοί, Latinis anhelosi, & suspiriosi appellantur. Ὀρθόπνοια, vitium est, in quo, nisi è recta cervice, propter suffocationis periculū, ægrotantes spirare nequeunt. Δύσπνοια omnis spirandi est difficultas: propriè tamen, ut lib. 7. de Compos. medicam. local. cap. ultim. Galenus testis est, ea spirandi est difficultas, quæ propter crassos & lentos humo-

Ὀρθόπνοια. *Δύσπνοια.*

πλευρῖτις.

res pulmonis bronchia obstruentes, accidit, dicitur. πλευρῖτις, propriè membranæ costas, & latera intrinsecus succingentis, phlegmone est utplurimùm erysipelatosa, Latinis lateris dolor interdum appellatur:

Notha pleuritis.

Neque temerè adiectum est Propriè, quia, ut Aetius lib. 8. cap. 68. attestatur, nonnunquam etiam, ex crudis, crassis, & lentis humoribus oritur, qui se repentè in vacuum thoracis locum ingerentes, sua multitudine latera succingentem membranam distendentes, dolorem inferũt.

περιπνευμονία.

περιπνευμονία pulmonis phlegmone est pituitosa cum febre acuta.

αἱμοπτόης.

αἱμοπτόης, vel rectiùs αἱμάπτυσις, nihil aliud est Græcis, quàm sanguinis reiectio per sputum, aut cruenta sputio. Latini sanguinis sputũ, & cruentũ sputum nominant.

ἐμπύημα quid?

Ἐμπύημα, non nisi purulentam excreationem significat. Latini suppurationem vocant. Hoc namque in malo, in vacuo, inter thoracem & pulmonem spatio pus consistit, & de latere, in latus fluctuat. Qui eo laborant, Græcis ἔμπυοι & ἐμπυϊκοί, Latinis suppurati, & purulenti appellantur.

φθίσις.

φθίσις, etsi generatim accepta Græcis, omnem corporis maciem & diminutionem significet: tamen Hippocrati & aliis medicis eam tantùm corporis extenuationem denotat, quæ pulmonis insanabilia comitatur ulcera, quã propriè φθόην Athenienses, Galeno sect. 7. Aphor. Comment. 16. autore, nuncupant. Latinis tabes dicitur.

φθόη. Tabes. παλμός.

παλμός Græcis, cordis palpitatio, & tremor Latinis, motus est cordis depravatus, in quo præter naturam dilatatur impetuosissimè. Medici recentiores haud rectè cardiacam nominant.

καρδιακή malè appellata est cordis palpitatio.

Nam καρδιακή Græcis, ad stomachum gulámve, quam veteres καρδίαν, ut paulò pòst fusiùs ostendemus, vocarunt, refertur, nec aliud est, quàm eiusdẽ morsus & erosio.

συγκοπή.

συγκοπὴ καρδιακή, ut lib. 12. Ther. method. cap. 5. autor est Gale. præceps est omnium virium lapsus, cordis vitio eveniens.

Quare

Quare ab animi deliquio, λειποθυμίαν Græci appellant, distat. Siquidem in eo non fit omnium virium lapsus, sed tantùm spiritus exolvuntur, manentibus illæsis iis viribus, quæ cerebro, cordi, & iecori sunt congenitæ. Atq; hinc est, quòd æger in animi deliquio, seu lipothymia etiamnũ audiat, videat, loquatur, agnoscatque præsentes in syncope minimè. Nec diutiùs animi deliquium durat, nisi quoad novi spiritus fuerint procreati, viresq; recollectæ. Ita autem inter se differre syncopem, & lipothymiam, loco iam monstrato etiam confirmat Galenus, ubi crudos humores syncopen inferre scribit, quando obstruunt ac onerant cor, & arterias. Lipothymiam verò, quando nihil tale efficiunt, sed duntaxat in causa sunt, ut ægrotantes resolvantur. Vt hinc pateat, lipothymiã spirituum esse resolutionem: syncopen autem virium lapsum, eo quòd spiritus corrumpuntur, aut quia meatus obstruuntur: quorum alterum fit à putridis humoribus, malignis qualitatibus, ac venenatis: alterum, quùm spiritus concluduntur, atque ne ad partes corporis reliquas, derivari possint, impediuntur. σπαργάνωσις malum est, in quo propter lactis redundantiam maximam, mammæ tumefactæ ita distenduntur, ut copiam hanc vix ferre queant. Θρόμβωσις vitiũ est, in quo lac in mammis grumescit, & in casei formam abit quasi. Latinis grumescentia lactis dici potest.

λειποθυμία ut differat à syncope.

Syncopes, ac lipothymias causæ.

σπαργάνωσις quid.

Grumescentia lactis.

VITIORVM VENTRICVLI explicatio. Cap. XIX.

Καρδιακή & καρδιαλγία, Grȩcis propriissimè dictus est oris ventriculi dolor, morsus, & punctio. Siquidem prisci os ventriculi, ut sect. 4. Aphoris. Comm. 17. & lib. 5. de Laborantibus locis cap. 5. & lib. 2. de Placitis Hippocratis & Plato. multisque aliis locis testatur Galenus καρδίαν, id est, cor

Os vẽtriculi.

καρδία.

nominarunt, quòd nimirum in cõsensum cor ipsum rapiat vẽtriculus. Vitiũ hoc, Hippocrati alio nomine καρδιωγμός, id est, cordis morsus dicitur. Vt errare plurimùm constet medicos recentiores ac barbaram sectantes medicinam, qui Cardiogmon pro cordis palpitatione usurpant. Ὀξυρεγμία Græcis, non est, nisi id vitium, quod acidum ructum Latini vocant. Acidus autem ructus is est, qui acidum præ se fert saporem: qui, ut lib. 3. de Symptomatum causis, capite 1. autor est Galenus, fit, ubi, cibi à frigore, aut pituitosis humoribus in ventriculo corrumpuntur. ἔγκαυσις τοῦ στομάχου, vitium est, quod Latinis ab ardore quem excitat, ardor stomachi nuncupatur. Sentit namque is, qui hoc malo laborat, Galeno lib. 8. de Compos. medicam. local. cap. 3. teste, multum, in gula & ventriculi ore, ardorem, æstũ, & calorem. Germanis der sodt vocatur. Καῦμα, Galeno sect. 4. Aph. Comm. 17. autore, æstus est ventriculi: is verò accidit, ubi flava bilis, in ventriculi tunicis, efferuescit. Differt itaq; ab ardore, quòd is ad gulam, & os ventriculi, καῦμα autem ad ventriculum pertinet. Ἀνορεξία, ciborũ est totalis horror & aversiõ, quam Latini appetẽtiæ amissionem, & abolitam appetentiam appellant. Hippocrati alio nomine ἀποσιτία nominatur. Κυνώδης ὄρεξις contrarium abolitæ appetentiæ malum est, eo namq; laborantes, appetentiam cohibere, & ullis cibis satiari ferè nequeunt. Quapropter in cibis ingerẽdis modum excedentes, eorumdemque copia gravati, illos paulò pòst evomunt, atq; sic levati rursus se explent, ac iterum ad vomitum, perinde atq; canes, revertuntur, unde Latinis haùd secus atq; Græcis canina appetentia dicitur. Βούλιμος, (ut ipsum etiam nomen indicat) Græcis nihil aliud, nisi ingentem vehementemq; famem significat. βου enim particula, aliis adiecta vocibus, earum significationem auget. Κίττα, vitium est, quod mulieres vitiosis refertas humoribus, infestat, gravidas præsertim, primis gestationis uteri men-

Margin notes: καρδιωγμός. — Ὀξυρεγμία quid? — Acidi ructus causa. — Ardor gulæ stomachive. — Sodt. — ἀνορεξία quid? — ἀποσιτία. — Canina appetentia. — Βούλιμος unde dictus. — κίττα.

mensibus apprehendit. Appetunt verò, per hoc maximè acida & acerba, nōnunquam etiam acria, interdum cimoliam terram, cretam, testas, extinctos carbones, aut alios vehementer absurdos cibos. Latinis pica nūcupatur, à varietate huius avis plumarum, vel quòd hæc ipsa, hoc malo sæpenumerò etiam infestetur, & laboret. Ἀπεψία, vitium est, in quo nulla penitus ciborum fit alteratio, sed secūdum omnes qualitates, tales ferè permanent, quales assumpti sunt. Latini cruditatem vocant. Δυσπεψία fit, ubi in alienā qualitatē cibi permutantur. Depravatā alterationē & cōcoctionē Latini nominãt. Βραδυπεψία est, quādo cibi in qualitatē animanti familiarē, sed longiori tēpore, & difficultate permutantur. Latinis tarda concoctio dicitur. Ναυτία, irritus ad vomitiones conatus existit, Latinisq; nausea vocatur. Λυγμός, motus existit ventriculi depravatus, eiusdemq; veluti convulsio, ab expultrice facultate, noxia extrudere adnitēte excitatus. Neq; temerè adiectum est, Veluti eius convulsio: nōn enim absolutè convulsio est, quòd hæc solis musculis accidat. Verùm neq; ventriculus ipse, neque ipsius ostiolum musculus est, igitur convulsione corripi nequit. Latinis singultus nūcupatur. συγκοπὴ στομαχικὴ virium est lapsus, ob vitium oris vētriculi eveniens. χόλερα immodica est ventriculi perturbatio, suprà infraq; erumpens, vel clarius, est excretio infernè per ventrem, superneq; per os evomitio. Plinio aliisq; Latinis Cholera dicitur. Barbaram sectantes medicinam, cholericam & choliricam passionem appellant. Qui hoc afficiuntur malo, Græcis χολερῶντες, Latinis autem Cholerici nominātur. Per cholericos itaque nequaquam, ut solet vulgus medicorū, biliosos, sed eos potiùs qui iam dicto malo laborāt, Latini intellexerūt. Κοιλιακὴ διάθεσις, nō omnis fluxio vētris, Græcis propriè vocatur. Neq; enim ubi crudi cibi, infernè prodeūt, neq; si corrupti, & in alienā qualitatē mutati iā exeunt, cœliace nūcupatur: sed quū lævia liqdaq; admodū egerūtur, ventriculo, præ

Pica.

Cruditas.

Δυσπεψία.

Βραδυπεψία.

Nausea.

Convulsio proprius est musculorum affectus.

Singultus.

Syncope stomachica.

Cholera appellationes diversissimæ.

Cholerici qui

Κοιλιακὴ.

imbecillitate cibos concoquere nequeunte: Cornelius tamen Celsus lib. 4 cap. 12. secùs atq; Græci hanc usurpat. Nam in hoc vitio, ventrem durescere, doloreq; cruciari, alvumque adeò nihil reddere scribit, ut ne spiritum quidem transmittat.

VITIORVM INTESTINORVM enarratio. Cap. XX.

Diarrhœa.

ιάῤῥοια, copiosus est, sine exulceratione & phlegmone alvi fluor. Latini Diarrhœã, appellatione à Græcis mutuata, nominant. Interpretes aliquot Latini, profluviũ alvi, vocant generis nomine reservato.

Lienteria.

Λειεντερία Græcis, (ut nomen ipsum satis indicat,) vitium est, in quo propter intestinorum levorem, cibi non retinentur, sed priusquàm permutationem & perfectam concoctionem susceperint, dilabuntur, eaq; qua assumpti fuerunt forma, reijciuntur. Hinc Latinis rectissime levor intestinorũ appellatur.

Dysenteria quid? Tormina.

Δυσεντερία, propriè intestinorum exulceratio dicitur. Latini difficultatem intestinorũ vocant. Celsus lib. 4. cap. 15. tormina, non alia haud dubiè de causa, quàm quòd in eo malo, intestina vehementissimo torqueantur dolore, nominat.

Cruentæ dysenteriæ quatuor species sunt.

Cruentæ autem dysenteriæ Galen. lib. 3. de Sympto. causis cap. 8. quatuor recenset species. Prima, in qua sanguis, propter aliquam partem corporis præcisam, mutilatúmve membrum, verbi gratia, amputatum crus, aut prioris vitæ exercitationem intermissam, certis circuitibus excernitur, ut fusiùs in Commentariis nostris super lib. Gal. de Labor. locis quintum ostendimus. Altera, in qua sanguis aquosus, hoc est aquæ, in qua cruentæ ac recens mactatæ carnes sunt ablutæ, similis, deiicitur. Tertia, in qua, & nigrior & splendidior eo, qui naturalis est, sanguis, excernitur. Quarta, in qua paulatim, & brevibus ex intervallis, non-

nonnunquam syncerus, nõnunquam etiam grumosus cum pure, vel ramentis intestinorum sanguis, sæpenumerò etiam densum stercus cruentis guttis respersum, deijcitur. Atq; ea est, quæ propriè, ut diximus, dysenteria nominatur. Τεινεσμός assidua est, & quæ differri evitáriq; nequit, desidendi seu egerendi cupiditas, qua tamen nihil præter modica cruenta, vel mucosa, egeritur. Sic dicta ἀπὸ τοῦ τείνεσθαι, quod est conari. Latinis tenesmus, barbaris nostri temporis medicis tenasmus nuncupatur. Κωλικὴ ὀδύνη, dolor est, qui in laxiore potissimùm intestino, quod Græcis κῶλον dicitur, excitatur, εἰλεὸς vitium est, per quod in tenuibus intestinis gravissimi & lethales dolores nascuntur. Ita à doloris circumactione vocatum Græcis: εἰλεῖσθαι enim circumvolvi & circumagi significat. Hinc rectissimè Latinis cõvolvulus & volvulus nominatur. Alio nomine Græcis χόρδαψος appellatur, quòd chordæ instar, in hoc malo, intestina convolvi & torqueri videantur. Barbaram excolentes medicinam, iliacam passionem vocant. Lumbricorum, quos Græci ἕλμινθας nuncupant, tres in universum sunt differentiæ. Vna teretum seu rotundorum: altera latorum: & tertia, eorum, quos ascarides nominant. Teretes lumbrici, à forma, quæ omnibus perspicua est, dicti sunt. Nam secundum crassitudinem rotundi sunt, longitudine verò palmares, & nõnunquam longiores, aliisq; frequentiores. Græcis ἕλμινθες στρόγγυλαι appellantur. In gracilibus plerumque intestinis consistunt, & ventriculum subeunt, ideoq; crebrò per os reijciuntur, quibusdam etiam è naribus redduntur. Atq; hoc quidem lumbricorum genus, infantibus & pueris, atq; iis, qui ad pubertatẽ iam accedunt, peculiare est. Lati lumbrici qui Græcis ταίνιαι & κειρίαι, quòd instar fasciarum & institarum lati, & longi sint, appellantur. Hinc Latinis institæ & fasciæ vocantur. Tæniæ etiam nominatæ sunt lati hi lumbrici, quòd per tota, circũvoluti extenduntur in-

Τεινεσμός. — *Colicus dolor.* — *Ileosis.* — *Cõvolvulus.* — *Χόρδαψος.* — *Lumbricorũ tria genera.* — *Teretes.* — *Rotundi.* — *Lati.* — *Institæ.* — *Fasciæ.*

O

testina, ac veluti corona, quæ itidem Græcis ταίνια dicitur, in seipsas ducuntur. Incredibilis interdum sunt longitudinis. Nam ut lib. 11. cap. 33. testis est Plinius, tricenûm aliquando pedum visæ sunt, aliquando etiam plurium. Ἀσκάριδες tenues & breves, vermiculisque similes, lumbrici sunt. In recto intestino & in ani extremo, magna ex parte inveniuntur. Hæc animalia ventris Hippocrates uno nomine θηρία appellavit. Αἱμοῤῥοΐδες venarum in sede partim à porta, partim à cava vena ortarum, explicationes, ac dilatationes sunt, à crebro sanguinis defluxu sic nominatæ. Harum quidem aliæ sunt cæcæ, quæ nimirum intumescunt, & nihil aut parum admodum sanguinis excernunt. Aliæ apertæ, quæ scilicet certis quibusdam temporibus panduntur, & sanguinem emittunt copiosum, ut plurimùm fæculentum. Ῥαγάδες scissuræ sunt, quæ in musculo anum claudente, (quem σφιγκτῆρα Græci nominant) aut in circulo & extrema ani corona fiunt, similes iis, quæ in labiis ob Boreæ asperiorem flatum accidunt. Latinis rimæ sedis dicuntur. Κονδυλώματα nodi sunt, & callosæ excretiones, vel verius eminentiæ sive excrescentiæ sedis, in callum coactæ, duræ, vel sunt rugæ circà anum intumescentes. Reduplicatis enim ani corpusculis, ruga quædam præter naturam insurgit, & intumescit. Cùm enim sinuosus sit anus, rugas annexas habeat necesse est. σῦκον, tuberculum in ano est ulcerosum, rotundum, subdurum, rubicundum, & dolorificum. Latini ficum & mariscam nominant. Hinc est illud Iuvenalis.

Caduntur tumidæ medico ridente mariscæ.

Proinde plurimum errant interpretes Latini, qui hæmorrhoidas mariscas interpretantur.

Margin notes: ἀσκάριδες. — *Hæmorrhoides.* — *Cæcæ.* — *Apertæ.* — Ῥαγάδες. — Κονδυλώματα. — σῦκον. — *Ficus.* — *Marisca.*

VITIO-

VITIORVM IECORIS EXpositio. Cap. XXI.

IEcinorosi, quos Græci ἡπατικοὺς vocant, Galeno libro 5. de Laborantibus locis, cap. 7. teste, dicuntur, qui iecoris facultates, ipsamq; adeò vim sanguificam imbecillam habent. Vt non sint iecinorosi, nisi quibus iecur, amissa aut languente facultate sua, irritas proprias functiones obtinet, etiamsi nullus neque dolor, neq; tumor illis adsit. *Iecinorosi.*

Καχεξία, Latinis malus habitus corporis appellatur. Is verò est, in quo alimenta omnia corrumpuntur. Hic aquarum cutem subeuntium, ipsiusq; adeò hydropis principiū existit. *Καχεξία.*

ἴκτερος bilis modò flavæ, modò nigræ, per universum corpus effusio est. Sic verò Græcis hoc vitium est appellatum, ab ave, quæ illis ἰκτερός, Latinis verò galbula nuncupatur. Hanc enim si aspiciāt ægri, malum sanari, & avem mori tradunt. Vel, ut aliis placet, ab ave, quæ ἴκτιν@ Græcis; Latinis milvus vocatur: Quippe oculi, hoc vitio laborantibus milvinis oculis similes, hoc est, auricolores, videntur. Vel à mustela sylvestri, quæ itidē auricolores habet oculos, & Græcis ἰκτίς, Latinis viverra dicitur. Atqui parùm refert, unde icteri appellatio deducatur, modò res ipsa cognita sit, perspectumq; habeamus, icterum non esse, nisi bilis effusionem in cutem, & totius corporis ambitum. *Icteruś.* *Vnde dictā Icteritia flava.*

Latinis aliò nomine regius vocatur morbus, quoniam mulso, quod genus potionis, in regum deliciis erat, curabatur. Vel quòd eo correptos malò, & lecto & conclavi cultiore, ludis & lascivia uti perutile sit, per quæ mens ægrotantis exhilaretur. *Regius morbus.*

A Cornelio Celso aurigo nuncupatur, ab auri haud dubiè colore, quē bilis per universum corpus diffusa refert. *Aurigo.*

Sunt quibus arquatus nominatur affectus, quod cœlestis arcus similitudinem, si colorē eius respicias, habeat. *Arquatus.*

ὕδρωψ, malū est, quod Latini aquā intercutē appellāt. *Hydrops.*

Ascites. Eius tres sunt species. Vna Græcis ἀσκίτης vocatur, & fit, ubi inter peritonæum membranam, & intestina, plurimus aquosus humor coacervatur. Ita verò Græcis nominata est, quòd ἀσκὸς, id est, utris modo, locus, qui inter peritonæum & intestina est, aquoso humore repletus sit. Latini aquam intercutem utricularem nuncupare possent. Barbaricæ medicinæ cultores, corrupta, unius literę adiectione, voce, Asclitem appellant. *Tympanites.* Τυμπανίτης & τυμπανία, hydropis species est, hydropis species est; qua flatus & spiritus supervacuus, crassus plurimus, in prædicto ventris loco coacervatur. Hoc autem modo à tympano, omnib. notissimo instrumēto bellico nominata est. Si enim vēter pulsetur, tympani instar sonū edit. *Anasarca.* Tertia species ἀνασάρκα, σαρκίτης; ὑποσάρκα; & λευκοφλεγματία dicitur. Fit, quoties per universam corporis molem, humor pituitosus diffunditur; adeò ut instar spongiarum, aut papyri, universa caro permadida & laxa appareat. In hac itaque totum corpus intumescit æqualiter, ac mortuo simile evadit pallidū. Σπληνικοί Græcis propriè nominantur, quibus lien, obstructo obseptoq; in eo melancholico excremento, aut propter phlegmonem, induruit. *Lienosi.* Latinis lienosi appellātur: quamquam & alio modo hæc vox accipiatur.

VITIORVM RENVM ET VESicæ enarratio. Cap. XXII.

Nephritis quot modis dicatur?

NΕφρίτης vox, Græcis bifariam accipitur. Vno modo generatim, pro quovis renum vitio. Altero privatim, pro renum cum vehementi dolore coniuncta phlegmone, quandoq; verò etiam difficili urinæ transitu, in qua fibrosa & arenosa cum modico sanguine excernuntur. Pari modo nephritici sunt, qui vel ex renibus quomodo libet laborant, vel qui phlegmone renum afficiuntur. *Diabetes.* Διαβήτης, diutur-

num est, circa renes consistens malum, in quo supra modum ægrotantes sitiunt, atq; subindè bibunt, exuberanter id autē quod biberūt, à sua qualitate omnino, non aut mutatū, per urinam reddunt. Aliis ὕδρωψ & ὕδερος εἰς ἀμίδα, id est, aqua inter cutem ad matulam: nōnullis verò διάῤῥοια εἰς οὖρα, hoc est, urinæ fluor profluviúmve urinarium nuncupatur. Latini instar Græcorum diabetem vocant. Λιθίασις, privatim renū, aut vesicæ calculus Græcis existit. Στραγγουρία, vitiū est, in quo paulatim & guttatim urina destillat, atque assiduam ad mingendum irritationem excitat. Latinis stillicidium urinæ dicitur. Δυσουρία vitium est, in quo urina, ægrè & difficulter excernitur, Latini difficultatem urinæ nominant. ἰσχουρία malum est, in quo ægrotantibus in totum urina supprimitur, ac cohibetur. Latinis suppressio urinæ appellatur.

Lithiasis. *Stranguria.* *Δυσουρία.* *Difficultas urinæ.* *ἰσχουρία.* *Suppressio urinæ.*

VITIORVM GENITALIVM explicatio. Cap. XXIII.

Φῖμος & φίμωσις, vitium est quoddā masculorum, Celso lib. 7. cap. 25. autore, in quo colis glans, ita cutis involucro tecta est, ut nudari non possit. Contrarium huic affectui malum est, quando videlicet propter cutem decurtatam, aut retrò abactā glans tegi nequit: id quod Iudæis familiare, unde recutiti dicti: Græcis περιφίμωσις, imò rectius παραφίμωσις dicitur. Πριαπισμός, Galeno libro 6. de Labo. locis cap. 6 teste, est quùm genitale membrum & in lōgitudine & in latitudine augetur, nullo stimulante interim ægros, ad libidinem aut desiderio, aut acquisito calore. Deducta verò est denominatio à Priapo, quem suapte natura huiusmodi pudendum habentem finxerunt & pinxerunt homines. Σατυρίασις & σατυριασμός, variè à Græcis medicis usurpatur. Primò, pro elephantiasi, quòd nimirū hoc malo cor-

φῖμος. *περιφίμωσις.* *Priapismus.* *Satyriasis, quot modis sumatur, & dicatur.*

,, repti Satyris similes sint, ut cap. quinto libri de Causis
,, morborum testatur Galenus, ubi inquit. In elephan-
,, tiasi nasus simus, labra crassa, aures extenuatæ, atque
in totum, qui sic laborant, Satyris similes existunt. Et
,, multò clarius in libello de Tumoribus præter natu-
,, ram, ubi ita scriptum reliquit: Hoc malum quum in-
,, cipit (elephantiam intelligit) satyriasmum vocant,
quia Satyris similes facie redduntur. Dein Satyrias-
mus, Galeno loco iam citato autore, pudendi exten-
sionem haud remittentem, accedente quadam pal-
pitatione, denotat. Hoc verò ipsum, ut præcedens ma-
lum, à Satyris in venerem pronis nomen suum obti-
nuit. Tertiò satyriasmus, Galeno ibidem attestante,
pro ossium circa tempora eminentia & extuberantia
sumitur. Postremò Galenus in libello de Antiqua-
rum vocū Hippocratis interpretatione, satyriasmū,
prominentem glandularum iuxta aures tumorem es-
se, scribit. Γονόῤῥοια, est seminis præter voluntatem, ci-
traque pudendi tentiginem, omnemq; voluptatem
excretio. Vulgus medicorū depravata & ridicula ad-
modum voce Gomorrhœam appellare consuevit:
Latini seminis profluvium. Ὀνειρωγμός, libidinis, &
rei venereæ in somno apprehensio, seminisq; per so-
mnum profusio est iocūdissima. Κήλη Græcis, ramex
& hernia Latinis, Barbaris medicinæ autoribus ru-
ptura dicitur. Fit verò variis modis, perq; adiectio-
nes rerum decidentium, varias etiam appellationes
accipit. Si enim peritonæo rupto, intestina in scro-
tum devolvuntur, ἐντεροκήλη Græcis, ramex intesti-
norum Latinis nominatur. Vbi verò intestina suprà
in inguinibus hærent, βουβονοκήλη Græcis, Latinis au-
tem inguinalis ramex vocatur. Quòd si otiosus & a-
quosus humor, in parte aliqua membranarum scro-
tum implicantium colligitur, ὑδροκήλη Grecis, aquo-
sus ramex, Latinis nominatur. Quum verò intra te-
stium tunicas, dura increscit caro, σαρκοκήλη Græcis,
carnosus ramex Latinis appellatur. Si autem omen-

Alia satyriasmi definitio.

Gonorrhæa.

ὀνειρωγμός.

Ramex.

Herniarum causa, & generationis modus.

tum,

tum, in scrotum delabatur, ἐπιπλοκήλη, hoc est, omenti ramex, nuncupatur. Si simul cum omento intestinum quoque descendat, ἐπιπλοεντεροκήλη, Grecis, omenti & intestini ramex Latinis vocatur. Vbi venæ, quæ testiculos nutriunt, varicum modo repletæ glomerantur, Græcis κυρσοκήλη, Latinis varicosus ramex dicitur.

VITIORVM VTERI EXPOSITIO. Cap. XXIV.

Ῥοῦς γυναικεῖος, fluor muliebris diuturnus, quo totum corpus, sese per uterum expurgat, dicitur. Talem verò speciem, id quod per eum vacuatur, repræsentat, qualem humor ipse in corpore superans. Πνὶξ ὑστερική, uteri ad superiores partes retractio est. Latinis strangulatus seu præfocatio uteri appellatur. Μύλη, Aëtio & Paulo testibus, induratus est tumor, quandoq; in uteri ostiolo, quandoq; in ipso utero prominens, ad tactum ferè lapidosus: Galeno autem lib. 14. Ther. meth. cap. 13. caro informis in utero consistens ita nuncupatur. Latini molam nominant. Μύσις ὑστέρας malum est, in quo margines ostii muliebris coeunt, invicemq; connivent. Latinis præclusio uteri dicitur. Φίμος & φίμωσις osculi aut cervicis uteri obturatio, coarctatio, compactiove est & coalescẽtia, ab exulceratione, vel phlegmone indurata præcedente eveniens, qua ea loca tàm angusta redduntur, ut virile semen ampliùs non admittant, vel si admiserint, tamen non retineant. Preter iam commemorata, multa alia uteri sunt vitia, ut est uteri phlegmone, cancer, scyrrhus, condylomata, rhagades, & id genus aliarum partium communia mala, de quibus non est cur hoc loco privatim dicamus, quòd nimirum de iis in superioribus sit dictum, vel saltem in iis, quæ sequuntur, capitibus, abundè tractabitur.

Fluor muliebris. *Præfocatio uteri.* *Mola.* *Præclusio uteri.*

VITIORVM QVAE IN ARticulis accidunt enarratio.

Cap. XXV.

Arthritis. Αρθρῖτις, propriè est, ubi imbecillitas in omnibus corporis articulis consistit, humorque à natura alienus ad eosdem confluens, ipsos in tumorem elevat. Generatim tamen pro omni articulorum dolore usurpatur. *Podagra.* Ποδάγρα, est ubi imbecillitas, atque humoris à natura alieni defluxio, pedes occupant. *Ischias.* Ισχίας, gravissimus est dolor, qui iuxtà articulum Græcis Ισχίον, Latinis coxam vocatam, evenit. *Coxendix.* Latinis perinde atque Græcis ischias dicitur. Iidem tamen, una coxendicis appellatione, interdum & locum, & dolorem nominant. Barbari decurtata & depravata dictione Sciaticam, hocque vitio correptos Sciaticos nuncupant. *Sciatica & Sciatici qui?* Rectiùs facturi, si Ischiadicos vocarent.

TVMORVM PRAETER NAturam, & ulcerum explicatio.

Cap. XXVI.

Phlegmoni generatim dicta, quid notet? Φλεγμονὴ, vox Græcis bifariam sumitur: Generatim pro omni calido & dolorifico, cum maximo æstu coniuncto tumore. Qua quidem in significatione idem Græcis quod φλόγωσις denotat, quàm Latinè licet inflammationem aut effervescentiam, appelles. Hac sanè ratione erysipelas, herpes, & carbunculus, phlegmones dici possunt. Eo in significato, ab Hippocrate, & aliis veteribus, hanc vocem esse usurpatam constat. *Phlegmoni propriè dicta quid.* Propriè autem phlegmone sic dicta, suprà effervescentiam & inflammationem, tumor est rubens, dolens, tendens, & tactui renitens, ut libr. 13. Ther. method. cap. 1. Galenus docet. Vt itaque Latini interpretes, hanc differen-

ferentiam exprimant, præstat φλόγωσιν inflammationem interpretari, & alterum tumorem, à Græcis mutuata nomenclatura, phlegmonem vocare: ἕρπης malum est, ubi tenuior flava bilis sola, & pura, nulloque infecta alio humore, in aliquam particulã decumbit. Latinis, itidem ut Græcis, Herpes generis nomine, & simpliciter appellatur. Quòd si bilis hæc, substantia sua crassior acriorq; fuerit, totam cutem ad subiectã usque carnem exulcerat, nominaturque Græcis ἕρπης ἐσθιόμενος, Latinis Herpes exedens. Si verò tenuis, & minus acris calidaq; fuerit; exiguas pustulas milioq; similes, per summam cutem excitat, ob eamque similitudinem Græcis κεγχρίας ἕρπης, Latinis, herpes miliaris dicitur. Ἐρυσίπελας Græcis, Ignis sacer, Latinis, Galeno lib. 2. ad Glauconem teste, geminum existit, non èxquisitum, & exquisitum. Non exquisitum quidem erysipelas, tumor est ex fervente tenuiq; sanguine conflatus: vel ex sanguine & flava bile calidiori, quàm oporteat, mista, fluxio. Quòd si verò ex biliosa fluxione, vel syncera bile nascatur, & parũ infestet, ac per solam cutem diffusum fuerit vitium, nihil subiectam carnem molestans, quod quidem sæpiùs evenire solet, exquisitum Erysipelas tunc nominatur. Quod igitur subiectam carnem attingit, neq; ex tenui solùm bile constat, non simplex erysipelas, sed iam affectus permistus, ex erysipelate & phlegmone constans est, atq; ab eo, quod in mistura exuperat, nomẽ accipit. Si enim propria erysipelatis symptomata, in eo exuperant, ἐρυσίπελας φλεγμονῶδες, hoc est, erysipelas phlegmonosum nominatur. Si verò phlegmones symptoma superant, φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης, id est, phlegmone erysipelatosa vocatur. Quòd si autẽ neutrius symptomata exuperaverint, sed ęqualia fuerint, tunc erysipelas & phlegmone mista esse dicuntur, ut fusiùs in nostris annotationibus super librum decimumquartum Galeni de Medendi ratione, capite 1. & 2. monstravimus: ἄνθραξ autem est, ubi sanguis

Herpes quid quottuplex?

Herpes ardens.

Herpes miliaris.

Erysipelas Galeno est geminum.

Erysipelas exquisitum.

Erysipelas phlegmonosum.

Phlegmone erysipelacea.

Anthrax.

crassus & flavescens, in aliquam corporis particulam decumbens, cutim exusserit eroseritque, Latinis carbunculus appellatur. Errant itaque plurimùm recentiores, & barbaram excolentes medicinam, eò quòd anthracem & carbunculum diversa esse corporis vitia tradūt, ut copiosè admodum lib. 2. Parad. cap. 18. monstravimus. Qui Arabum sectantur placita, idem malum, prunam, & ignem Persicum nominant. Incipit plerumque à pustula exigua, interdum verò sine pustula exoritur. Qui hoc vitio corripiuntur, particulam laborantem omnino scabunt, unde mox orta pustula quædam rumpitur, eaque rupta ulcus cum crusta gignitur. Οἴδημα, propriè laxus quidam mollisve & dolore carens tumor est, ex pituitoso humore, in particulam aliquam influente exurgens. Latinis similiter ac Græcis Oedema dicitur. Barbari corrupta, ut solent, voce undimiam nuncupāt. Hoc quidem modo, à Galeno & aliis, qui hunc ætate sequuti sunt, medicis usurpatur. Generatim autem œdema, omnem præter naturam tumorē, adeoq; idem, quod ὄγκος παρὰ φύσιν significat. Quo quidem modo ab Hippocrate sumitur, quod multis etiam in locis suorum Commentariorum testatur Galenus. Σκίῤῥος, Galeno autore, duplex est. Exquisitus alius, verus, legitimúsve, tumor est durus, sensus & doloris omnis expers. Hicque omnem respuit curationem. Non exquisitus autem scirrhus, tumor quidem est prædurus, non tamen sensus omnino expers. Καρκῖνος & καρκίνωμα inæqualis, livescens, aspectu teter, & perpetuò ferè dolore affligens est tumor. Cancer Latinis vocatur. Hanc autem nomenclaturam tàm Græci, quàm Latini huic vitio à cancro fluviali indiderunt. Siquidem in eo implentur & intenduntur venæ, cancrorum pedibus à glomere illo corporis descendentibus, persimiles. Nonnulli verò inde nominatum statuunt, quòd difficillimè ab iis partibus, quas obsedit, evellatur, quemadmodum cancer fluviatile

Carbunculus. *Recentiorum medicorum error.* *Pruna.* *Ignis Persicus.* *Oedema propriè quid, & quomodo nominetur?* *Oedema generatim.* *Scirrhus.* *Exquisitus.* *Non exquisitus.* *Cancer unde dicatur.*

viatile

riatile animal. Constat enim, hunc, à loco, quem se-
nel apprehendit, quòd illi pertinaciter adhæreat, fa-
ilè avelli non posse. Quòd si in partibus corporis, *Cancer evidens.*
n conspectu positis & extremis, ut sunt mammæ, &
d genus aliæ, eveniat cancer, medicis evidens ac ma-
ifestus nominatur. Si in penitioribus & latentibus *Occultus.*
orporis partibus, sede nimirũ, palato, & sinu mulie-
ri nascatur, occultus appellatur. ἐλέφας & ἐλεφαντία-
σις, universi corporis cancer est, Latini elephantiam, *Elephantiasis unde dicta.*
ive elephantiasin vocant. Sic verò malum hoc no-
ninatum est, quòd in eo cutis, corio Elephanti per-
imilis videatur. Nam maculis quibusdam ad atrum
olorem vergentibus inficitur cutis, & inæqualiter
ispera, crassa & veluti squamis fœda, livens, ferinaq;
eddìtur. Dicitur alio nomine Galeno, ut suprà est
xpositum, Satyriasis, aliis Leontiasis, à buccis, & su- *Leontiasis quid?*
erciliis protuberantibus, & flaccidis. Vnde omni-
ous perspicuum evadit, elephantiasin, Græcis non es-
e aliud vitium, nisi id quod Arabibus lepra nuncu- *Lepra Arabum.*
atur, ut lib. 1. Parad. cap. 16. fusiùs demonstravimus.
Nec temerè dictum est Arabum, quippe Græcorum *Lepra Græcorum.*
λέπρα malum multò mitius est, nec à scabie multùm
liffert. Nam lepra, profundiùs, circularibusq; erosio-
iibus cutem depascitur, & piscium modò squamulas
x sese remittit. Ψώρα verò, superficiem tãtum & sum- *Psora quid?*
nam corporis cutem, variis figuris exedit, & resolvi-
ur, furfuracea corpuscula λειχὴν, vitium cutis est, quod *Lichen.*
eleriter in lepram & scabiem, Paulo attestante, tran-
it, asperitudinem in ea quandam pariens. Latinis im- *Impetigo.*
etigo nũcupatur, Germanicè Flecht. Cornel. Celsus
ib. 5. lichenas papulas, & leprã impetiginem cõvertit,
quod evitandæ cõfusionis ergò hoc loco monendũ
esse duximus. Fusiùs autem eadem de re lib. 2. Parad.
c. 17. scripsimus. Cæterum Gal. lib. 5. de Comp. med.
ocal. cap. 7. fœdissimæ cuiusdam impetiginis memi-
iit, quæ pruritum excitat, & laborantes affligit, atque
n discrimen vitę non mediocre, ægros adducit. Nam

interdum per universam faciem serpit, & ad oculos usque procedit, & ferè supremæ deformitatis causa efficitur. Quæ quidem impetiginis descriptio, mentagræ Plinii per omnia convenire videtur. Vt hinc palàm fiat, feram impetiginem, à mentagra non esse diversam, quæ tamē à mitiore impetigine plurimùm differt. Non parùm autem errant, qui fœdissimam hanc impetiginem, mentagram à Plinio appellatam, morbum eum esse arbitrantur, quem hodie vulgò Gallicum, Neapolitanum, aut Hispanicum, vel, ut alii, citra nationum odium & injuriam, Venereum morbum nominant, ut fusiùs li. 2 Parad. cap. 17. diximus. Et quum hoc loco in vitia cutis inciderimus, præstabit singula alia cutis pathemata subjecisse. Vitiligo, fœdus cutis color est, ex malo & occulto quandoq; particularum habitu, proveniens, quæ nutrimentum sibi probè assimilare nequivêre. Hujus quidem duæ sunt species. Vna Græcis λευκή dicitur, quòd scilicet in ea, color cutis ad candidius mutetur. Hæc non tantùm cutim inficit: sed altius descendit, adeò ut carnem quoque ipsam contingat, ac pilos coloret, in ea enim cani, & lanugini similes, enascuntur pili. Latinis haud secùs atque Græcis leuce, & alba vitiligo nuncupatur. Quare, errore non vacat, quòd Latini Galeni & aliorum medicorum Græcorum interpretes, λευκὴν speciē hanc, passim, generis voce vitiliginē convertunt. Avicennæ & aliis Arabibus ferè omnibus, hæc species, Alboras nominatur. Altera vitiliginis species, Græcis ἀλφός vocatur: cujus quidem generatio etsi eadem cum leuce sit, tamen carnem non attingit, nec in profundum descendit, sed summam tantùm cutem inficit, cui veluti squammulæ quædam vitiligines ipsæ infixæ adhærent. Latinis alphos perinde atque Græcis dicitur: Et sunt quidem Alphi duplices: albi, qui ex pituita: & nigri, qui ex melancholico humore, oriuntur. Sic autem hoc vitium appellarunt Græci, quòd cutis colorem immutet. Quippe

Mentagra Plinii, ab impetigine ferà nihil differt.

Morbus Gallicus à mentagrâ diversus.

Vitiligo.

Leuce.

ἀλφός

ἀλφός. unde dictus.

ἀλφαίνειν iisdem immutare significat. Hinc rectè à Phavorino scriptum est, ἀλφὸν πάθος παρὰ τὸ ἐναλλάσσειν τὴν χρόαν, dici. Avicenna, & reliqui Arabes Morphæam vocant. Στίγματα Græci inter vitia cutis numerant, & sic nominant non puncta, sed maculas punctorum, quantitate & forma, hominis cutem & superficiarias partes decolorantes ac variantes. Vulgò vermicata appellantur. Γάγγραινα, malum est, in quo pars laborans propter magnam phlegmonem emoritur, nondum tamen prorsus mortificata est. Latini perinde ut Græci Gangrænam nominant. σφάκελος autem Græcis malum dicitur, in quo pars laborans, ob phlegmones magnitudinem, ex toto & perfectè emortua, ac sensu vitaque destituta est. Latini Syderationem nuncupant. Prætereà, ut in libello de Tumorib. præter naturam, Galenus autor est, syderatio solidarum partium corruptela est, adeò ut non soli carni, & vasis, sed etiam ossibus ipsis innascatur. Gangræna verò solidorum corporum, ipsis interim ossibus exceptis mortificatio est. Δοθιὴν, phlegmonosus est tumor, à crassis humorib. in carnosis partibus consistens, mitis quidem, quum in sola cute coierit: malignus autem, ubi in altum radices fixerit. Latinis furunculus dicitur. Γάγγλιον est nervorum concretio seu tumor, ex ictu aut lassitudine, in pluribus corporis partibus, præsertim motui dicatis, nēpe summis manibus & pedibus, obortus. Avicenna glandulam vocat. Βουβὼν, tumor seu phlegmone est glandularum indiscriminatim omnium. Quare perperam faciunt nonnulli Latini interpretes, qui hanc vocem ad inguinum tantùm glandulas tumefactas ac phlegmone correptas referunt. Latinis vitium hoc perinde atq; Græcis bubon dicitur. Vacat periculo, ubi propter ictum, aut ulcus, quod in cervice, capite, manus aut pedis, digitis, vel vicina aliqua parte natum est, oritur. Periculum verò maximum si

Morphæa. *Stigmata quid?* *Gangræna.* *σφάκελος.* *Δοθιὴν.* *Γάγγλιον.* *Bubon.*

per pestilentiam ingruat. Χοιράδες, sunt glandulæ induratæ, vel ut Galenus li. 13. Therap. meth. cap. 5. definit, duriores glandularum, & glandulosarum partium phlegmones sunt. In collo, alis, & inguinibus præcipuè consistũt, ubi glandulæ vasis substratæ collocantur. Latini strumas nominant. Barbaram sectantes medicinam, scrofulas, à suibus multiparis animantibus (numerosæ enim sobolis existunt,) atque eo vitio frequenter laborantibus, mutuato nomine appellant. Scrofæ etenim, id est, sues, colla habent glandulosa, & magna ex parte strumosa. Φῦμα Græcis, tuberculum Latinis vocatum, bifariam accipitur. Generatim pro omni præter naturam è quacunque corporis parte erumpente tumore, quemadmodum lib 6. Epidem. sect. 1. Comment. 12. Galenus testatur. Quo utique modo à Paulo libr. 4. cap. 22. usurpatur. Speciatim autem sumitur phyma, pro glandularum phlegmone, quæ citò augetur, & ad suppurationem accelerat: Qua in significatione, à Galeno lib. 2. ad Glauconem, c. 1 accipitur. Φύγεθλον, Celso li. 5. c. 28. autore, tumor est glandularũ non altus, sed latus, in quo pustulę quiddam simile est, panis similitudinem habens. Hinc est, quòd tumorem illũ Latini, Plinius maximè, Panum nominet. Galen. loco paulò antè citato, phygethlon, in glãdulis phlegmonodes erysipelas, aut phlegmõ erysipelatosam esse, scriptũ reliquit. Vt hinc pateat, aliud illi phygethlon, quàm Celso, esse vitium. Ἀπόστημα & ἀπόστασις, est vitium, in quo ab invicem distant, quæ prius se se contingebant, corpora. Spatium enim vacuũ in medio relinquitur, quod substantiam quampiam vel flatuosam, vel humidam, vel ex utrisque mistam comprehendit. Excoriat itaque hæc præter naturã substantia, circumposita corpora, spatium videlicet sibi moliens, vel inter duas tunicas, vel sub certis membranis. Latini abscessum, vulgus exituram appellat. Cæterùm inveniuntur in abscessibus, ubi aliquãdiu perduraverint, quum scalpello

Struma. *Phymatis acceptio duplex.* *Φύγεθλον.* *Panus.* *Apostema.* *Abscessus.* *Exitura.*

pello

pello dividuntur. proprietates quædam non paucæ, non humorum modò, sed etiam solidorum quorundam corporum. Siquidem unguibus, pilis, ossibus, testis, lapidibus, carbonibus, arenis, lignis, pororum fragmentis, limo, & sorditiei balnei, fæci, & amurcæ similia inventa esse, Galenus etiam memoriæ prodidit. Quod quia vulgus ignorat, ideò incantamentorum vi, ac nescio quarum magicarum artium potentia hæc omnia esse procreata falsò judicat. Quapropter superstitione impulsum, ad magicas quoque curationes concurrit. Porrò abscessuum duplex genus est: Vnus, ubi phlegmone in pus conversa, pus ipsum tanquam in sinu aliquo collectum continetur. Alter, quum nulla præcedente phlegmone, humor aliquis statim initio in parte aliqua coacervatur. Α᾽πόσκημμα est, ubi humores loco, quē prius infestabant relicto, ad alterum confluunt. Latini interpretes nonnunquam decubitum, interdum illapsum humorum, ab uno, in alium locum appellant. Α᾽θέρωμα, abscessus est concolor & indolens, in membrana, seu nervosa tunica lentum humorem pulti similem cōtinens, genitus. Neq; enim ἀθήρα vox Græcis aliud, quàm pultem, quæ ex farina decocta conficitur, significat. Μελικηρὶς, abscessus est, in quo humor tenuis, & mellis substantiam referens, continetur. Nonnullis Latinis, mellifavium nominatur. Στεάτωμα, abscessus est, in quo humor sævo persimilis, membranæ inclusus subest. Ε᾽μφύσημα, est flatuosus spiritus, aliàs sub cute, aliàs sub membranis, quæ ossibus circumtenduntur, aut musculos, viscerumque aliquod ambientibus coacervatur, concluditur. Porrò colligitur aliquando non parum etiam in ventriculo & intestinis, itemque in medio spacio horum & peritonæi. Latini inflationem, vulgus medicorum apostema ventosum vocat. Ε᾽πινυκτίδες Paulo lib. 4. cap. 9. teste, sunt ulcuscula sua spōte erumpentia, pustularum

In abscessib. quæ, & quales multoties reperiantur substantiæ præter naturam.

Abscessus duplex genus.

Αποσκήμματα.

Decubitus.

Α᾽θέρωμα.

ἀθήρα

μελικηρὶς.

στεάτωμα.

ἐμφύσημα.

Inflatio.

ἐπινυκτίδες.

ſpecie ſubrubra, quibus apertis cruenta ſanies defluit, per diem quidem non magnopere excruciant, noctu verò gravi magis quã pro ratione ulceris, dolore torquent. Celſus lib 5 cap. 28. Epinyctides, inquit, puſtulæ ſunt peſſimæ. colore vel ſublivido, vel ſubnigro, vel albo; fabę magnitudinem non excedentes, in eminentibus partibus, veluti tibiis, & pedibus, maximè naſcentes. Circà has vehemens inflammatio eſt, & ubi apertæ fuerint, intus reperitur exulceratio mucoſa: color eſt epinyctidum, humori peccanti ſimilis, dolor verò ex eis, ſuprà carũ magnitudinem exoritur. Nomen acceperunt à nocte, vel quòd interdiũ non multùm, noctu verò graviore dolore torqueant: vel ut Celſus voluit, quòd noctu ferè exoriantur ὕδρωα Græcis, ſudamina Latinis, Plinio papulæ ſudorum, Galeno ſect. 3. Aphor. comment 21. teſte, ex genere ſunt puſtularum in ſumma corporis parte hærentium, quæ inſtar ulcerum cutem exaſperant & exedunt, proveniuntque, ut & nomen ipſum indicat, ob multos ſudores, vel bilioſiores, vel mordaciores, qui cutem mordent, & pruriginoſam reddunt, ac per modum ulcerum exaſperant. Φλύκταιναι & φλυκτίδες generatim, exiguæ ſunt puſtulæ, veluti bullæ, ſimiles iis, quæ in corpore, à fervida aqua, torrefacto, contingunt. Hippocrati φλύσεις dicuntur. Singulæ verò appellationes ἀπὸ τοῦ φλύειν, hoc eſt, ab ebullitione & fervore ſunt factæ. Ψύδρακες & ψύδρακα, puſtulæ ſunt, parùm ſupra ſummam cutem eminentes, bullis quę ab igne excitantur in ambuſtis perſimiles. Hæ in capite præcipuè naſcuntur. Ἐξανθήματα Græcis generatim omnes ſunt puſtulæ, ſive eruptiones ſpontè in cute florentes, ſic dictæ, quòd turgentium ad florem in ſtirpibus gemmarum modo tumeant. Hippocr. 3. Epid. lib. ἐκθύματα, ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν, hoc eſt, ab erumpendo, quòd ſcilicet ſua ſpontè è cute erumpant, in eaque floreant, vocavit. Plinius papulas,

Celſi definitio epinyctidum.

Ratio nominis

Sudamina.

φλύκταιναι.

φλύσεις.

ψύδρακες.

ἐξανθήματα.

ἐκθύματα.

Papulæ.

pulas, & interdum pituitæ eruptiones nominat. Interpretes aliquot Latini pustulas appellant. Sunt autem duplicia exanthemata. Quædam enim sunt sublimia, à calidiore ac tenuiore humore facta; pruritumq; excitantia. Ejus quidem generis sunt, quæ in puerili ætate maximè eveniunt, atque erumpunt, & quas vulgus medicorũ, & barbaram excolentes medicinã, variolas, Germani Kindsblatern nominant. Quędam sunt lata & humiliora, à frigidiore ac crasso humore orta; neq; pruritum insigniorem concitantia. Cujus utique generis sunt, quæ itidem in pueris maximè erumpunt, ac recentioribus & Barbaris Morbilli; Germanis die Kindsflecken die Rootsucht appellantur. Τέρμινθος, tumor est præter naturam, sive enascentia nigri coloris, in tibia maximè consistens & eveniens. Græci hoc malũ dixerunt τέρμινθον, quòd in figura, colore, ac magnitudine cum terebinthi fructibus similitudinem habeat: Paulus ex Oribasi sententia, Terminthum tuberculi speciem esse asserit, cui pustula nigra, suprà infraque adjacet, qua rupta, id quod subjacet, desquamato simile apparet, quo quidem dissecto, pus deprehenditur nigrum. Dioscorides autem Alexandreus terminthum esse tradit eminentiam in cute consistentem, rotundam, nigroviridem, terebinthi fructum referentem. Θύμος turgida quædam est excrescentia, aspera, subrubra, oblonga; nunc in glande, nunc in præputio, nunc in ipsa sede consistens. Sic autem Græcis vitium hoc nominatũ est, quòd thymi corymbis simile sit. Celsus Thymion appellat, sicq; vocari scribit, quòd super corpus glandis, quasi Verrucula eminet, ad cutem tenuis, suprà latior, subdura, & in summo peraspera. Idque tuberculum summum colorem thymi floris repræsentare, & ei nomen inde esse tradit. Thymorum autem alii mites, alii maligni sunt. Mites exiguæ sunt carnes, inæquales, eminentiis sensum latentibus, scabræ, colore candidę, aut subrubræ, dolore carentes. Maligni

Pituitæ eruptiones. *Exanthemata duplicia.* *Sublimia; unde oriantur?* *Variolæ.* *Lata.* *Morbilli.* *Terminthus.* *Thymus quid; cuius partis affectus, & à qua causa oriatur.* *Thymorum genera.*

autem sive feri thymi scabriores amplioresque sunt, fæculenti, lividi, dolorem inferentes, manuum præsertim contactu. De quibus fusiùs Aëtius libro decimoquarto, capite quarto tractat.

μυρμηκίαι. *ἀκροχορδών.*

Μυρμηκία & ἀκροχόρδων, tumores sunt exigui, seu humiles excrescentiæ, callosæ, & magna ex parte rotundæ, quæ instar monticulorū quorundam, in cute eminentes, conspiciuntur. Latini appositè verrucas appellant.

Verruca.

Verruca enim propriè editiorē mōtis partē significat authoribus Latinis. Μυρμηκία tamē, propriè verruca est ampla radice, seu ex latiore basi, & coacto capite cōstans, & quasi sessilis, similē vellicantis formicæ sensum, dum attrectatur, inducens. Latinis formica nominatur.

Acrochordō quid?

Ἀκροχόρδων autē pensilis, & tenui, angustioreq; prope cutem, basi, est verruca, ita, ut chordæ nexu suspensa esse videatur. Hoc est, rotunda quædam in cute eminentia seu excrescentia est, quæ basim, id est, partem imam, ad cutem positam & radicem angustam habet. Latini interpretes, verrucam pensilem vocant.

Clavus.

Ἧλος verruca est rotunda, alba, clavorumque capiti similis. Hinc Latinis clavus nuncupatur, Germanis Hüneraug / Aegersten aug / ꝛc. In calcaneis & pedū plantis maximè nascitur, in gradiendo, dolorem atq; impedimentum summum afferens. A clavis non magnoperè differūt calli, quos Græci τύλους nominant: nisi quòd per se dolore vacant, eodem quo cutis colore præditi. Neque spontè, sed ex labore obdurata cute gignuntur.

Πτερύγιον.

Πτερύγιον, carnis juxtà ungues tùm manuum, tùm pedum, partem eorundem operiens, incrementum est.

Παρωνυχία. *Reduvia.*

Παρωνυχία, tumor circà unguium radices cōsistens est, quem Barbari nostræ ætatis medici corrupta voce, ut alia multa, panaritium, Latini reduvias nominant. Κίρσος & ἰξία tumor est, seu dilatatio venarum, à crasso sanguine facta, Latinè varix appellatur.

Quas occupet partes.

Fit aliquando in temporibus, nonnunquam in ima ventris parte, sub umbilico, interdum etiam circà testes, frequentissimè autem in cruribus.

Θλάσμα

Θλάσμα fit, quum caro vel ossium aliquod molle, ab irruente extrinsecùs aliquo violento, valido, & duro corpore colliditur, ut partis læsæ externa facies integra, permaneat, & in profundo sint multæ parvæ divisiones. Latinis contusio & collisio dicitur. Ἐκχύμωμα & ἐκχύμωσις sanguinis est subter cutem effusio, & coitus. Latini effusionem nominare possunt. Vt plurimùm unà cum contusione & ruptione incidit. Ecchymomatis species sunt, ὑπώπια, quæ Latinis sugillata nuncupantur: & livores, ex ictu provenientes, Græcis ὑποσφάγματα, Latinis vibices vocātur. Ἀνεύρισμα, tumor tactu blandus est, digitisque cedens, è sanguine & spiritu impetuosiùs irruente contractus. Vel, ut Galenus definit, tumor, ex vulnere arteriæ, tum oriens, quum incumbens ipsi arteriæ cutis, ad cicatricem pervenerit: verùm arteriæ ulcus neque concrevit, neq; cicatricem adhuc recepit, neq; carne obductum est. Barbaris depravata admodū voce Emborisma, & mater sanguinis nominatur. Apud Græcos nomen ab arteriæ dilatatione accepit. Χείμετλα, ulcera sunt, quæ hyberno tempore, in manuum pedumque digitis, nec minùs in posteriori calcaneo oriuntur, Latinis perniones appellantur. Νομὴ ulcus est, cujus malitia adeò increscit, ut non modò ulceratas atq; corruptas carnes, sed etiam sanas absumat depopuletúrve. Latinis interpretibus ulcus depascens nuncupatur. Φαγέδαινα, ulcus est, quod huc atq; illuc serpendo, cutim ac subjectam illi carnē, sed extimam tantùm, & in superficie constitutam partem depascitur ac rodit. Κακοήθη ἕλκη, ulcera sunt ægrè sanabilia, dolosa, malefica, cōtumacia, summeq; rebellia. Hæc si inveterata fuerint, & vix curationem receperint, cicatricemq; difficillimè contraxerint, χειρώνια, quòd propter suam malitiam, Chirone, medicinæ olim peritissimo, & Achillis præceptore, indigeant, dicuntur. Τηλέφια, ulcera sunt tantæ malignitatis, ut saluta-


Θλάσμα. Collisio. Contusio. Ecchymoma. Ecchymomatis species. ὑπώπιον. Sugillata. Vibices. Ἀνεύρισμα. Emborisma. Mater sanguinis. Χείμετλα. Perniones. Νομή. Φαγέδαινα. Κακοήθη ἕλκη. χειρώνια. Τηλέφια.

rem Achillis manum requirāt & ne dum huic sæpiùs cedant. Quippe Telephus Midorū rex, hujuscemodi ulcere consenuisse fertur, nec nisi nova medendi ratione ab authore vulneris; Achille sanari potuit. Quod Ovidius iis verbis pulcherrimè expressit:

Vulnus Achillæo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Θηριώδη. *Sinus.* Θηριώδη ulcera sunt, quæ adhuc asperiùs sæviunt. Latinis ferina, à feritate summa vocantur. Κόλπος, ulcus est profundum & cavernosum, quod Latini sinū appellant, fit, quum cutis ulceribus adjacens, multo spatio à subjectis corporibus separatur, ut coalescere ei nequeat. *Σύριγξ.* *Fistula.* Σύριγξ, arctus, oblongus, & callosus sinus existit. Latinis fistula nominatur, fistulosumq; ulcus. Sic verò metaphora, à fistulis, ex arundine, aut alia quapiam materia confectis sumpta, dictam esse nemo ignorat. Nam in ea cavitas quædam deprehenditur, arundinū cavitati similis. *Fistularum generationis modus.* Magna verò ex parte accidit; quando pus in abscessibus contentum, à subjectis separet, & diducat. *Υπόνομα.* *Cuniculosa.* Υπόνομα, ulcera sunt, quæ pluribus transversisque ductibus, quasi canalibus, per latitudinem putrescunt. Latini cuniculosa vocant. *Attrita.* Παρατρίμματα, quæ Plinius attrita nominat, fiunt atterentibus, & urentibus in itinere pedes angustis calceis, confricatisque longa equi vectione feminibus, & in summa, ex mutuo partium inter se affrictu nascuntur. *Intertrigines.* Latini intertrigines nuncupant. Atque hæc de vocibus, quibus vitia corporis significantur, dixisse sufficiat.

INSTI-



INSTITVTIONVM MEDICINALIVM LIBER IV.

LEONHARTO FVCHSIO AVTHORE.

DE SIGNIS MEDICIS SECTIO I.

DE VTILITATE SIGNOrum. Cap. I.



RIORE libro eam medicinæ partem, quæ res preter naturam appellatas, inquirit, & à Græcis αἰτιολογικὴ & παθολογικὴ vocatur, absolvimus. Nūc ordinis ratio exposcit, ut eam partem, quam iidem σημειωτικὴν nominant, breviter percurramus. Sic verò appellant, ut libr. 1. etiam est dictum, illam, quæ rationem dictorum tradit, quibus præterita cognoscimus, præsentia inspicimus, & futura prædicimus. In qua quidem medicinæ parte perdiscenda, medicus strenuam navare operam debet, quòd nimirum nulla propemodū alia medicinæ pars, eâ dignior utiliorque sit. Siquidem latentes affectus præsentes dignoscere, & quæ præcesserunt, tamquam præsentia essent, commemorare, ac quæ post longum tempus futura sunt, prædice-

σημειωτική.

Definitio semeiotices.

Signorū dignitas.

Signorũ utilitas, atq; ad medendum necessitas. re, est quasi divinam artem profiteri. Vtilis quoque multis modis est signorũ cognitio, & ad omnia medici officia obeunda summoperè necessaria. Quippe ea medicinæ pars, quæ signorum rationem docet, tùm sanitatis, tùm morborum notas tradit, quæ medicum, quasi in rem præsentem ducunt, illique omnem corporis constitutionem ob oculos ponunt. Cùm itaque sine iis notis, nec ea quæ secundùm naturam in nobis sunt, conservare ac tueri liceat, nec imminentes morbos præcavere, aut præsentes profligare liceat, summo studio adnitẽdum medico erit, ut eam medicinæ partem, rectè perdiscat. Ad hanc verò ipsam consequendam, unicè conducent Galeni libri, quos de Laborantibus locis inscripsit. In iis enim, qua ratione cuiusq; corporis partis, earum potissimùm, quæ in alto corporis latent, adeoque sensum fugiunt, vitia dignoscãtur, methodo certa ac ratione docet. Atque hæc prima ejus medicinæ partis, quæ signa tradit, utilitas est. Altera, quòd quum homines, quæ illis eveniunt, à medico præcognita vident, non solùm artem extollunt, illiusque professores unicè admirantur, & suspiciunt: sed etiam huic libentiùs parent, & ut inquit Hippocrates, audentius se illi committunt, ad omniaque sustinenda paratos se exhibent, atque sic illum, in oppugnando morbo strenuè juvant. Quapropter si unà cum medico, ægrotantes, morbis fortiter reluctantur, fieri non potest, quin salutaris sequatur curatio, atque è corpore hac ratione omnis propulsetur morbus.

In quibus libris Semeioticem tradiderit Galenus.

2 *Doctrinæ signorũ complures aliæ utilitates.*

3 Tertia utilitas est, quia medicus hujus partis peritus, multo ante tempore, ut imminentibus malis corporis obuiam eat, se parabit, adeoq; ne quædam vitia prorsus accidant, prohibebit, nonnullorum autem magnitudinem arcebit: in summa, singulis periculis, perinde atq; peritus nauta, futuræ tempestati, rectissimè prospiciet.

4 Quarta, quòd remediorum autoritatem conservabit ac retinebit, dum illis utetur in iis solùm ægrotantibus quibus remedia profutura prævi-

prævidet. In illis autem, quos morituros prænoscit, ne ipsa infamet, haud utetur, memor optimi istius Galeni consilii, qui in quibus desperata omnino salus est, imprudentis esse consilii inquit, apud vulgum infamare præsidia, quæ multis qui sanari potuerunt, præsidio & saluti fuerunt summæ. Atque hinc est, quod idem etiam alibi monet, deploratos non esse curandos, sed ab iis potiùs abstinendum, & morbi finem prædicendum. Quinta, quod vulgi infamiam & calumnias, mortisque crimen, quod illi ab imperitis, imputabitur, facilè evitabit medicus, qui in hac parte medicinę probè instructus, omnes evẽtus mortemq; ipsam prænunciabit. Cùm itaq; ad consequendam laudem atque admirationem medico multum conferat, aliasq; non paucas ei utilitates afferat hæc pars medicinæ, quę signorum rationẽ docet, pręclarè dixisse Hippocrat. constat, optimum esse, ut medicus providentia utatur, & prędicendi scientiam sectetur: debetq; hoc nomine in hanc curã incumbere unicè, ut illam exquisitè discat. Id quod fiet, si Galeni libros de Arte medica, Temperamentis, Pulsibus, Prognosticis, Laborantib. locis, suprà indicatos, & eos quos de Iudiciis inscripsit, diligenter evolvat ac perlegat, Nam quamvis sparsim alibi signorum rationem explicet, in iis tamen libris de signis ex professo tractat. Et præ cæteris eiusdem monumentis plus ponderis habet ad prædicenda futura opus de Iudiciis posteritati relictum. Quod metipse lib. 3. Prognost. comm. 1. iis verbis testatus est. Cuicumq; libet exquisita ratione futura præsentire, huic Commentarii de Iudiciis revolvendi erunt.

11. Therap. meth. cap. 95. Desperati non attingendi.

5

1. Progn.

QVID SIGNVM, ET SIgnorum genera. Cap. II.

Signũ quid. SIgnũ, (ut à nominis explicatione auspicemur,) est, quod rem aliquam significat: vel quod rei alicuius est significativum. Nihil autem refert, sive signum, sive dignotionem, sive notam appelles indicium: nam iis omnibus vocibus id, quod Græcis σημεῖον significat, reddi potest. Quicquid igitur aliquid eorum, quæ in corpore n. aut p. n. fiunt, ostendere potest, signi nomine continetur. *Signum differt ab indicio.* Differt autem, Galeno 1. Prognost. com. 41. autore, signum ab indicio propriè loquendo. Siquidem signum ex observatione, indicium autem ex demõstratione sumitur. *Indicium. τεκμήριον.* Indicium enim, Græcis τεκμήριον dictum, perpetuò eorum, quorum est, naturam declarat, nec fallit unquam: ideoq; certa medicis dicuntur. Habent itaque se tanquã genus & species, signum & indiciũ. Omne namq; indicium, signum rectè habetur: non autem signum omne, indicium dicitur. Quæ enim sæpènumero fallunt, nec idem semper declarant, signa quidem, sed non indicia censeri debent. *Signorum tria prima genera.* Signorum autẽ tria sunt prima genera, nempe salubria, insalubria, & neutra. *Salubria.* Salubria sunt, quę præsentem indicant sanitatem, futuram prænunciant, & præteritam in memoriam revocant. *Insalubria.* Insalubria autem, quæ morbum præsentem significant, futurum prędicunt, & pręteritum in memoriam revocant. *Neutra.* Neutra denique signa, quæ neutrum, mediumque inter sanitatem, & morbum affectum ostendunt, prænunciant, & memoriæ tradunt. *διαγνωστικά.* Cæterum ex iam dictis, quæ pręsentia demonstrant, Gręcis διαγνωστικά, Latinis demonstrativa nominantur. *προγνωστικά.* Quæ verò futura prænunciant, Græcis προγνωστικά, nobis predictiones, pręcognitiones, pręsagia, vel præsensiones dici possunt. *ἀναμνηστικά.* Quæ autem pręterita commemorãt, Græcis ἀναμνηστικά, Latinis memora-

morativa vocantur. Atq; is est proprius harum rerũ & vocum usus. Veteres tamen, ut capite septimo Artis medicæ autor est Galenus, προγνωστικῶν sive prædictionum nomen, etiam præsentia & futura significare posse tradiderunt. Prædicere enim idem est, quod præcognoscere. Vnde cum ea, quæ præsentia sunt, vel præterita, quibusdam signis præcognoscimus eadem, quasi videantur, antequam sint patefacta, præsagire ac præsentire dicimur rectissimè. Sunt etiam quædam signa, quæ morbum, eiusque naturam declarant: quatenus unà cum illo invadunt & desinunt, quæ Græcis παθογνωμονικά, Latinis vitiũ, seu morbum significantia nuncupantur. Vt sunt in pleuritide acuta febris, spirãdi difficultas, tussis, punctio lateris. Hæc itaq;, ut umbra à corpore, à morbo ceu causa principali separari nequeunt. Quæ autem incipientis vitii indicia sunt, propriè γνωρίσματα dicuntur: Quæ verò non simul cum morbo invadunt & incipiunt, sed subinde apparent, & affligẽti iam affectui succedunt, ἐπιφαινόμενα, id est, succedentia aut supervenientia appellantur. Quæ autem morbi naturã veluti circumstant, nõ autem penitus eidem coniuncta sunt, & inseparabilia, Græcis συνεδρεύοντα, id est, circumstantia nominantur. Opponuntur itaq; iis, quæ morbi naturam patefaciũt, eo quod illa semper cum morbo sint coniuncta. Hæc autem aliquando cum morbo, nonnunquam post genitum morbum, modo ne omnino quidẽ conspiciuntur, tãtum abest, ut necessitate aliqua morbo inseparabiliter cõiuncta sint. Plerũq; tamen incidunt. Huius generis, ubi pleuritis torquet, sunt dolores, vel ad iugulum usque, vel ad hypochondria pertingentes. Sunt præterea quoque cruditatis & concoctionis signa. Cruditatis, quæ materiæ morbidæ cruditatem significant, adeoque vel omnino nullum iudicium futurum, aut pravum, aut dolores, aut diuturnitatem aut recidivam, ut primo Epid sect. secunda, constitut. 3. testis est Hippo-

παθογνωμονικά.

γνωρίσματα

ἐπιφαινόμενα.

συνεδρεύοντα.

Cruditatis.

Concoctionis. crates. Concoctionis quæ materiæ morborum concoctionem ostendunt & pollicentur, utraque iam dicta signa ex alvi excrementis, urinis, & sputis maximè colliguntur. Atque excrementa quidem alvi, inferioris ventris vel concoctionem vel cruditatem significant. *Vrinæ indicant concoctionem succorum.* Vrinæ autem, venosi generis, ut sputa excreationésve eorum, quæ in respirationi servientibus instrumentis hærent, humorum coctionem aut cruditatem monstrant, ut lib. 1. de Iudiciis Galen. copiosiùs docet. Proinde duo hæc signa ab urinis, & alvi fæcibus petita, stabilem propriamq; potestatem semper habent, quocunque morbi tempore apparuerint. Præterea sunt signa, quæ salutem demonstrant, *Salutaria.* salutaria ob id nominata. Contrà alia, quæ mortem *Lethalia.* portendunt, lethalia dicta. Ea ex iis maximè, quæ cum urinis, alvi excrementis, & sputis excernuntur, colligi possunt; quemadmodum in prognosticis *Bona.* Hippocrates docet. Quædam insuper sunt signa, bona vocata, quòd scilicet bonum aliquod præsens, præteritum, aut futurum ostendunt, ut est facilis spiratio, levis tolerantia, pulsuum bonitas, facilis somnus, facies simillima sanis, decens decubitus, totius corporis æqualitas, & alia quæ tùm in progno- *Mala signa.* sticis, tùm aphorismis recenset Hippocrates. Quædam contrà mala, quæ malum aliquod præsens, præteritum, aut futurum indicant, ut difficilis spiratio, præsertim quæ fit frigido efflato spiritu, difficilis tolerantia, pulsuum malitia, & in summa, prędictis contraria. Ac rursus inter bona, quædam optima, quæ *Optima.* semper bonum significant. Quædam valdè bona, *Valde bona.* quæ ferè semper eventum indicant bonum. Inter mala, quædam pessima, quæ semper monstrant ma- *Pessima.* lum. Nonnulla valdè mala, quæ raró non malum *Valdę mala.* portendunt. Sunt alia iudicatoria nominata, quæ *Iudicatoria quæ iudicationis causæ.* quidem duplicia sunt. Quædam enim, veluti causæ & signa sunt, hoc est, significant & efficiunt iudicium, ut est vomitus, alvi deiectio, urinarum multitudo,

titudo, ſudor, ſanguinis è naribus profluvium, parotis, & abſceſſus. Aliqua verò ſignorum tantùm rationem habent, ut pulſuum inæqualitas & ataxia, delirium, vigiliæ, comata, inquietudinis difficilis ſpiratio, obtenebrationes oculorum, difficilis ſenſus, dolores capitis, colli & ſtomachi, temporum gravitas, aurium ſonitus, ſplendores, lachrymæ involuntariæ, nox absque ratione moleſta, labrum inferius agitatum, oblivio, aſtantium ignorantia, vehemens rigor, acceſſio anticipans, facies unà cum oculis & naſo rubeſcens, hypochondriorum retractio, nauſea multa, faſtidiumve, æſtus, & ſitis vehemens, ſpaſmus cinicus. Omnia quæ iam commemoravimus, quatenùs ſubitam mutationem ac turbationem oſtendunt, Græcis κρίσιμα, Latinis indicatoria ſigna vocantur. Quatenus verò morbos ſequuntur, & ſecundum propriam ſuam ſubſtantiam conſiderantur, ſymptomata iudicatoria nominantur. Habentque iudicatoria appellata ſigna, non ſemper ſtabilem ac firmam, ut cruditatis & concoctionis, poteſtatem quocumque morbi tempore apparuerint. Siquidem bona ſunt, ubi poſt concoctionem morbi, & in vigore apparent. Mala verò, quùm in morbi principio, & ante concoctionem. Quod ut plenius intelligamus, de temporibus morborum, nunc differamus oportet.

κρίσιμα. Symptomata iudicatoria.

QVID TEMPVS MORBI, ET TRActationis de temporibus morborum uſus. Cap. III.

Morbi tempus Græcè καιρός, non eſt niſi pars aut ætas morbi, quæ ſucceſſionis viciſſitudine, progreſſuve in alium atque alium morem mutatur, metaphora ab animantibus ſumpta. Quemadmodum enim hæc ipſa genita, ad vigorem uſq; augentur, inde iam contabeſcere incipientia, ad

Morbi tempus quid.

Vnde nomen hoc obortum primitùs.

extremam usque corruptionem declinant, si omnes ætates pertransierint: ita quoque singuli morbi, à prima eorum constitutione, ad vigorem usque increscunt, donec pro augmenti prioris portione decrescentes omnino dissolvantur. Tempora itaque appellantur, quòd successione quadam, ut tempus, suas partes, morbus adquirat. Vel, quòd sint progressus quidam, quibus ab initio ortus sui, ad finem usque variè ægrum afficiunt. Aetates verò, quòd quemādmodum ætatum decursu animal, sic morbi, temporum vicissitudine immutentur, atque horum temporum cognitionis utilitas varia & multiplex est: Nam quùm curationem morborum in primis ob morbi tempora variari contingat: alia enim, in principio morbi, alia, in eius incremento, alia denique in aliis morbi partibus & temporibus, remedia conveniunt: nemo morbos rectè curabit, nisi horum tempora perspecta habeat. Neque enim temerè in aphorismis dixit Hippocrates. Quùm morbi incipiunt, si quid movendum videtur, move: quùm verò consistunt ac vigent, quiescere melius est. Et alio loco: In acutis morbis raro, & in principiis, purgantibus utendum medicamentis. Sanguis præterea non mittitur pari utilitate, vigente morbo, ut incipiente. Quū autem morbus declinat, non solùm superfluè, sed etiam inutiliter extrahitur. Pari modo inter initia phlegmones reprimentia, in augmento autem tepida & mediocriter adstringentia, in vigore quæ moderatè calefaciunt & discutiunt, adhibemus medicamenta. In declinatione verò, quæ valenter tùm calefaciunt, tùm discutiunt. Confert etiam hæc cognitio ad futurorum prædictionem. Nam quo tempore mori possit, aut sanari, & quando periculum effugerit æger, providebit, qui morbi tempora non ignorabit. Neque enim in quacunque morbi parte finiri possunt morbi, aut vita extingui: cùm nemo invadente, aut inclinante morbo perierit umquam. Quinetiam victus rationem in nullo morbo rectè instituet, qui eius

Aliæ morbi temporū definitiones.

Vtilitas cognitionis temporum morbi.

1

2 *Aph.* 29.

1. *Aph.* 24.

Quod curatio ob varia morbi tempore variet.

Phlegmone, quæ cōveniāt præsidia, per singula sua temp.

2 *Ad prognosin morbi tēporūm distinctio confert.*

3 *Prodest etiā*

eius tempora, præsertim vigorem, à quo cibandi cōsilium petitur, ignoraverit. Quod abundè patet ex iis, quæ sectione secunda ab Hippocrate scribuntur. Postremò, quòd inde iudiciorum bonitas aut malitia cognosci possit. Nam vigor morbi, iudiciorum omnium regula est; quòd in eo, non nisi optimum iudicium fiat. Proinde quantò iudicium vigori proximiùs, tantò melius est. Contrà, quantò magis ab eo distat, peius, ut libro tertio de iudiciis, cap. 5. Galenus fusiùs docet.

ad dietæ præscriptionem.

Vigor morbi iudiciorum omnium regula.

QVOT SINT MORBORVM *tempora. Cap. IV.*

VNiversalia morborum tempora, quatuor esse tùm veteres, tùm recentiores medici, omnes uno consensu statuunt, principiū, sc. augmentum incrementúmve, vigorem & declinationem. Nō temerè autem Græcis ὅλυ τῦ νοσήματ⊕ καιρά. Latinis universalia tempora vocantur: hac enim appellatione, à particularibus, in quæ, singulæ morbi accessiones dividuntur, illa discernere voluerunt. Cæterùm, ut de singulis ordine agamus. Principium variè à medicis usurpatur, nempe trifariam. Vno modo, pro primo exquisitè insultu, seu prima morbi invasione, quam Græci ἐπισημασίαν nominant, quæ quidem simplex est, & omni latitudine caret. Id enim momentum insectile est. Secundo, pro eo quod latitudinem obtinet, & ad tertium usq; prorogatur & extenditur diem. Neutro autem horum modorum sumitur à nobis in præsentia. Tertio modo, pro totius morbi parte prima, quæ non dierum numero, sed concoctionis signis finitur, & determinatur. Duæ primæ significationes, à vulgari opinione desumptæ sunt. Vulgus enim vocat eos, in principio morbi esse, quos à primo morbi insultu correptos, videt. Item eos, qui in primis tribus diebus laborant, adhuc in

Vniversalia tēpora quatuor.

Principium trifariam sumitur.

ἐπισημασία.

principio eſſe putat, etſi nonnunquam eo tempore illi incrementum, iam exceſſerint Tertia principii ſignificatio ſolis medicis nota eſt, cũ per multos menſes morbus ſæpenumerò duret, & nihilominus adhuc in principio ſit, cuius quidem finis tunc certò adeſt, ubi concoctionis manifeſtæ notæ apparuerint.

Incrementũ. Alterum tempus, quod principium ſtatim excipit, & ad vigorem uſq; perdurat, Græcis αὔξησις, ἐπίδοσις, ἀνάβασις, Latinis incrementum, augmentũ, & aſcenſus dicitur. Tertium vehementiſſima morbi pars eſt,

Vigor. Græcis ἀκμή, Latinis vigor, & ſtatus appellatur. Quartum

Declinatio. & ultimum Græcis παρακμή, Latinis declinatio & indeclinatio nominatur. Atq; hæc ſunt univerſalia morbi tẽpora, ſive maiores morbi partes, in quas univerſus morbus primùm dividitur.

Particularia tempora. Particularia verò tempora ſunt minores partes, in quas ſingulæ morborum acceſſiones dividuntur.

Acceßio. Acceſſio autem Græcis παροξυσμός dicta, non niſi tempus eſt deterius totius circuitus, quod à prima invaſione uſque ad intermiſſionem perdurat. Hoc itaq; tempus quatuor partibus ſeu temporibus particularibus, principio nimirum, incremento, vigore, & declinatione definitur.

Exemplum acceßionis febrilis. Febrilis acceſſionis exemplo res clarior fiet. Huius certè principium eſt, quod extremis partibus refrigerationis ſenſum præbet. Incrementum, ubi frigus deſinit, corpus autem incaleſcere incipit, non tamen exquiſito calore. Vigor, ubi calor æqualiter in totum diffuſus corpus minimas eius obſidet particulas. Declinatio, ubi calor imminuitur.

Circuitus quid? Porrò circuitus, qui Græcis περίοδος vocatur, non eſt niſi repetitio, ſive reditus ab eodem, ad eadem, per ordinem & circulũ quendam factus.

Alia periodi deſcriptio. Vel brevius, ſimilis ad idem reditus: hoc eſt, univerſum temporis ſpacium, à primo ſtatim inſultu, unius, uſq; ad inſultum alterius acceſſionis.

Circuitus duæ partes. Cuius quidem temporis duæ ſunt partes.

Prima. Vna, quæ deterius eius tempus comprehendit.

Altera. Altera, quæ remiſſionem ſive declinationem, & quietis tempus comple-

complectitur. Primam quidem partem periodi veteres medici, Græci παροξυσμόν, id est; accessionem privatim nominaverunt. Qua quidem ratione, in se- se accessio, non nisi principium, incrementum, & vigorem continet. Hac in significatione, accessionis vox, ab Hippocrate, sectione prima aphorismorum usurpatur, quùm inquit: In accessionibus, à cibo abstinere oportet. Veluti fusiùs in nostris super hanc Hippocratis sententiam commentariis ostendimus. Nec aliter in mox sequente aphorismo duodecimo accipitur; quod in Commentariis suis, iis verbis Galenus etiam confirmat, inquiens: Per accessionem ,, te oportet inaudire deterius totius circuitus tempus, ,, quod est à primo insultu usque ad tempus vigoris ,, perdurat. Quod certè accuratè considerandum erit, Communiter enim medici, præsertim recentiores, accessionem vocant, quæ non solùm in se principiū, incrementum, vigorem, sed & declinationem, quam Græci propriè παρακμήν; (ut diximus,) nominant, complectitur. Alteram circuitus partem, id est, omne id tempus, quod priorem partem, sive accessionem, vigoremque usque ad secundam accessionem sequitur: Galen. in libr. de Temporibus, & alii veteres Græci παρακμὴν, ἄνεσιν, ἔνδοσιν, ὕφεσιν, ἀφαίρεσιν, vel διάλειμμα, id est, declinationem, remissionem, submissionem, oblationem, vel intervallum, appellant. Propriè tamen, ut libro primo, de Iudiciis, capite tertio, autor est Galenus διάλειμμα, id est, intervallum, illud periodi tempus est, quo in quietem febre vacantem, accessio desiit: aut brevius, quietis tempus, quod in febribus peculiari nomine ἀπυρεξία, id est, infebricitatio, si ita loqui licet, vocatur.

Accessionis vox bifariam sumitur.

Aphor. 12.

Διάλειμμα quid?

ἀπυρεξία.

QVOT TEMPORA VNIVERSALIA unusquisq; morbus habeat. Cap. V.

VT non omnia animantia, ad extremam & cõstitutam usq; senectutem perveniunt, adeoq; omnes ætates pertranseuntia senium attingunt: ita nec omnes morbi, propter suam malitiam, & ægrotantium imbecillitatem, singula sua tempora attingere possunt. Sunt enim morbi, qui duo duntaxat tempora habent, ut qui incrementi tempore interficiunt. Sunt etiam, qui tria tantùm obtinent tempora, ut qui in vigore iugulant. Ex lethalibus verò morbis nullus quatuor tempora habet. Siquidem fieri nequit prorsum, ut vigore elapso, diminutoque morbo, victa illius vehementia, homo in declinatione eius pereat, ut fusiùs lib. 3. de Iudiciis, capite 5. Galenus ostendit. Quamquam enim interdum morbus, quùm moritur homo, levior esse appareat, non tamẽ tum vera est declinatio, sed falsa potiùs & ficta, utpote quæ à natura neutiquam vincente, sed succumbente accidat. Neque enim alia de causa tunc declinare videtur morbus, quàm quòd virtus iam evicta, non amplius morbosis causis reluctetur. Et sunt certè ex lethalibus morbis nonnulli, qui brevi tempore & principium & augmentum percurrunt, ut ferè augmentum habere nullum videantur. Atq; hinc est, quòd Galenus in libro de Optima secta scribat, nonnullos morbos acutos, ut apoplexiam, simul atque invadunt vigorem assumere. Quod certè non ita intelligendum venit, ut quidam hodie, qui omnia dicta Galeni malitiosè pervertunt, & summo studio depravantes interpretantur, quòd eiusmodi morbi nullum habeant incrementum, quãdo fieri nequeat, ut ad summum aliquid nisi ascendendo perveniat: sed quòd tam celeriter ab invasione ad vigorem perveniat,

Nemo in declinatione morbi moritur.

Obiectio proponitur, & diluitur.

in l. de caus. sympt. & d. loc. affect.

Galeni locus enarratus.

veniat, ut vix animadverti possit augmentum, adeoq; propemodum insensile sit. Atq; hoc ipsum sensisse Galenum, alius eiusdem locus planè convincit, qui est in libello de Totius morbi temporibus, in quo manifestè apoplexiam, incrementum habere inquit, atque adeò quid senserit in libro de Optima secta, disertè exponit. Sed eiusdem verba subjiciamus: ἔνια δοκεῖν τῶν νοσημάτων εὐθὺς εἰσβάλλειν ἀκμάζοντα, καὶ τοῦτο μὲν αὐτὸ τῶν ἀδυνάτων ἐστίν. οὔτε γὰρ τὸ μάλιστα ἐξαίφνης εἰσβάλλον ἀκμάζον εἴποι τις ἂν τὴν ἀποπληξίαν, οὐδὲ γὰρ ἀκριβῶς ἐστὶ τὸ τοιοῦτον, ἀλλ' ἐν μὲν βραχεῖ χρόνῳ διεξέρχεται τήν τε ἀρχὴν καὶ τὴν ἀνάβασιν, οὐ μὴν ἄναρχόν τε ἐστὶ, οὐδ' εὐθὺς εἰσβάλλει τελειότατα, ὥσπερ ὁ τῆς ἐπιληψίας παροξυσμός. οὐδεὶς γὰρ οὕτως ἁλίσκεται ἐξαίφνης τῷ συμπτώματι καθάπερ οἱ τὸν τράχυλον ἀφαιρούμενοι, καὶ τοι καὶ τούτων ἡ τομὴ πρῶτόν τινα χρόνον ἔχει, καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, καὶ τέταρτον, ὥσπερ εἰ καὶ χειρουργὸς τὶς ὁτιοῦν τέμνει. Quod est: Quidam morbi statim simul atq; vigent, invadere videntur, quod ipsum quidem ex numero eorum est, quæ fieri nequeunt. Neq; enim repentè invadentem in vigore esse apoplexiam, quispiam rectè dixerit, quoniam talis exquisitè non est, sed brevi tempore & principium, & augmentum percurrit, nō tamen absq; principio est, neque statim absolutissimè invadit: quemadmodum nec comitialis morbi accessio. Nemo enim tàm subitò symptomate corripitur, ut ii quibus cervix aufertur: quanquam horum quoque sectio primum aliquod, & secundum, & tertium, & quartum tempus habet, veluti etiam tunc quando chirurgus quamlibet partem incidit. Quæ verba Galeni etiam in propria lingua referre volui, ut hinc plenius lector eius cognosceret sententiam, & quàm iniquè à sycophantis hoc tempore flagelletur, qui singula propemodum eiusdem verba in diversam quàm ille putaverit, partem interpretantur. Cæterùm qui salutares sunt morbi, quatuor interdum tempora obtinebunt, principium nimirum, augmen-

Apoplexiā habere incrementum.

Galenus adversum recentiores defenditur.

Salutarium morborum tempora.

tum, vigorem, & declinationem: idq; accidit, si sponte solvantur. Si enim adhibitis remediis curentur, pauciora habebunt tempora. Qui enim antequam crescant per convenientia præsidia solvuntur; augmento & vigore mutilantur. Si per iudicationem perfectam terminantur; non pauciora quàm tria habebunt tempora.

TEMPORA MORBORVM ut dignoscenda. Cap. VI.

Morbi temporum cognitionis utilitas.

CVm quatuor temporum universalium morbi cognitio, ad iudiciorum prędictionem unicè, ut dictum est, conferat, quomodo horũ, quoad fieri potest, exquisitam consequi liceat noticiam, nunc monstremus, necesse est. Exorsi igitur à principio, de illis ita statuemus: Morbi principiorũ finis adhuc futurus quinq; deprehenditur modis. Primò, ex morbi ipsius natura & differentia. Quippe febres ardentes, pleuritis, viscerũ phlegmones, & id genus alii morbi acuti, brevissimi temporis principium habent. Nam ut ipsi non sunt diuturni, ita neque principium longo durans tempore, obtinebunt. Contrà, epilepsia sive morbus comitialis, coxendicum & renum dolores, quartana, & similes morbi diuturni, longioris temporis principia habebunt. Secundò, è temporibus anni, in quibus morbi exoriuntur. Qui enim æstate accidunt morbi, brevius: qui verò hyeme invadunt, longius principium habent. Hinc est, quòd Hippocrates non temerè in aphorismis dixerit: Aestivæ quartanæ magna ex parte breves sunt, autumnales verò longæ, præsertim quæ hyemem attingunt. Quantò enim brevior morbus est, tantò etiam brevius principium obtinet. Tertiò, ex ætate, & natura ęgrotãtis. Nam si calidæ fuerint naturæ, morbi eas corripientes brevius principium habebunt, Citiùs enim in iis concoctionis signa apparent. Contrà si fri-

Principium morbi ut dignoscendum. Ex morbi natura.

E temporibus anni.

2. Aph. 29.

Ex ætate, & natura ægrotantis.

si frigidæ fuerint ętates, longius principii tempus obtinebunt. Quartò, è regione in qua æger decumbit. Hæc enim perinde atq; ætas & natura ęgrotantis, vel brevius, vel longius principii tempus efficiet. Quinto ex victus ratione, antecedente. Is enim si calidior & siccior fuerit, biliosius adeoque calidius & siccius corpus reddet. Contrà, si frigidior & humidior fuit, pituitosum corpus efficiet. In bilioso autem corpore calidos procreari morbos, & pituitoso, frigidos, nemo est qui nesciat. Habent autem calidi morbi brevius, ut frigidi contrà longius principium. Cæterùm perfecti & iam absoluti principii evidentissimum ac firmum admodum signum, cōcoctio manifesta existit. Atque hactenus principii brevioris aut longioris signa unde petenda sint indicavimus. Porrò augmētum morbi, ex tribus cognoscitur rebus, nempe hora, in qua fit accessio, eiusdem longitudine, & magnitudine sive vehementia. Nihil enim refert magnitudinem aut vehementiam accessionis dicas. Duo enim hæc nomina, ut sect. 1. aph. Com. 12. testis est Galen⁹, apud veteres medicos usitata, sæpiùs de una eadēq; re pronunciātur. Ex hora quidem in qua fit accessio, ita cognoscitur augmentum: Si accessio maturius invadit, & plus quam proportio postulat antevertit, certissimum hinc morborū augmenti indicium colligitur. Ex longitudine hoc modo: Si accessio antevertendo in longius extenditur tempus, augmēti notā esse, nemo non animadvertit. Ex magnitudine seu vehementia hac ratione: Si accessio vehemētius afflixerit, manifestè augmentū morbi adesse, conjicimus. Proinde accessio plurimo tempore anticipās hoc est, cōsuetam invasionis horam antevertēs, & longius, & multò etiā vehementius affligēs, effatu dignū ac certū morbi habētis accessionē, & per circuitus redeuntis, incrementum indicabit. Aliorum morborum augmentū facilè ex illorum vehementia seu magnitudine iam increscente, cognoscitur. Vigor autem, indicatur; ubi hæc omnia in utrisq; accessionib. æqualia,

E regione.

Ex victus ratione.

Quæ corpora quibus diventur morbis?

Augmenti cognitio è tribus pendet rebus.

Ex hora.

Longitudine.

Magnitudine.

Accessio anticipans, longius, & vehementius affligens; quid notet?

Vigoris indicia.

& sibiipsis per quàm simillima fuerint, ac in eodem statu manserint, perseveraverintque. Declinatio autem, contrariis augmento signis, cognoscitur, nempe si tardiùs quàm consueverunt anteà accessiones invadant, si breviori tempore durent, & prioribus mitiores fuerint, minusque afflixerint. Possunt autem alii morbi, qui per circuitus non invadũt, ex symptomatum vehementia, vel remissione, num in vigore aut declinatione sint, cognosci, iuxta illud Hippocratis: Quum incipiunt, & finiunt morbi, symptomata omnia levissima sunt, in vigore autem vehementissima. Quapropter ex symptomatum vehementia, non morbi malignitas, sed tantùm vigoris tempus argui debet. Siquidem symptomatum magnitudo & levitas non perpetuò morbi malitiam, aut bonitatem indicant. Interdum enim aut nullis, aut levissimis conspectis symptomatis, gravissimus tamen morbus existit, ut in quibusdam pestilentiis accidit. Nonnunquam verò vehementissimis & maximis symptomatis apparentibus, morbi tamen salutares reverà sunt, ut quibus naturæ conatu salutares crises accidant. Vnde omnibus perspicuum evadit, non rarò evenire, ut etsi in vigore symptomata sunt vehementiora, morbum tamen in iis qui servari debent magis salutarem ac mitiorem esse: & contrà symptomata si sunt mitiora, morbum tamen exitialem esse. Symptomatum igitur magnitudo vigoris potiùs signum sit oportet, quam morborum malitiæ & vehementiæ.

Declinationis morborũ indicia.

Morborum periodis carẽtium tempora ut dignoscantur.

2. Aph. 30.

Symptomatũ magnitudo, & vehementia nõ semper indicat morbi malitiam.

VIGOR

VIGOR MORBI, MEDICO PRAE *alijs temporibus potißimùm digno- scendus. Cap. VII.*

HActenùs, quo pacto universalia morborum tempora sint cognoscenda medico, & quòd illorum notitia, ad futuram crisin, iudicationemque prænoscendam, sit necessaria, ostendimus. Nunc verò, quòd præ omnibus aliis temporibus vigor potissimùm medico sit præcognoscendus, tribus de causis docebimus. Primò, quòd sine vigoris præcognitione, utrùm iudicium futurum sit nécne, & quùm fit, quale sit, idipsum scire nequeat. Nam quũ futura bona iudicatio, non nisi ex præcedentibus exquisitis materiæ peccantis concoctionibus, præcognosci non possit, & hæc quidẽ non nisi vigoris tempore appareant, consequitur, hunc ipsum vigorem, veluti normam quandam esse iudiciorum, adeoque ut à medico præcognoscatur, summè esse necessarium. Secundò, vigor hoc maximè nomine præcognoscendus venit medico, quia nisi in vigore iudicium morbi obtinuerint, ut in declinatione habeant iidem crisim, fieri nequit. Quicunq; enim morbi vigoris tempus semel præterierint, si certè sine iudicio perseverant. & paulatim solvuntur, nullum prætereà elapso vigore, mortis est periculum: quandoquidem experientia testetur, nullum unquam in declinatione, propriè sic vocata, vi morbi periisse, ut anteà quoque dictum est. Sed magis ratio ipsa. Neque enim accidit, ut simul atque morbosæ causæ iam evictæ ac concoctæ sunt, adeoque natura superaverit, æger moriatur. Quapropter si qui sunt, quos in declinatione interiisse constat experientia, ii certè vel suis ipsorum, vel medicorum erroribus mortui sunt. Tertiò, vigoris tempus medico ideò precognoscendum, quòd, an moriturus sit æger aut non, nemo sciet, nisi vigoris tempus præcognoverit. Tunc enim primùm

Vigor morbi tribus de causis medico cognoscendus.

Nullus unquam in declinatione mortuus.

mori ęgrotantem est necessarium, ubi vires præ morbi violentia succubuerint. Vtrùm verò prius superabitur, scire non potest medicus, si vigoris tempus incertum fuerit. Nam si iudicium intrà unum diem esse debeat, servabitur æger antequàm à morbo vires prosternantur. Si verò antè viginti dies, nequeat advenire iudicium, fieri potest ut interim natura fatigetur, adeò ut tunc ægrotantium, alter quidem servetur, alter ob futuri vigoris tempus moriatur. Quare cùm ex vigoris tempore medicus sciat, nunquid ægri vires sufficiant nécne, non potest etiam conveniens victus ratio, instituí, nisi quales vires ægrotantis sint, præcognoscatur. Neq; enim temerè ab Hippocrate dictum est: Conjicere oportet, nùm ęger possit, cum victu perdurare ad vigorem usque, & nunquid ille prius deficiat, nec cum victu illo perdurare possit, aut morbus antè deficiat, ac retundatur. Duo namque sunt, à quibus potissimùm cibandi consilia petuntur, nempe morbi vigor, & ægri vires. Ratio itaque ipsa docet, medico in nulla penè re sic esse exercitandum ac laborandum, atq; in futuri vigoris præcognitione, quod fusiùs lib. 3. de Iudiciis, cap. 5. Galenus monstrat. Cæterùm, cùm iam sæpenumerò iudiciorum sit facta mentio, ordinis ratio postulare videtur, ut tandem, quid sit iudicium, quot eius differentiæ, quibus notis quùm præsens vel futurum est deprehendatur, & quæ tandem sit dierum Iudicatoriorum natura, & vis, exponamus. Quæ singula in secunda, quæ sequitur, sectione, libri huius quarti, ordine docebimus iam.

1. Aphor.

Duo sunt, à quibus cibandi petuntur consilia.



DE

DE IVDICIIS.

SECTIO II.

QVID IVDICIVM. Cap. I.



VOD Latinis medicis, iudicium vocatur, hoc Græcis κρίσις dicitur, variéque Galeno lib. de Iudiciis, capite primo teste, ab autoribus criseos, & iudicii vox usurpatur. Primò, pro repentina & subita in morbo mutatione. Sic sanè à Gal. lib. 3. Progn. Comm. 1. sect. & aph. 2. Commen. 13. & 23. & lib. 1. Epid. Comm. 3. definitur. Nam in omnibus iam citatis locis, crisim, seu iudiciũ, subitam & præcipitem in morbis mutationem esse tradit, qualemcũq; bonam, malam. Quapropter eas, quæ paulatim fiunt, mutationes, non criseis seu iudicia, sed peculiari nomine λύσεις, hoc est, solutiones Galenus appellare consuevit: unde palàm fit, morbos tãtùm magnos & acutos, iudicio terminari, exiguos autem & diuturnos sine iudicio solvi. Secũdò, iudicium à nonnullis sumitur, pro morbi inclinatione in melius, quæ tamen propriè loquendo non simpliciter iudiciũ, sed cũ adiectione, deficiens iudicium, Gal. lib. 3. de Iudiciis attestãte, dicitur. Tertiò, pro turbatione corporis, quæ excretiones & abscessus antecedit. Nam priusquã morbus per excretiones aut abscessus finiatur, nõ mediocris in ægri corpore fit turbatio, Hic namq; subitò spiritum difficilius trahit, vel delirat, vel caliginẽ, vel splendores ob oculos sibi versari putat, vel lachrymas fundit, vel oculos rubentes habet, vel tẽpora gravia, vel in cervice dolores percipit, atq; interim vel caput dolet, vel nigra quædam oculis offundi conqueritur, vel stomacho laborat, vel inferius labrum quasi tremulum ac intrò contractum obtinet, vel rigore vehementi concutitur. Hanc itaq;

κρίσις.

Iudiciũ variè ab autoribus usurpatur.

Solutiones.

Turbatio excretiones & abscessus antecedens.

turbationem subitam Galen. quoq; lib. 1. de Diebus judicatoriis, cap. 2. crisin judiciúmve vocat. Quartò, crisis, pro omni morbi solutione, sive subitò, sive paulatim eadem fiat, accipitur. Quintò pro solutione illa solùm, quæ ad bonum terminatur. Etsi autem variis modis à veteribus judicii vox est usurpata, Galeno tamen, ut ex cap. ult. lib. 1. de Iudiciis abundè liquet, nō nisi pro subita in morbo mutatione, & multò magis pro ea, quæ hanc antecedit, turbatione, sumitur. Porrò vox κρίσις translata est, eodem Galen. lib. 3. de Iudiciis, cap. 2 teste, in campum medicum, à judiciali foro: ut enim in illo, inter eum qui accusat, & alterum qui accusatur, atrocissima existit pugna, unusq; tandem vincit, alter verò vincitur: sic etiam in judicio morbus, & natura corporis, acerrimè inter se pugnant, ut ægro interea temporis, nihil aliud, quàm illis, qui in judicio de morte aut vita audiunt sententiam, sit expectandum. Non igitur est, ut diximus, judicium, nisi subita ac præceps in morbo vel ad sanitatem, vel ad mortem mutatio: Et fit quidem natura separante à bonis, mala, eademque ad excernendum properante: Quare, ob talem, quæ judicationē præcedit, perturbationem ægri graviter se habent. Interdum autem non solùm subitam, sed & magnam Galenus permutationē crisin vocat, & meritò quidem, quòd non sine certamine, ut lib. 3. de Iudiciis, cap 9. ait, & cum magnis symptomatis, quæ medicum terrent, judicium fiat. Quapropter etsi febris tertiana, magnus morbus ac vehemens non est, tamen quum subitò per vomitum, aut sudorem, aliámve excretionem judicatur, ut nihilominus magna in ea fiat mutatio, necessum est. Siquidem vomitum illum biliosum, nausea, dolor stomachi, ac capitis, pulsus interdum carentia, seu ἀσφυξία animi deliquium, & id genus alia symptomata, gravissima præcedunt. Quod adjiciendum erat propter eos, qui hac etiam in parte, Galenum sugillare, ac flagellare suo more solent.

Vnde vox crisis translata sit.

Criseos propriè sic dictæ definitio.

Quomodo fiat?

Galen. iudicium interdū magnam mutationem vocat.

Tertiana febris magnus ac vehemens morbus est.

DE

DE IVDICII DIFFERENTIIS.

Cap. II.

Absolutum perfectúmve iudicium.

IVdicii, quod jam definivimus, Galen. li. 1. de Diebus judicatoriis teste, multæ sunt differentiæ: Absolutum & perfectum, sive optimum propriè & simpliciter sic dictum judicium, est, quod ex morbo nihil relinquit, adeoque subitò, ab eo, ægrum liberat. Vel brevius, quod morbosum nihil relinquit in corpore, Græcis κρίσις τελεία dicitur. Imperfectum seu deficiens judicium, quod ex morbo quippiam relinquit: vel, ut tertio de Iudiciis definitur, quod effatu dignam in melius mutationem efficit quidem, non tamen integrè morbum solvit. Græcis ἀτελής & ἐλλιπής appellatur. Fidum, firmum, certúmve est, quod nunquam revertitur. Græcis πιστή & βεβαία & ἀσφαλής κρίσις nominatur. Infidum, seu incertum, quod cum morbi recidiva fit. Græci ἄπιστον vocant. Alii fidum definiunt esse, quod naturæ beneficio paratur. Infidum, quod morbi ratione contingit, adeoq; symptomaticum est. Id quod certè in idem recidit. Nam quod naturæ beneficio paratur, & secundum rationem fit, judicium, id nō accidit nisi postquam omnia in animantis corpore, Galeno etiam lib. 3. de Diebus decretoriis attestante, concocta fuerint & superata, ideoque cum copiosa excretione, vel cum insigni abscessu conjunctum. Natura enim, evictis jam, ac concoctis noxiis humoribus, eos discernit, & supervacua excrementa expellit. Quapropter judicium hoc, sine recidiva fit necesse est. Contrà, judicium quod morbi ratione fit, non nisi natura, vel ab aliquo externo, vel ab iis, quæ in ipso corpore detinentur, vehementiùs irritata, & commota accidit. Hoc alio nomine intempestivum vocatur, quòd non congruo tempore, ante vigorem, & nondum concocto, nec dum su-

Imperfectū.

Fidum.
Firmum.
Certum.
Infidum.
Incertum.

perato morbo fiat. Hippocrates, ejuſmodi judicium disruptionem nominat, quòd ſcilicet natura intempeſtivè ad excretionem irritata, ob morbi malignitatem, moveatur, atq; ob opere ſuo diſtrahatur penè, ut lib 3. de Iudiciis Galen. cap. 10. fuſiùs docet. Quocircà natura, hoc modo incitata, crudis adhuc exiſtentibus humoribus, excretiones tentat, adeoque utilia ſimul, cum iis, quæ lædunt, expellit. Quæ quidem excretiones, etſi morbum minuere videantur, tamẽ poſteà violentius morbus inſurgit, & recidiva fit. Vt temerè faciant, qui productas à nobis Galeni definitiones

Periculoſum. ſugillare audent. Periculoſum judicium eſt illud, quod cum vehementibus & graviſſimis ſymptomatis conjunctum. Græcis κινδυνώδης nuncupatur.

Tutum. Securum. Tutum ſecurúmve, quod ſine illis evenit. Græci ἀκίνδυνον appellant.

Manifeſtum. Evidens. Manifeſtum ſive evidens, quod excretione aliqua, aut cum inſigni aliquo & conſpicuo abſceſſu fit. Græcis σαφὴς nominatur.

Obſcurum. Obſcurum, quod citrà excretionem, vel evidentem abſceſſum accidit. Græcis ἀσαφὴς κρίσις nuncupatur.

Indicatum. Indicatum ſive cum bonis indiciis eveniens, quod à contemplatorio die prius eſt oſtenſum. Græci εὔσημον dicunt.

Non indicatum. Non indicatum, quod abſq; ſignis factum eſt, & nullo priore die indicatum, ἄσημον Græci vocant.

Bonum. Malum. Bonum, quod ad ſanitatem deſinit, Græcis ἀγαθὴ κρίσις nominatur. Malũ, quod in ægri perniciem deſinens, ad mortem terminatur, Gręcis κακὴ dicitur.

Salutare. Lethale. Prius ſalutare etiam vocari poſſet, ſicut poſterius pernicioſum, & lethale. Atque hæ ſunt in univerſum omnes judicii differentiæ, quas Hippocrat. lib. 1. Epid. ſect. 3. quaternario complexus eſt numero, ita ſcribens: δεῖ προσέχειν τὸν νοῦν καὶ εἰδέναι ἐν τοῖσι χρόνοισι τούτοις κρισίας ἐσομένας ἐπὶ σωτηρίην, ἢ ὄλεθρον, ἢ ῥοπὰς ἐπὶ τὸ ἄμεινον, ἢ χεῖρον.

Prædictarũ criſeos ſpecierũ, ad pauciores reductio. Animadvertere, ac cognoſcere oportet quæ iis temporibus futura ſint, judicia ad ſalutẽ, aut perniciem, aut mutationes ad melius, vel deterius. Sub primo

primo enim genere absolutum, fidum certúmve & bonum: sub altero malum, perniciosum, & lethale: sub tertio imperfectum, tutum, manifestum, indicatumque: sub quarto incertum, periculosum, obscurum, non indicatum, & malum comprehendit judicium.

QVAE SINT IVDICII BONI, *iam iam instantis notae & indicia.*

Cap. III.

IVdiciorum differentiis expeditis, reliquum est, ut nunc notas, quibus bonum judicium futurũ praecognoscitur, exponamus. Sunt itaque boni judicii jam instantis signa praecipua quatuor. Primum siquidem & omnium maximum, sunt concoctiones, quae in urinis, dejectionibus, & sputis considerantur. 1 Concoctionem autem esse maximum signum, hinc colligit Galen. lib. 3. de Iudiciis, quòd neminem unquam, qui praecedentibus concoctionibus judicatus est, mortuum esse viderit. Caeterùm non est omnibus concoctionis signis in cunctis morbis eadem dignitas. In morbis enim thoracis & pulmonis, sputa potissimùm consideranda sunt. Non oportet tamen hic urinae contemplationem, & egestionum inspectionem negligere. Si verò aeger solùm febricitat, citrà alicujus visceris, verbi gratia, jecoris, lienis, renum, aut vesicae phlegmonem, urinas maximè intueri convenit. Sin ventriculus laboret, alvi dejectionibus primùm, deinde etiam urinis animũ attendere oportet. Numquam enim, si febris, vel ex sola humorum putredine accensa, vel in parte phlegmone obsessa excitata, adfuerit, urinarũ inspectio posthabenda erit. Alterum jam imminentis boni judicii signum fidelissimum est, ut anteà ab aliquo indice contemplatoriòve die illud sit ostensum. Quid au- 2 tem sit index dies, infrà explicabitur fusiùs. Tertium, ut in aliquo die judicatorio fiat. Qui autẽ sint 3

Boni iudicii praecipua signa quatuor.

Sputa in quibus praecipuè morbis cõsideranda.

dies iudicatorii, itidem in sequentibus docebimus.

4 Quartum, ut iudicium fiat per excretionem, morbo competentem. Nam morbi speciem novisse, ad iudicii dignotionem plurimùm conducit. Pro varia namq; morborum specie, alia atq; alia iudicia fiunt, alii naturæ motus, excretiones item omnino diversæ. Competet igitur, si in ardente febre, vel sanguis è naribus plurimus profluat, vel post vehementem vigorem, sudor multus & calidus per universum corpus emanet: aut per vomitum, vel per alvum biliosum æger excernat excrementum. Cùm enim ardens febris nõ fiat nisi ex flava bile intrà vasa putrescente, ut omnes iam dictæ excretiones, per quas vel biliosus sanguis expurgatur, vel biliosa excrementa vacuantur, illi conveniant, necessum est. Pari ratione, & febris tertiana, per vomitum & deiectionem biliosam, & sudores biliosos è toto corpore manantes, iudicari solet. Quotidiana verò febris, utpote non ex bile, sed ex pituita nata, commodissimè per crebras pituitæ vacuationes, & sudores multos è toto corpore excretos iudicatur. Phrenitim sudor bonus, præsertim ubi è capite multus & calidus fluxerit. iudicat, sudante simul etiam reliquo corpore toto. Nõ autẽ abs re diximus Bonus sudor: malus enim si fuerit, phrenitim nõ iudicat. Bonus est, si fit in die iudicatorio, & è capite, tanquam parte laborante, non frigidus, sed calidus, neque paucus, sed multus, ut dictũ est, profluxerit. Accidit autem, ut interdum etiam per narium sanguinis profluvium phrenitis iudicetur, quòd hæc non sit, nisi cerebri, & eius membranarum phlegmone. E sanguine verò procreari phlegmonem, notiùs est, quàm ut multis ostendi debeat. Nihil igitur mirum, si sanguinis excretione è naribus finiatur. Porrò lethargus sanguinis ex naribus profluvio non delectatur. Peripneumonia rarò quoq; per sanguinis narium profluvium iudicatur, crebriùs per alvi deiectionem, aut puris per urinam excretionem finitur. Inter iam dicta mala, nempe ardentem febrem,

Quæ conveniens cuiq; speciei morbi sit excretio.

Ardentis febris.

Febris tertianæ.

Quotidianæ accommodata excretio.

Phrenitidis.

Sudores boni, & iudicatorii qui nam?

Lethargi.

Peripneumoniæ.

brem, phrenitim, lethargum, & peripneumoniam, pleuritis medium obtinet locum Et propterea minùs quàm ardens febris & phrenitis, magis verò quàm lethargus & peripneumonia, profluvio sanguinis finitur. Iecoris verò, lienis, phlegmone, narium sanguinis profluvio abundè iudicatur, quòd scilicet horum viscerum phlegmones, febres quoq; acutæ, quibus hoc genus excretionis familiare est, comitantur. Omnes denique calidæ & acutæ hypochondriorum phlegmones, profluvio sanguinis ex naribus prodeunte communiter iudicantur. Oportet autem tunc sanguinem è directo effluere, ex dextra quidem nare, iecore laborante, atque plerisque iis quæ in dextro hypochondrio sitæ sunt partibus. Ex sinistra verò, liene, & quæ in sinistro sunt hypochondrio, locis laborantibus. Porrò, iecoris pars gibba, phlegmone obsessa, tribus maximè excretionis modis liberátur: nempe profluviis sanguinis è dextra nare; sudoribus bonis; (utpote reliquis etiam phlegmonosis tumoribus communibus) & multis urinis. Cava verò eiusdem pars iudicatur egestionibus biliosis & sudoribus, nonnunquam etiam vomitibus, humoribus scilicet ad ventriculum transmissis; illius affectus tantùm parent. Multò autem magis per urinas expurgari expetunt, quàm gibba iecoris, omnes partes quæ iuxta renes & vesicam sitæ, quippe quæ præcipua urinæ instrumenta, sunt: quemadmodum quæ iuxta thoracem & pulmonem sunt, per sputa, quod nimirum hæc sint loca, per quæ harum partium excrementa commodissimè & communissimè vacuentur. Sudores autem, omnibus febribus, (præsertim ardentibus) sunt proprii. Hinc illud Hippocratis, Sudores febricitantibus, si evenerint tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & decimoquarto, aut quocunque alio in die critico boni sunt. Hi enim sudores morbos iudicant. Iudicant verò etiam quotidianam, & quartanam, accedentibus tamen vomitibus & deiectionibus pituitosis, in illa: atris verò &

Pleuritidis.

Iecoris lienisve phlegmone.

Sanguinem per rectitudinē effluere oportet.

Sudores omnibus febribus sunt proprij.

4. Aph. 36.

Iudicātur per sudores etiā quartana &

quotidianæ febres, sed rariùs.

variis excretionibus in hac ipsa. Semitertianas autem iudicant deiectiones, per quas biliosa & pituitosa vacuantur. Lethargos verò, & omnia capitis vitia, parotides multoties iudicant. Nam impetus totius mali, ad glandulas illas, quæ auribus adiacent, utpote spongiosas raráſve, & ad ſuſcipienda ſupervacua habiles, convertitur. Alii materiarum ad extrema decubitus quoq; omnes, diuturnas febres iudicare cōſueverunt. Ceterùm ut rectiùs, an iudicii modus præſens morbo conveniat, intelligamus, præter hæc quę dicta ſunt, ægrotantis quoq; ætas, & natura, nec non pręcedens victus ratio, locusq; in quo æger degit, itē tempus anni, & præſens temporis conſtitutio, conſideranda erunt. Si enim perinde atq; morbus eſt biliosus, hæc etiam ſingula biliosa fuerint, bilem in iudicationibus expurgari oportet: quemadmodum ubi pituitosa fuerint, pituitā vacuari eſt neceſſe. Variis autem humoribus in corpore abundantibus, variam quoq; eſſe excretionem hinc ſequitur. Cùm verò hęc univerſa medico fuerint explorata & cognita, tūc ex eventu reliqua aſſequētur. Si enim æger, qui iudicatus eſt, à febre, aliisq; ſymptomatis liberatus fuerit, & melluſculè pro vacuationis ratione fuerit coloratus, cum melioribus quàm anteà pulſibus, & ad ſurgendum robore, haud dubiè optimum & perfectiſſimū iudicium fuit. Si verò ex iam dictis aliquid & plura deſit, tantum ab optimo deficit, quanta eius quod deeſt vis & potentia fuerit.

Alia iudicationis modū demonſtrantia ſigna.

FVTVRVM IVDICIVM, QVIbus notis præcognoſcendum.

Cap. IV.

Iudicium futurum quatuor prænoſcitur modis.

HActenùs quomodo ſit præcognoſcendū iam imminens iudicium oſtendimus: nunc igitur, qua ratione id, quod futurum eſt, præcognoſci poſſit iudiciū, breviter exponemus. Quatuor autē modis principaliorib. idipſum dignoſcitur. Primò, ex morbi

morbi natura, considerando scilicet núm hæc biliosa, aut pituitosa, aut melancholica, aut ex iis permista fuerit. Si enim biliosior ac calidior fuerit, tantò velocius movebitur morbus, adeoq; celerrimè iudicabitur. Contrà, si frigidior fuerit, tardius movebitur, & iudicabitur. Secundò, ex anni tempore, ægrotantis temperamento, & ætate, regione, præsentis temporis constitutione, victu præcedente, & id genus aliis. Hęc enim si ad calidius declinaverint, morbum eò citiùs iudicatū iri, sicuti cōtrà, ubi ad frigidius tetenderint, tardius ostēdent. Tertiò, ex accessionum circuitibus, sive ii tertio quo vis die, aut quarto, aut singulis diebus, aut nunquam fiant, veluti in cōtinentibus febribus evenit. Siquidem hæ unicam duntaxat accessionem habent, ab initio ad finem perpetuò durantem. Si enim festinaverint, ac semper consuetam anticipaverint anteverterintve horam, aut multò vehementius solitò infestaverint, & per tertium occursarint, citò iudicium subsecuturum, denuntiant. Si verò lentè moveantur, atq; eadem invadant hora, ac singulis diebus revertantur & affligant, tardiùs futurum morbi iudicium, ostēdent. Quartò, quod pręcipuum certè est, ex concoctionibus ipsis. Si enim in diebus indicibus apparuerint, tunc ægrum, sequenti iudicatorio die proximo à morbo liberatū iri denunciabunt: iuxta illud Hippoc. 2.a.

2

3

4

OPTIMI IVDICII COGNITIO EST *certa, mali verò contrà incerta. Cap. V.*

Optimum iudicium, quod solùm simpliciter & absoluto sermone verissimè, & propriissimè iudicium dicitur, (ut comprehēsum est,) non coniectura artificiosa, quemadmodum reliqua, sed certa firmaq; cognitione obtinetur. In huiusmodi enim morbis, statim ab initio, omnia signa periculo vacant, ac securitatem medico pollicentur. Cùm itaq; omnino secura fuerint signa, in primo quaternario futurū iudicium nuntiabunt Quod Hippocrates

Optimum iudicium certò prænoscitur.

3. prognoſt. in prognoſticis, iis innuere verbis voluit, inquiens: ,, Mitiſſimæ febres, & quæ cum ſecuriſſimis ſignis fi- ,, unt, quarto die finiuntur, vel prius. Neque enim fieri poteſt, ut febris quæ ſigna omnia ſecuriſſima habet, non primo quaternario ferè finiatur. Quòd ſi verò hæc, à maximè ſalubribus ac ſecuriſſimis ſignis, parũ declinaverint, huiusmodi febres; ſeptimam nõ tranſcendent diem. Accedit, quod in bonis iudiciis, natura valida admodum & robuſta, materię noxiæ dominatur, propria ratione agit, atque ſuo modulo operatur, neque ullo caſu interturbatur. Proinde ut tum definiti ac ordinati ſunt eius motus, ita prænotiones etiam de iis motibus certæ ac ſecuræ ſint oportet. Contrà malorum iudiciorum prænotiones minus certæ ac ſtabiles ſunt. Siquidem in iis natura eſt imbecilla, & à noxia materia vincitur, adeoq; motus eius ſunt incerti, & inordinati, atque incogniti. Quapropter prudente artifice, & exercitato medico, mala iudicia indigent, qui ſciat primùm nunquid futura ſint: ſecundo, quo die: & tertio, utrum confeſtim ægrotantem interficiant, an duntaxat eidem noceant. Quapropter cum in bonis iudiciis multum ſcientiæ ac certitudinis ſit, contrà in malis, plurimum coniecturæ & incertitudinis, prius exercitari in optimorum iudiciorum prænotione medicum oportet, deinde in eorum, quæ etſi non ſunt optima, bona tamen exiſtunt, atque tandem ad malorum prænotionem progrediendum erit. Cæterùm optima iudicia, in vigore morbi, in augmento autem, ſi ſalus ſit ſubſecutura, aut imperfecta, vel nõ ſecura, fiunt iudicia. Neq; temerè dictum eſt, Si ſalus ſit ſubſecutura: in exitialibus enim morbis, magna ex parte ægri in augmento, vel in principio moriuntur. Si igitur dies aliqua index, futurum eſſe iudicium præoſtendat, ſimul etiam malum fore oſtendet. Fac enim quarta die viſam eſſe primùm in urina nebulam nigram, aut ſublimamentum nigrum, aut aliquid aliud huiuſmodi viſum: ſint verò & alia omnia ſigna ac ſympto-

Iudicij mali cognitio incerta & inſtabilis, qualẽ requirat medicum.

In optimorũ iudiciorum præcognitione primùm exercitandũ.

Optima iudicia quando fiant.

Mala.

symptomata perniciosa, morietur quidem omninò ægrotus ille, eo quòd singula iam commemorata perniciem portendant, ut ex sectione tertia, ubi de Vrinis agetur, patebit. Verùm si in imparibus diebus accessiones fiant, septimo die malum iudiciū futurum est: si verò in paribus, sexto. Certiorem verò expectationem faciet tibi, morbi motus. Si enim celeriter moveatur, iudicium accelerans fore contestabitur, hoc est, sexto die futurum esse iudicium significabit. Sin tardè moveatur, ad septimum diem differetur iudicium. Quùm verò index dies, nullum mali iudicii futuri signum dederit, eius quoque prænotio difficilis erit.

Imminentis mortis signa.

QVAE OSTENDANT, QVEM FInem sit habiturus morbus.

Cap. VI.

NVmquid æger servabitur, ex morbo, aut morietur, è tribus potissimùm rebus dignosci ferè potest, nempe ex specie, magnitudine, & more morbi. Ex specie, dum consideramus nùm salutaris sit morbus, adeoq; à natura, vel arte vinci possit: aut letalis, qui naturæ vires, & artis præsidia superet & contemnat. Sic è diaria febre, tertiana intermittente, aliisque omnibus eius generis febribus, quòd salutares sint morbi, ægros servari facile, est præsagiri, præcognoscere. Contrà, mori, ex vehemēti apoplexia, hydrope, peripneumonia, phrenitide, & id gen⁹ aliis morbis, quòd suapte natura letales sint, affectus dictu facillimum. Species autem morbi quælibet ex iis cognoscetur symptomatis, quæ propriam cuiusq; naturam complent. Verbi gratia, pleuritis ex dolore lateris pungente, spirandi difficultate. tussi, pulsuque duro & serratili, ac febri, quæ tamen illi est cum cæteris phlegmonibus communis, deprehenditur. Quare qui speciem morbi è propriis, ut

Exitus morbi è trib. cognoscitur.

Ex specie morbi.

Species morbi unde cognoscatur.

Signa pleuritidis diagnostica.

iam pleuritidis exemplo monstratum est, symptomatis cognovit, is facilè iudicabit, nùm hominem extinguet, vel potiùs propelletur. Ex magnitudine seu vehementia symptomatum, etiam exitus morbi dignosci potest. Nam etsi interdum morbus suapte natura salutaris est, tamen ubi insignem magnitudinem assumit, letalis fit. Sic vulnera, quæ tamen suapte natura salutaria sunt, propter magnitudinem fiunt letalia. Quod de vulneribus diximus, id ad reliquos etiam morbos propemodum omnes transferri potest, ut qui ob vehementiam ac insignem magnitudinem, letales evadant. Cognoscitur autem hæc ipsa, è multitudine & vehementia propriorum symptomatum.

Ex magnitudine.

E morbi more quoq;, num æger servabitur, aut morietur, cognosci potest. Morem autem sive modum, ἦθος enim & τρόπος Græcis dicitur, nō vocamus nisi essentiam, aut differentiam morbi, prout scilicet mitis placidúsve aut malignus est: vel in summa, qualisnam futurus sit. Atq; mos utique morbi plurimùm momenti habet in prædicendo morbi exitu. Hinc si quis cancro, præsertim in mēbro nobili, laboret, quòd sit malignus morbus, lethalē esse affectum hūc rectè vereq; dicimus. Pari ratione elephantiasim, phagedænam, telephiaq; ulcera, mortem afferre propter suam malitiam pronuntiamus. Quid multa? morbi maligni ferè omnes vitā adimunt, nisi eam partium ignobilitas, naturaliumq; facultatum robur, tueatur.

Ex more morbi.
Mos quid.

NVM IVDICABITVR MORbus, aut non, unde cognoscendum. Cap. VII.

NVnquid per iudicium, aut sine iudicio morbus finiatur, quinq; è rebus maximè cognoscitur, nempe ex motu, magnitudine, & specie morbi, anni tempore, & aliis quæ eiusdem sunt ordinis, & huic cognata, veluti regio, ætas, victus antecedens, & huiusmodi, atq; ex iis etiam quæ morbo succedunt.

Iudicium morbos consequuturos unde sciatur.

succedunt. Ex motu utiq; morbi, quòd vel tertio, vel quarto, vel quinto fiet, iudicium sperari potest. Si enim is celeriter moveatur, tertio: si verò quodammodo tardius, quinto. Si continens fuerit febris, in quarto. Habet enim unam accessionẽ, quæ ad quartum, magna ex parte, diem protẽditur. Motus celeritatem adiuvat magnitudo, adeò ut si magnus fuerit morbus, & plurimùm afflixerit ægrum, per iudicium finietur. Sin exiguus, solutione. Item anni tempus calidũ, ætas, regio, & alia quęcunq; natura biliosa iudicium adipiscitur. Tarditatẽ autem motus contraria, anni nimirũ tempus frigidum, ætas, regio, natura, & victus ratio præcedens frigida, iuvant. Verbi gratia, si æstas fuerit, & laborans ætate adolescens, natura calidior, & usus sit inedia, labore, cibis & potib. biliosis, tunc omnia hæc iuvabunt, ut tertio die iudiciũ fiat: præsertim si pręgressa temporis cõstitutio, & regio in qua ægrotat, natura fuerint calidiores. Quòd si verò omnia cõtraria fuerint, & motus morbi tardior, neq; magnitudo morbi effatu digna, hybernum tempus, æger autem natura biliosus, aut ætate declinans, in quinti diei accessionem perventurum esse iudicium sperabis: idq; magis, si etiam regio frigida & humida fuerit, & temporis præsens constitutio similis, & iudicia, quæ passim fiunt, in quintum inciderint diem, & alia, otium scilicet, satietas, & victus præcedens pituitosus, accesserint, ut fusiùs lib. 3. de Iudiciis, cap. 4. Galen. docet. Ex morbi præterea specie. Quippe cum iudicium nõ sit nisi repentina, (ut comprehensum est iam multoties) mutatio, acutis tantùm cõveniat morbis necesse est. Non iudicantur igitur, nisi acuti morbi. Diuturni autem sensim & paulatim, non repentè ac subitò mutantur. Postremo, ex iis quæ morbo succedunt signis, non quidem omnibus, sed iis tantùm, quæ cum iudicio iam incipiente invadunt, aut parùm ipsum antevertunt, & propriè iudicatoria signa vocantur. Si enim illa appareant, necesse est morbum illum iudicari, & in propinquo esse iudicium.

Ex motu.

Magnitudine.

Anni tempore.

Exemplis res declaratur uberiùs.

Specie morbi.

Acuti tantùm morbi iudicantur.

Ex iis quæ morbo succedunt.

NVM PER EXCRETIONEM, aut abscessum futurum sit iudicium, ut cognoscendum. Cap. VIII.

Quale iudicium futurũ sit, quomodo dignoscendũ.

CVM ex iis, quæ dicta sunt, quòd iudicium futurum sit medicus prænoverit, deinceps quale hoc erit, hoc est, núm per excretionem, aut abscessum, sive per translationem humoris, ex una parte, in aliam fiat; hoc modo dignoscendum erit. Primùm quidem, si acutus & calidus est morbus, & iudicium fit in primis circuitibus, necesse est, ut tale iudicium non per abscessum, sed potiùs per excretionem fiat. Morbus enim calidus, & concoctu facilis, ut lib. 2. Prognost. testis est Galenus, eò quòd ex calidioribus ac tenuioribus, adeoq; ad excretionem paratissimis constet humoribus, per excretionem meritò iudicatur plerumq;. Facilè enim eiusmodi humores expelluntur, & vias per quas extra corpus ferantur, inveniunt semper patentes. Si verò diuturnus, ac tardus fuerit morbus, id est, concoctu difficilis, & ex crassiore, frigidioreq; humore, qui nec vinci, nec expelli facilè possit, per abscessum iudicabitur, quòd scilicet ad excretionem humor ille sit ineptus. Id quod tum maximè accidit, quùm æger plurimo tempore, (Hippocrate loco paulò antè ostenso attestante,) tenuem & crudam urinam minxerit. Docent idipsum quartanæ, & quotidianæ febres, & nonnunquam etiam tertiana spuria, quæ, decumbente ad pedes humore, per abscessum finiuntur. Si autem urina multam & bonã, hoc est, albam, levem, & æqualem, subsidentiam habuerit, adeoq; tenuis haùd fuerit, sed crassa, consentaneum est morbum paulatim coctum iri ac solvi, & minimè per abscessum finiri. Quod Hippocratis testimonio, confirmatur, qui in Aphorismis ita scriptum reliquit: Quibus spes est ad articulum futurũ abscessum, liberat ab abscessu urina multa,

Morbi species.

Comm 34.

Abscessus futuri signũ pathognomonicum.

4. Apho 47

ta,

ta, crassa, & alba exiens. Cæterùm iis ita definitis, deinceps considerandum, si per excretionem morbus iudicabitur, nunquid profluvium sanguinis narium, vel vomitus, vel sudor, vel deiectio futura sit. Si verò per abscessum, qualis particula, vel quis articulus abscessum illum excepturus sit. In iis quidem morbis, qui per excretionem iudicabuntur, bifariàm de excretione quę futura est distinguere ac definire oportet: nēpe ex propriis futuræ excretionis signis, si modò adfuerint: & ex aliarum excretionum notis, si propriæ non adsint. Certius namq; sperabis eum, qui semper à suis præostenditur signis, & characteribus iudicii modum, ubi nullus aliorum excretionum modorum, te in diversam distraxerit opinionem. Futuræ verò excretionis certissimū indicium est rigor. Cùm enim is expultricis facultatis validus sit motus, ut eo excitato, aliquæ subsequentur excretiones.

Rigor futuræ excretionis nota.

QVAE PROPRIA SINT VNIVSCUIUSQ; EXCRETIONIS SIGNA.

Cap. IX.

CVM hactenùs quæ in universum omnium excretionum sint indicia ostenderimus, reliquum nunc est, ut proprias uniuscuiusq; excretionis notas, à sanguinis ex naribus profluvio exorsi, recenseamus. Primū igitur profluvii sanguinis è naribus instantis signa, sunt splendores antè oculos obversantes. Hi enim propter humorem profluxurum, qui flavus est, excitantur. Flavus enim color ad splendidum vergit, ut lib. 1 de Iudiciis, cap. 12. fusiùs monstrat Gal. Alterū imminentis hæmorrhagiæ est, oculorū hebetudo, quòd humor multus, sursum elatus, spiritus opticos, poros obturet, adeoq; visus hebetudinem conciliet. Tertiúm, oculi illachryman tes, propter fluxionis copiam. Quartum oculi rubicundi. Quintum, malæ rubicundæ. Sextum, nares

Profluvii sanguinis nariū nota.

1. Splendores oculis obversantes.

2. Oculorum hebetudo.

3.4. Oculi lachrymantes & rubicūdi.

5.6. Malæ &

nares rubicundæ. rubræ. Siquidem hæc omnia, humorum ad caput, partesq; iam dictas, motum & inclinationem denũciant. Septimum, hypochondriorum sine dolore facta tensio. Hæc enim haud exiguum est sanguinis ad superiora vergentis indicium. Non autem abs re dictum est, Sine dolore. Tensio enim hypochondrii cum dolore coniuncta non profluvii sanguinis, sed phlegmones potiùs ibidem excitatę indicium est certissimum est. Octavum, spirandi difficultas, quòd sanguinem sursum per thoracem ferri monstret. Nonum, dolor capitis, non quidem omnis, sed qui gravis est, distendit, pulsat, & calefacit. Hic enim sanguinis ad caput confluentis copiam portendit, utpote quæ gravet, idipsum distendat multitudine sua, qualitate autem pulset ac calefaciat. Decimum, viscerum in hypochondriis sitorum phlegmones. Hę verò non solùm signa, sed & simul causæ sunt, ubi scilicet per excretionem morbus iudicetur. Causæ quidem sunt, quòd sanguinem sursum tendentem suppeditent. Signa, quòd hæ, plerumque per sanguinis e naribus eruptionem iudicentur. Quòd si ad hæc nares pruriant, iam statim sanguis erumpet, præsertim ubi vehementior circà faciem & tempora dolor adfuerit. Et si sano quoque fluere consuevit, iam spem propemodum certam concipere oportet. Præter hæc omnia ætas florens, anni tempus, ver nimirum, & æstas, regio temperata, aut calida, ægrotantis natura similis, futurum sanguinis profluvium produnt. Vomitus autem futuri signa sunt eiusmodi: Primum, cordis sive oris ventriculi (hoc enim prisci cor, ut alibi ostendimus, nominarunt) morsus, ac suctio. Nam biliosus ac mordax humor, os ventriculi mordendo infestat, ideoque hunc natura per vomitum rejicit. Alterum signum est, capitis dolor, qui partim propter consensum, qui est cerebro per nervos magnos & insignes cum ventriculo, partim etiam ob biliosi humoris exhalationem, nascitur. Tertium est vertigo, quæ itidem propter biliosorum humorum & vaporum, ad cerebrum exhalationẽ oritur. Quar-

Marginal notes:

7. Hypochondriorum sine dolore tensio.

8. Difficultas spirandi.

9. Dolor capitis.

10. Viscerum phlegmone, hæmorrhagiarum causæ sunt, & signa.

11. Nares prurientes.

12. 13. 14. 15.

Vomitus indicia.

1. Cordis morsus.

2. Capitis dolor.

3. Vertigo.

4. Tenebrosa

tum, tenebrosa & atra oculis obversantia: flava nāq; bilis pleniùs calefacta, ac vehemēter assata, atram exhalationē ceu fumum quēdam exhalat, quæ ad oculos translata, turbūlentiorem reddit in eis humorem natura purum ac splendidum. Hac igitur exhalatione sentiens, à cerebro ad oculos permeans, visorius spiritus perturbatus, perinde atque per suffusiones, tenebricosorum atrorúmve visa efficit. Quintum est labii inferioris agitatio, quæ accidit, propterea quòd bilis flava internam ventriculi tunicam mordicans, intrò gulam totam, & ad inferna convellat. Constat enim ex dissectione anatomica, unam esse omnem hanc tunicam universam continuam per omnia sibi, & toti ventriculo, gulæ, linguæ, palato, & ori substratam. Hæc igitur est, quæ labia agitat ac commovet, quoties ab acriore bile collecta, in ore ventriculi, gula mordetur ac convellitur. Sextum est, quòd saliva multa & tenuis per os defluat. Bilis enim præ sua levitate in superficie fluitat, eamque ob causam ad gulam ascendit, & os, fundumq; ventriculi, eiusq; cavitatem relinquens: ut mirum non sit, si tum crebrò saliva tenuis & plurima ex ore profluat. Num verò per sudorem, aut urinæ excretionem morbus iudicetur, ita dignoscendum erit. Vbi iudicio imminente, urina, præter rationem supprimitur, vigorem initio iudicatorium, expectare oportet. Quod Hippocrates iis cōfirmat verbis: Ante vigorem urinæ suppressiones accidunt. Quòd si itaq; ex iam dictis signis, sciamus, vigorem esse iudicatorium, definiendū subinde erit, qualis ipsum secutura sit excretio, sudor nimirum, aut vomitus, aut alvi deiectio, aut horum aliqua, aut omnia. Si enim urina, & alvo suppressis, rigore eger correptus est, sudor multus necessariò consequetur. Nam cum serosæ humiditatis in corpore collectę tria sint vacuationis loca, quia vel per urinam, vel per alvum, vel per sudorem vacuatur: ut duobus prioribus locis suppressis, per tertium, nempe sudorem, copiosè admodum vacuetur materia morbida necesse est.

4. Tenebrosa oculis obversantia.

5. Labii inferioris agitatio.

6. Saliva multa & tenuis.

Vrinarum profluvii imminentis signa.

6. *Epidem. sect.* 1. *Aphor.* 9.

Sudoris signa.

Si verò sola urina, ante vigorem suppressa fuerit, cōsiderandum tum erit, nunquid ante iudicium plura alvi excremēta, aut pauciora prodierint. Si enim multò magis quàm antea consuevit fieri, alvus excreverit, vigor expectandus non erit, sed cognoscere oportet, inclinationem serosi humoris ad alvum factam esse, adeoque universum hunc humorem, naturam per alvum excrevisse, ut mirum non sit supervacuis omnibus per alvum eiectis, retentam esse urinam. Sin pauciora per alvum excreta sunt, inclinationem serosi humoris ad sudoris loca, ipsamque adeò cutem factam esse, conjiciendum erit, ideoq; iudicatorium vigorem tunc sudor subsequitur. Quòd si vomitus etiam signa, quę paulò antè recensuimus, adfuerint, per ambas excretiones, hoc est, sudorem & vomitum, simul æger iudicabitur Et magis utiq; per earū alterā, cuius indicia magis prævaluerint. Verbi gratia, per vomitum magis, si illius indicia, sudoris signis prevaluerint. Per utramque æquè, si notæ harum æquales quodammodo apparuerint. Si autem vomitus indicia haud adfuerint, tunc post vigorem expectare tantùm sudores oportet: præsertim si ægrotantes, increscente accessione, vaporib. sursum elatis deliraverint: exterioresque corporis partes calidiores ac rubicundiores fuerint. Tunc enim humorum, ad eas partes fieri inclinationem ac motum certò monstrabunt, & multò quidem certiùs, si vapor quidam calidus, qui antè non aderat, per eas partes exhalet. Siquidem is vapor subsequentis sudoris quasi certus quidam internuntius esse solet. Quòd si verò pulsus etiam undosus fuerit, & insigniter mollis, adhuc magis sudores expectandi sunt. Quid autem pulsus undosus, & mollis sit, suo monstrabimus loco. Nihil autem mirū, undosum pulsum, cùm non nisi propter humorū copiam fiat, quemadmodum etiam mollis, sudoris, esse certum nuntiū. Porrò, si humorum ad interiora motus & inclinatio prævaluerit, núllaque vomitus signa adfuerint, per alvi deiectionē æger iudicabitur. Si verò

Serosi humoris ad alvum inclinatio quando fit.

Vomitus signa.

Vndosi pulsus causæ.

Deiectionis alvi signa.

rò vomitus etiã signa adfuerint, & venter insigniter excreverit, tàm per vomitũ, quàm per deiectionẽ iudicabitur morbus. Quapropter eius, quæ per alvum fit, excretionis, nec manifesta, nec propria signa existunt: sed ex eo quòd iudicii quidem adsunt indicia, desunt autem vomitus, profluvii sanguinis narium, & sudoris, colligere licebit. Observandum prætereà, an plura egerantur, quàm ante iudicationem excerni consueverint. Sic enim significatur illac potiùs impetum fore humoris morbidi, detenta præsertim urina. Quanquam autem nullum horum signorum adest, potest tamen non solùm per alvi deiectionem, sed & per hæmorrhoides, & in mulieribus per menses fieri morborum iudicium. Non est autem difficile, præsertim in mulieribus, definire utrùm per menses, aut alvi deiectionem iudicium sit futurum. Si enim insignis lumborum gravitas, & tensio, & dolor fuerit, certum est humorum inclinationem ad uterum esse, ideoq; tum iudicium per menses, & minimè per alvi deiectionem fiet. Quibus hæmorrhoides promanare certis & statis consueverunt temporibus, in iis non ita facilè est distinguere, nùm per alvi deiectionẽ, aut hemorrhoides iudicium fiat, quòd scilicet per eundẽ locum, utraq; excretio prodeat, adeoq; in ambabus, humorum motus ad anum fiat. Aliis autẽ omnibus, quibus per consuetudinem hæmorrhoides non profluunt, ubi concoctionis & excretionis notæ adfuerint, vomitus verò, vel profluvii sanguinis nariũ, vel sudoris defuerint signa, per ventris deiectionem omninò futurum est iudiciũ. Num verò ad abscessum convertatur morbus, ex duplici signorum genere, cõmunibus nimirum & propriis, cognosci potest. Cõmunia autem vocamus, quæ in quavis promiscuè parte futurum abscessum ostendunt, quæ quidem triplicia sunt. Primum, si æger salubriter se habet. 1
Secundum, si sensim & paulatim non solvitur morbus. 2
Tertium, si urina neque multa, neque multam subsidentiam habens, sed cruda ac tenuis mingatur. 3

Alvi deiectionis nulla sunt propria signa.

Mensiũ imminentium indicia.

Hæmorrhoidum fluxus prognostica.

Abscessuum notæ.

Communia signa quæ.

2. Progn. 34. Cuius rei testis est Hippocrates, qui in Prognosticis
,, ita scriptum reliquit: Qui tenuem ac crudam, multo
,, tempore mingunt urinam, siquidem alia ipsis salu-
,, bria signa adsint, iis abscessum ad loca, quæ sub hy-
Propria. pochondriis sunt, expectare oportet. Propria verò
abscessuũ futurorum appellamus, quæ abscessum ad
Dyspnea. certam aliquam partem futurum esse denunciãt, quæ
1 quidem quatuor sunt numero. Primum, spirandi difficultas celeriter incipiens, mox autem rursus desinens, quæ humores quidem sursum versus tendere, adeoq; abscessum in supernis sedibus erupturum denunciat.
2. 3 Secundum, capitis dolor & gravitas. Tertium, coma, & gravis sopor.
4 Quartum, surditas. Hęc enim omnia humorum motum ad superiora significant, & in glãdulis post aures: ad has enim cerebrum suas plerumque deponit superfluitates, futurum abscessum demonstrant. Si verò morbus diuturnus fuerit, neq; ullum ex iam dictis quatuor signis apparuerit, sed gravitas, vel tensio, vel inflammatio, vel dolor, in infernis corporis partibus fuerit, motum humorũ deorsum fieri, adeoque in illis partibus futurum abscessum nunciabunt certissimè.

Caphalalgia. Sopor p.n. Surditas.

DE DIEBVS DECRETORIIS.
Cap. X.

CVm iam abundè, quid iudicium, ac qua ratione illud prænoscendum, qualeq; futurum sit, ostenderimus, reliquum est, ut quo die illud sit expectandum, etiam explicemus. Quod ut prẹstemus, dierum tùm indicum vocatorum, tùm decretoriorum, de Hipp. & Galeni sententia rationẽ & naturã exponamus necesse est. Hippocrates igitur & Galenus decretorios dies ideo nominarunt; quòd in iis quid de morbo futurũ sit decernatur, inq; iis morbus plerumq; iudicetur. Ex usu autẽ & experientia, quod etiam Galenus constãtissimè affirmat, horum dierum

Decretorii dies quid, & qui.

ratio,

ratio, ab Hippocrate inventa est. Diuturna namq; observatione, ut ex Epidemiorum libris constat, certis quibusdam diebus, adversus morbum insurgere naturā in confesso est. Ex iam dicta igitur observatione Hippocrates tres esse statuit septimanas, quarum duę priores à se invicem sunt seiunctæ, ac separatæ, tertia contrà cum secunda cohæret, & cōiuncta est: ita quidē, ut postrema secundę septimanę dies, tertiæ quoq; initiū existat, adeoq; instar duarū priorū septimanarū integra nō est, sed ut integros habeat septē dies (ut infrà fusiùs dicemus,) sexta maximè diei parte indiget. Quamobrem tres septimanæ non unū & viginti dies integros, sed minus, ferè unius tota dimidia parte, consequuntur. Atq; hæc septimanarum ratio perpetuò ita est observāda, ut semper tertia septimana, sed duntaxat integros obtineat dies. Necessarium enim est, ut prima septimana seiuncta sit, à secunda, secunda contrà cum tertia cohæreat. Si enim prima cum secunda coniungeretur, κρίσις iudiciúmve in decimumnonum: si rursus omnes inter se disiunctæ essent, in vigesimumprimum incideret. Hanc verò esse septimanarum rationem ac ordinem, Hipp. iis verbis in Aph. disertè docet: Quartus, inquit, dies septenorum est index. Octavus, alterius septimanæ principium, existit. Est verò & undecimus contemplabilis, ipse enim quartus est alterius septimanæ dies. Contemplabilis rursus decimusseptimus, quippe quartus est à quarto decimo, septimus verò ab 11. E quibus sanè verbis perspicuum fit, primam septimanam, diem quartum in duo æqua partiri spatia, ac ostendere quid in septimo futurum sit. Patet itidem, quòd alteram septimanam, quæ perinde atque prima integra est, & cuius initium dies octavus existit, undecimus in duo æqua dividat, & quid in decimoquarto futurum sit monstret: Siquidem quartus est alterius septimanæ, adeoque ita se habet ad postremum secundę septimanę diem, qui est decimusquartus, ut quartus ad ultimam

Usu, & experientia adinventi.

Septimanarum in iudiciis morborū ratio.

Septimanæ tres non sunt integræ.

2. Aph. 24.

Hippocratis aphorismus dierum criticorum rationem tradens explicatur fusiùs.

primæ ſeptimanæ diem ſeptimum. Palàm deniq; fit ex citata Hippocratis ſententia, tertiam ſeptimanam ſex tantùm integros, (ut comprehenſum eſt,) dies, à prioris ſeptimanæ diebus diductos, & ſeparatos, habere. Quare non eſt per ſe integra, ſed ſecundæ, ut diximus, ſeptimanæ copulanda erit: idque niſi faciam⁹, per quaternarios, ut priores, digeri nequit. Quod innuere volens Hippocrates dixit: Contemplabilis rurſus decimusſeptimus, quippe quartus eſt à quartodecimo. Nam quum inquit decimumſeptimum diem, quartum eſſe à quartodecimo, palàm fit omnibus, poſtremum ſecundæ ſeptimanæ diem eſſe tertiæ initium. Vt igitur in prima ſeptimana, dies quartus index eſt ſeptimi, & in altera ſeptimana undecimus decimiquarti: ita decimusſeptimus, qui eſt quartus à decimoquarto, index erit vigeſimi, qui tertiæ ſeptimanæ ultimus eſt dies. Etſi itaque Hippocrates manifeſtis verbis vigeſimi diei nullam fecit mentionem: tamen tacitè hunc ipſum eſſe judicatorium inſinuat, quum à decimoſeptimo illum indicari ait. Ad hunc igitur modum in quaterniones Hippocrates primus, & poſt illum Galenus lib. 3 prog. Comm. 1. & in libris de Diebus decretoriis ſingulas ſeptimanas digeſſit. Quaterniones autem illos ſeu quaternarios ſua lingua ἐπιδήλους & θεωρητάς, hoc eſt, indices, & contemplabiles nominaverút, quòd ſcilicet dies decretorios judicatorióſve indicent: & quòd in iis, qualis illi futuri ſint, medicus contemplari atque ſcire poſſit. Cæterùm ut ſtudioſi intelligant, qua ratione cæteri indices & decretorii dies, uſque ad centeſimum digeri queant, ſchema quod ſubjiciemus intueantur oportet, in quo ſeptimanarum, quaternionum, indicum, & decretoriorum ordinem, uſq; ad cēteſimum diem perſpicuè expreſſimus. Ex eo enim deprehendent, quartum diem ab initio morbi computando, finem eſſe primi quaternarii, initium verò ſecundi. Octavus autem tertii quaternarii initium eſt, qui tandem undecimo die finitur. Is quarti quaternarii initium eſt,

Vigeſimus dies reverâ judicatorius.

Quaternariorum nomina.

ἐπίδηλοι.

θεωρηταί.

Indices.

Contemplabiles qui, quales, & cur ſic dicti.

eſt, cujus finis decimusquartus eſt. Quintus quaternarius à quartodecimo inchoatur die, ejusque finis decimusſeptimus eſt. Qui itidem ſexti quaternarii initium exiſtit, cujus certè finis vigeſimus eſt dies. Conſtat igitur vigeſimum diem tertii ſeptenarii, & ſexti quaternarii noviſſimum eſſe. Sextæ autem ſeptimanæ quadrageſimum, nonæ ſexageſimum, duodecimæ octogeſimum, & decimæquintæ centeſimum. Qui volet, ſimili ordine ad ducenteſimum usq; progredi poterit. Nobis hîc ſubſiſtere placuit.

Schema ſeptimanarum, quaternionum, & dierum indicatoriorum partium luculenter complectens.

Septimanæ tres.

Prima.		*Secunda.*		*Tertia.*	
IIII.	III.	IIII.	III.	III.	III.
4		5		6	
7		8		9	
10		11		12	
13		14		15	

Quaternarii.

1	2	3	4	5	6
7	8	9	10	11	12
13	14	15	16	17	18
19	20	21	22	23	24
25	26	27	28	29	30

	Indices.	Decretorii.	Indices.	Decretorii.	Indices.	Decretorii.
	4	7	11	14	17	20
	24	27	31	34	37	40
Dies	44	47	51	54	57	60
	64	67	71	74	77	80
	84	87	91	94	97	100

Iudiciū turbantia.

Cæterùm acuti morbi omnes, intrà quadragesimum diem judicantur. Qui verò quadragesimum excedunt morbi, omnes sunt diuturni ac chronici. Iam itaque dictis in diebus judicatoriis judicantur morbi, quidquam externum, vel nisi internum intervenerit, quod naturam vel concitat ocyus solitò, vel in suis motibus impedit.

Externa.

Externa sunt, medicus, ægrotus, famuli, domus, vicinia, incendium, venti, tonitrua, in victu commissi errores, & alia id genus non pauca.

Interna.

Interna, morbus, eorum causa, & accessiones.

Medicus quis interturbet iudicium?

Medicus autē interturbat judicia, dum ne nihil agere videatur, semper aliquid agit, jam clysterem injiciens, jam sanguinem mittens, aut cucurbitulam admovēs, aut serapia, aut purgationē ministrans, aut vomitum ciens, aut fricans, aut urinam eliciens: in summa, naturam, ut suos motus rectè instituere possit, nūquam quiescere sinens.

Ægrotantes quando turbant iuditia.

Turbat etiam naturæ ordinem, non rarò ægri mollities, atque indulgentia, aut etiam ferox natura, ac planè rebellis: sicut & ministrorum inscitia, vel negligentia, vel superbia. Sed & alia externa suprà cōmemorata, plurimùm in interturbandis judiciis momenti habent. Prætereà, morbus, & morbi causa, sæpènumerò prædictum decretorium dierum ordinem subvertunt, ac ut in aliis diebus judicium

Intercidentes dies sive intercalares dicti qui?

fiat efficiunt qui quòd indices & judicatorios intercidant, à medicis intercidentes nominantur. Et ii quidem à decretoriis, natura & usu judicandique vi distant. Naturâ, quòd decretorii naturæ suæ ratione sint perfecti, & quòd omnibus rectè factis, nullisque intervenientibus erratis, solius naturæ motu, nulloq; alio impellente, in iis judicia fiant absolutissima. Proinde decretorii illi dies, qui per quaternarios ac septenarios digeruntur, maximam vim habent. Contrà, intercidentes minus perfecti sunt, nec in iis naturæ motu & impulsu, sed morbi malitia, & morbificarum causarum vehementia, aut aliquo extraneo impellente, judicia eveniunt. Hinc non ineptè à qui-

Provocatorii

busdam provocatorii, quòd scilicet in iis natura non

sua

ſua ſponte, ſed medicamētis provocata & irritata pugnam adverſus noxios inſtituat, & adoriatur humores, ſunt appellati. Quapropter multò minorē, quàm decretorii nominati, vim obtinent judicatoriam. Differunt etiam inter ſe uſu. Nam quaternionū circuitus ad futuri vigoris & judicii noticiam conducunt. Ad judicium verò jam factum diſcernendū, nùm fidum aut infidum fuerit, intercidentium cognitio confert plurimùm. Scire autē fidum, aut infidū fuiſſe judicium, ad victus rationem iis, qui jam judicati ſunt, ægrotantibus probè præſcribendam, non parum momenti habet. Porrò naturam quoque ſtimulant, & veluti provocant, adeoq; judicia prærumpunt & accelerant, (ita enim Hippocrates appellat) acceſſiones ipſæ, efficiuntq; ut in imparibus quoq; diebus, tertio nimirum, quinto, nono, & id genus aliis diebus judicia accidant. Cùm itaq; judicia utplurimùm in acceſſionibus fiant, nihil mirum Hippocrat. ſudores, in febribus, in imparibus diebus ortos, judicatorios & bonos eſſe ſtatuiſſe. Ita enim in Aphoriſm. inquit: *Acceſſiones.* *4. Aph. 36.*

„ Sudores febricitantibus ſi evenerint tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo, & decimoquarto, & decimoſeptimo, & vigeſimoprimo, & vigeſimoſeptimo, & trigeſimoprimo, boni ſunt. ii enim ſudores, judicant morbos. Hæc ille. Cæterùm non eſt hoc loco nec Aſclepiadi, nec Celſo libro 3. cap. 4. aſſentiendum, qui Hippocratem aliosque veteres Pythagoricis numeris deceptos eſſe tradunt. Neq; enim id privilegii elogiiq; jam dictis diebus Hippo. & poſt hunc Gal. Hippocraticę ſectę acerrimus defenſor, numerorum quodam ſtudio & amore adſcripſerunt, ut illi exiſtimaverunt: nec quia pares imparésve ſint: ſed quia nō modò id uſu, qui plurimùm hic valet. iis diebus ita reſpondere, verùm etiam ratione ab aſtris cœloq; dimanare compertum habuerunt, ut alii morbi paribus, alii verò imparibus ſalubriter & moverentur, & finirentur. Quare tantùm abeſt, ut Pythagoricos numeros ſectati ſint, ut Galen. ſubinde mirari

Aſclepiadis & Celſi error.

Aſtra, & cœleſtium reliquorum influxus.

Lib. 3. de diebus decretor. cap. 8.

se dicat, Pythagoram, virum alioqui tàm sapientem, numeris tantùm tribuisse. Quod si Celsus nō ignorasset, nec Hippocratē nugari, nec sui dissimilem esse, nec à numeris Pythagoricis deceptum asseverasset; nec Asclepiadem, quem paulò antè dixerat vicem exhibuisse tortoris, Hippocrati, quem postea omnis medicinæ parentem esset appellaturus, temerè antetulisset. Sed ut intelligant studiosi, quòd non numerus, sed potiùs Luna, quæ terrena immutat, autor sit, iudiciorum; & quòd motuum circuitus, ad hos numeros veniant, non pigebit ea de re breviter Galeni in tertio de Diebus decretoriis libro, capite secundo, tertio, quinto & sexto, exponere sententiam. Prima omnium quæ fiunt, principia duo sunt, nempe quod Græcis ἄτακτον Latinis inordinatum, dicitur, & quod ordine ornatuq; semper procedit, ἐν τάξει καὶ κόσμῳ προϊὸν ἀεί, Galenus nominat. Illud ex hac mundi materia proficiscitur, hoc è cœlestibus originem ducit ferè semper. Cœlestium autē Sol, veluti rex quispiam maximus est, qui hunc orbem exornat, & concinnè disponit, qui & præsens diem, & absens noctē, & altus, æstatem, & humilis hyemem, & mediocriter obliquus utrumque solstitium efficit. Luna verò ut princeps non mediocris, inter illum & nos medius constitutus, terrestrem regionem meritò gubernat, reliquos planetas non potentia, sed vicinitate superans, & cuiusq; mensis dies disponit, ex Solis aspectu mutandi facultatem cōsecuta. Cùm enim suapte natura opaca sit, novum sortitur lumen, quum sole primùm fruitur, tantaq; eius portio illucescit, quam Sol aspicit. Quapropter suo ad Solem accessu & recessu varias accipit figuras, ut nūc surgat in cornua seu falcata sit, nunc æqua portione divisa, διχότομον Græci appellant, nunc gibbosa, nunc plena, πανσέληνον vocant Greci. Dein iterum Gibbosa, æqua portione divisa, surgens in cornua, seu falcata fit, coiens tandem sub solis lumine fertur, quæ & Silens dici solet, quòd tum

Ratio decretoriorū dierum è lunari cursu desumpta.

Sol.

Luna.

Lunæ figuræ octo.

tùm tota obſcuretur, ac lumine vacua ſit. Omnia verò, quæ facere apta nata eſt, ubi falcis figuram repræſentat, languida fiunt: invaleſcunt, quum plena fuerit. Surgit autem in cornua, ubi ſexaginta partes abeſt à Sole: diviſa æqua portione, quum nonaginta: gibboſa, quum centum & viginti: plena, ubi centum & octoginta. Rurſus fit gibboſa, ubi centum & viginti: dividua, quum nonaginta: ſurgit in cornua, cum ſexaginta: tandem coit cum ſole. Vt in univerſum Lunæ figuræ ſint octo. Prima eſt in ſexangulo mun- 1
di ſchemate, ſive ut hodie loquuntur, in aſpectu ſextili, die ferè quarto. Secunda in quadrangulo ſche- 2
mate, ſive aſpectu quadrato, die ſeptimo. Tertia, in 3
triangulo ſchemate, ſive aſpectu trino, die undecimo. Quarta in diametro ſive oppoſitione, die deci- 4
moquarto. Quinta in eodem cum tertia ſchemate, 5
die decimoſeptimo. Sexta in eodem cum ſecunda 6
ſchemate, die vigeſimo. Septima in eodem ſchema- 7
te cum prima, die vigeſimoquarto. Octava in 8
conjunctione, die vigeſimoſeptimo, ut ex ſequenti figura liquet.



Ex hoc ſchemate perſpicuum evadit, quòd Luna, ſigniferi circulũ, quem zodiacum nominant, totum, diebus vicenis ſeptenis, & triente, hoc eſt, tertia unius diei parte, quæ conſtat horis octo, pertranſit. Hoc quidem ſpacium in ſe complectitur quatuor ſeptimanas, hincque adeò menſis peragrationis dicitur, quarum tamen nulla, integros ſeptem dies habet, ſed unicuique quatuor deſunt horę, hoc eſt, ſextans diei. Singulæ itaque, ſenos dies, cùm horis viginti continent. Qua quidem ratione tres ſeptimanæ, pariunt dies viginti cum horis duodecim. Quum igitur Galenus animadverterat, tres menſis peragrationis ſeptimanas diebus viginti & media alterius diei parte, hoc eſt, horis duodecim, compleri, adeoq; non magis ad viceſimum, quàm viceſimum primum, referri poſſe,

Menſis peragrationis.

posse, hoc mense rejecto, ad eum qui illuminationis aut apparitionis nominatur, confugit. Quia verò hunc quoque quòd luna non semper æquali dierum numero, post coitū cum sole delitesceret atq; occultaretur, parum certum ac stabilem reperisset, & eo repudiato tertium mensem ex duobus prioribus compositum, quem ob id medium nominavit, confingere coactus est. Præter jam dictos est etiam alius mensis, quem coitionis sive conjūctionis appellat, qui itidem, ut priores quoque tres, nihil ad intelligendam Hippocrat. de diebus judicatoriis sententiam, eorundemque rationem reddendam confert, ut plenissimè sect. 2. Aphor. comm. 24. demonstravimus, ubi etiam ordine & perspicuè quatuor horum mensium rationem explicavimus. Optimum igitur erit, ut dierum judicatoriorum rationem Hippocratis, quem Galeni & aliorum veterum observatio & experientia comprobavit, ac certam esse deprehendit, sequamur. Multò enim commodiùs est, in expultricem noxiorū facultatem, in morborum impetum atq; motum, in noxiorum humorum substantiam, modum, qualitatem, copiam, in naturam morborum, medicatricis vim ac potestatem, deniq; in arcanam, & abditiorem quandam sympathiam, & consensum, hos decretorios, naturæ in certis & statis diebus motus, quàm in astrorum aspectus & influxus referre. Quod quum doctè ac copiosè Franciscus Valleriola li. 3. suorū locorum communiū, cap. 7. ostenderit, rationibus firmissimis, Astrologorū varias ac futiles nugas cōfutaverit, non est cur longior hîc esse velim aut debeam. Quæ sanè omnia nobis pluris facienda sunt, quàm ea quæ è lunari cursu sumpta est ratio, præsertim cùm non sit admodū exquisita, & hodie etiam ab Astrologis multis cavilletur & rideatur: quanquam neq; ea quam ipsi adferunt ejusmodi sit, quę nō fallat ratio, & supputatio. Præstat itaq;, rejectis omnino incertis iis rationibus, uni Hippocr. aliorumq; veterum medicorū observationi & experientię fidem habere, quàm vanis Astro-

Franciscus Valleriola cōmendatur.

Astrologorū de iudicatoriis diebus figmenta fugienda.

logorum commentis aurem præbere, quæ diutinam illam obſervationem pervertunt, & legitimum dierum decretoriorum ordinem perturbant, medicosq; ad falſiſſimas & ſuperſtitioſas ſupputationes, à certiſſima obſervatione & experientia ipſa traducunt: Quum potiùs eam judicatoriorũ dierum rationem, quæ in ſchemate abhinc altero à nobis eſt expreſſa, veram & legitimam eſſe, contrà autem vana eſſe de iis Aſtrologorum dogmata, & cum experientia prorſus pugnantia, ſibi perſuadeant. Nobis valde hoc Leonidæ Aſtrologorum vanitatem notantis, arridet carmen lepidiſſimum:

Μάντιες ἀστερόεσσαν ὅσοι ζητεῖτε κέλευθον,
ἔῤῥοιτ' εἰκαίης ψευδολόγοι σοφίης.
ὑμέας ἀφροσύνη μαιώσατο, τόλμα δ' ἔτικτε,
Τλήμονας, οὐδ' ἰδίην εἰδότας ἀκλείην.

Vatum ſidereos quisquis ſcrutare meatus,
Diſpereas, mendax non niſi vana ſonas.
Obſtetrix tibi ſtultitia eſt, audacia mater.
O miſer, & proprii non bene gnare probri.

QVAE SINT NOTAE MORTIS *citrà iudicium futuræ. Cap. XI.*

Mortis citra iudiciũ nota. HActenus de judiciis pro inſtituti ratione ſatis multa diximus. Nunc quæ ſint mortis citrà
1 judiciũ futuræ indicia exponemus, quorum ſanè hoc primum & maximum, præſertim in letalibus morbis, ſignum eſt, virium imbecillitas maxima. Neque enim natura, ita proſtrata, viribusque ſuis deſtituta, ad pugnam adverſum morbum conſurgit. Al-
2 terum, ſi nullum, vel minimum ſaltem concoctionis
3 adſit indicium. Tertium, ſi magnus ac malignus fuerit morbus, celeriterq; moveatur. Fieri enim nequit, ut ſi malignus ſit morbus, viresque imbecillę, ut morbus concoquatur, adeoq; judicium ſequatur fidum.
Tres modi Tres autem ſunt omnes eorum, qui citrà judicium moriun-

moriuntur, modi. Primus quidem, in accessionum invasionibus fit. Siquidem plurimi tunc moriuntur, idque propter magnitudinem phlegmones, principem aliquam partem obsidentis: vel humorum multitudinē, crassitiem ac tenacitatem, qui spiritus meatus veluti obturant: vel propter repentinum, humorum ad interiora motum, qui naturam veluti suffocant & extinguunt, haud secus; quàm si quis viridium lignorum copiam, confertim flammæ injiciat. Alter, in vigore accidit, natura, à vehementia accessionis, & morbi violentia superata. Qua quidē de causa etiam in augmento accessionum, quod tamen rariùs accidit, moriuntur. Quippe tum quoque, à vehementissimo morbo natura vincitur, & planè succumbit. Tertius modus, in declinationibus accessionum accidit. Plurimi namque in particularibus accessionum declinationibus moriuntur. Quod quum nonnulli vident, fieri etiam posse, ut in universali declinationis tempore, aliquis moriatur, arbitrantur. Quod tamen minimè verum est, quandoquidem vigore præterito, natura, morbosas causas jam cōcoxerit ac devicerit, alioqui morbus non declinasset: ut itaq; quis, ubi natura morbū superavit, vi morbi moriatur, fieri nequit. Moriuntur tamen interdum in universali declinatione ægrotantes, atqui erroris commissi, non morbi ratione. Quòd verò in declinationibus accessionum moriantur, nequaquam mirum videri debet. Imbecilla enim virtus, tempore principii, augmenti, & vigoris ipsius accessionis sufficere potest. quòd tum adhuc sit veluti compressa, constricta, & unita. Declinationis autem tempore, quum calor, rursus à medio corporis, ad extrema movetur, discutitur ac dissolvitur habitus corporis, haud aliter quàm ubi virtus nimio gaudio laxata, exteriora petens, dissipatur.

mortis eorum qui citra iudicium moriuntur.

1

2

Alter mortis modus.

3

In declinatione nemo moritur.

MORTIS DIES ET HORA VT prænoscenda. Cap. XII.

Mortis dies ut prænoscēda.

MOrtis quidē dies præcognoscitur, ubi quantum morbus naturam superet, considerabimus, & graviores accessiones inspexerimus. Si enim morbus plurimùm superaverit, & parum admodum vis naturæ naturalisque virtutis resistere videatur, mors haud diu aberit. Si verò contrà acciderit, ut morbus quidem virtutem superet, non tamen plurimùm, & virtus admodum huic resistat, tardiùs mors sequetur. Sed demus excessum illū, quo morbus naturam superat, esse satis magnum, quomodo tunc scire poterit medicus, nùm mors unum diem, vel duos prorogetur? Ex accessionum utique circuitibus. Nam quo die futura est accessio, eo etiam moritur æger. Porrò qua diei hora, mors eveniet, facilè dignosces, si quo morbi tempore, moriatur æger memineris.

In accessionibus morborū, moritur æger.

Mortis hora.

Nam qui per accessiones ægrotantes affligunt morbi, in principio quando materiæ multitudo, & crassities ad interiora movetur, occident, quòd scilicet hoc tempore nativus calor suffocetur. Si verò eo tempore, magis infestent accessiones, quo jam ad exteriora morbus vergit, in augmento vel vigore, nempe quando morbus vehementissimè molestat, ægrotus morietur. Quòd si ex dissolutione virium, mors continget, ea in declinatione expectanda. Quapropter eos, quos deteriùs afficit, prima accessionis pars, per febres quæ cum rigore infestant, in ipso rigore & refrigeratione mors excipit. Qui autem graviùs habent, quum calor affligit, in ipso augmento, vel vigore accessionis moriuntur. In quibus verò morbis, emanant sudores perniciosi, aut per insensilem transpirationem corpus discutitur ac dissipatur, in illis ubi calor remittit ac cessat, mors accidit. Quòd si accessionis tēpora observentur, quónam die quáve nocte accessio gravior ac major fiat, & qua ejusdem hora

hora graviùs molestet ęgrũ, facilè mortis hora predicetur. Ea enim die aut nocte, qua maior est accessio, ægrũ perimet, & in ea accessionis hora, in qua anteà per alias accessiones illũ gravius afflixit. At si morbi, per accessiones nõ urgẽt, certius nihil sciri potest, nisi quòd ea hora expectanda mors est, in qua æger gravius se habere consuevit, & deteriora illi adfuerint symptomata. Sed de iudiciis satis. Cùm verò in hoc tertio libro tractentur ea maximè, quæ ad prædictionem pertinent, nihilq; sit quo magis ad præsagiendum utantur medici ipsa urinarum inspectione, ut de ea quoq;, quantum instituti ratio fert, differamus, necessum est.

In morbis accessionibus carentibus ut mortis dies cognoscenda.

DE VRINIS.

SECTIO III.

QVID VRINA, ET QVIS eius usus. Cap. I.



CVM de urinis tractandum hoc loco sit, principio quid urina sit, ut explicemus oportet. Vrina itaque non est nisi sanguinis aut humorum serositas, in cava vena contenta, & à renibus attracta, atq; hinc per urinarios meatus in vesicam delata. Vel brevius, urina est sanguinis colatura, sive serosior eius pars à renibus attracta. Vt hinc omnibus perspicuum evadat, de iis quæ in iecore, vasis, renibus, vesica, ac meatibus urinariis sunt, nullum planè neque manifestum, neq; evidens haberi signum, præter solam urinam. Proinde ad iudiciorum dignotionem & prædictionem, quãdoquidẽ concoctionẽ aut cruditatẽ eorũ, quę in vasis continentur, ostendat, summè conferre solet uroscopia. Vt non temerè Galenus de Vrinis lib. 1. iudiciorũ

Vrina quid.

Alia Vrinarũ definitio

Quarum partium affectuũ urina nota fit & signũ.

Error eorũ, qui urinæ inſpectionẽ prorſus contemnunt.

tractationem inſtituerit. Quapropter reprehenſione digni ſunt, quotquot in univerſum urinarum inſpectionem atq; cognitionem tanquam incertam & inutilem damnant. Hac enim ratione non tantùm Hippocratem & Galenum, qui multis in locis harum mentionem faciunt, tamquam eos, qui rem nullius uſus toties attigerunt, & interdum ex profeſſo tractarunt, irrident, ſed & rationi ac experientiæ adverſantur, quæ urinarum inſpectionem, plurimùm in nonnullis morbis momenti habere teſtantur. Atqui iam dictis non minùs reprehenſionem merentur, magna noſtri temporis medicorum pars, qui nullum non morborum genus ex urina cognoſci poſſe cenſent.

Error eorum qui nullum non morbum ex urina cognoſci poſſe aiunt.

Niſi enim hanc perverſam & riſu dignam opinionem induiſſent, non ex urina, tanquam olim ex tripode, de ſingulis corporis malis reſpondere, in animum induxiſſent. Valdè autem inepti ſunt, qui ex urinæ inſpectione omnia prædicere conantur, quòd ſcilicet inſcitiā aut veriùs ſtulticiā ſuam hac ratione omnib. planam faciant: eruditis primùm & intelligentibus, ut qui eorum duntaxat, quæ in ieçore, vaſis, renibus, veſica, & urinariis meatibus ſunt, vitiorum, notam, eſſe urinam, ſciant. Vt itaq; meritò ridentur, qui ex ſputo de iis malis, quæ renes vel veſicam infeſtant, pronunciant: ita certè ii quoque riſu omnium digni

Thoracis affectus non cognoſcuntur ex urinis.

ſunt, qui ex urina de thoracis vitiis certi aliquid prædicere nituntur. Plebeiis etiam pulchrè ſe ridēdos exhibent, dum non rarò, ea, ex urinæ inſpectione divinent, aut certò etiam affirmēt, quę ſcit ipſa etiā plebs eſſe vaniſſima. Proinde qui pertinaciter hodie etiam ſibi perſuadent, nihil nō ex lotii inſpectione cognoſci poſſe, adeoque imperitæ multitudini hac ratione ſpe lucri, parū certè liberalis, imponere in deliciis habent, ii certè digni ſunt, ut novo etiam aliquo elogio

σκατοφάγοι.

ornentur, & non ut olim ab Ariſtophane σκατοφάγοι: hoc enim epitheto avaros & indoctos olim medicos

ὀροπόται.

ille dignatus eſt: ſed potiùs ὀροπόται appellentur. & rectiſſimè

rectissimè etiam in hos ipsos torquebitur usitatum vulgò convitium:

Stercus & urina medicorum fercula prima.

Quare eos qui veritatis amantes sunt, artemque sine ignominia exercere volunt, hortamur, ut legitimum urinæ inspiciendæ usum iterum introducere adnitātur, nec aliorum more ad sordidum quæstum uroscopia, abutantur. Quod facient, si ex illa tanquam ex tripode deinceps vaticinari desinent, & pro nota duntaxat unica, & non quidem omnium, sed eorum, quæ in iecore & vasis sunt, malorum corporis, utantur. Reliquos impostores ac stupidos asinos, qui pluris sordidū quæstum, (quem quotidie ex lotii inspectione ac divinatione, cum summa ignominia coniuncta faciunt,) quàm veritatem ipsam ęstimāt, nihil moramur, utpote quos ne Musæ ipsæ, ut alicubi Galenus dixit, sanare possint. Ad corvos igitur eant, qui ex lotio de omnibus omnium partium affectibus, se se certa pronunciaturos temerè iactitant, & hac impostura præstantium medicorum nomen sibi falsò arrogant, miserisq; ac simplicibus hominibus fucum faciunt, quum venosi tantùm generis, partium iecoris, renum atque vesicæ, urinam indicium esse certissimum constet, aliorum autem affectum minimè. Quòd autem serosi humoris pars, ὄχημα τροφῆς Hippocrates, id est, vehiculum nutrimenti, vocat & sanguinem crassiorem, in angustiora loca deducat, idipsum Galenus lib. quarto & quinto de Vsu partium fusissimè docet.

QVOT IN VRINA CONSIderanda, & qua ratione illa sit inspicienda. Cap. II.

CVM in urina inspiciēda quatuor potissimùm sint consideranda, nempe color, consistentia, quantitas, & contenta, danda opera erit, *Vrina quando colligenda.*

primùm ægrotanti, ut hanc legitimo tempore colligat, perfecta nimirum iam & absoluta concoctione. Citiùs enim si colligatur, nulla in ea contenta, utpote quæ tertiæ concoctionis sunt excremẽta, erunt. Dein, ut universam colligat urinam, ut scilicet de singulis perfectè medicus iudicare possit. Tertiò, ut illam ægrotantes, deferri primo quoque tempore ad medicum curet, nec ultrà sex horarum spacium, id facere cunctetur: aliàs enim eius significatio minus certa erit, color enim mutabitur, subsidentia dissolvetur, ipsaq; consistentia immutabitur. Medico autem hæc cura incumbit, ut matulam, in qua urina colligitur, aptam & idoneam habeat. Talis verò est, quæ non è viridi, sed vitro potius albo & tenui consistat, quòd nimirum in ea colores cum consistentia urinæ exactè appareant, quod in viridi vase haùd fit. Non nimiùm quoq; pateat, ne quem locum altitudinis contenta obtinuerint, non rectè discernatur. Prætereà non sit inferna matulæ pars nimiùm lata & plana, sed deorsum extumescens, ut in ea commodè contenta subsidere possint: nec nimis arcta, ut scilicet contenta in se recipere queat. Dein medico de urina pronũciandum priùs non erit, quàm in matella integrè eadem subsederit. Citiùs enim de illa iudicare si festinarit, de contentis nihil erit quod cognoscere possit. Quin etiam priusquam omnia quæ in urina conside-randa veniunt, contemplatus fuerit, urinam vehementer non movebit. Hoc enim nisi caverit, multa in ea transponentur, & contenta, cõcussa vi, proprias sedes deserent, ac bullæ rumpentur. Locus prætereà, in quo urinam inspiciet medicus, non sit obscurus, aut nimis lucidus. Hic enim, ut remissiores sint colores efficit, ille verò non parùm de coloribus tollit, neque ut plenè intueri queant urinarum colores, prohibet. Magno deniq; studio cavebit tùm medicus, tùm æger, ne urina vento perturbetur, aut frigore congeletur, aut saltem immutetur, donec separatio contentorum in urinis fiat evidens. Vt vel hinc etiam pateat, quàm

Quando ad medicum deferenda.

Qualis esse debeat matula.

Quando medico de urina pronunciandum.

Vrina non vehementer movenda.

Vrina quo in loco inspicienda.

Vrina ne ab ambiente immutetur aere custodienda.

quàm imperiti sint, & imposturæ prorsus dediti, qui hodie ex urinis aliunde allatis, sæpenumerò triduanis, & inclementia aëris, ac crebra motatione vehementissimè perturbatis, tamen protervè nullaq; præmissa eius rei prefatione, atq; admonitione, iudicare, tanquam in ea omnia, veluti in speculo quodam appareant, magno supercilio pronunciare audent.

VRINA, IN OMNIBVS MEdiocris, medico primùm cognoscenda est. Cap. III.

QVi in urinarum iudicio, & inspectione se se exercere cupit, huic necessarium erit, ut primùm omnium mediocrem & optimam urinam, ad quam omnes reliquę, tam quam ad regulam, & normam, atquæ amussim sunt comparandæ, sæpenumerò intueatur. Nisi enim quis initio saluberrimam & optimam urinam, veluti scopum quendam, in quem perpetuò intentus sit, & ad quam omnes reliquas examinet, sibi ob oculos ponat, ut de reliquis, quæ à mediocri illa recedũt, rectè iudicet, fieri non potest. Optima itaque, & hominis in omnibus temperati urina est in substantia mediocris, ac quantitate potioni quæ assumpta est respondet, colore subrufa, & subflava, sedimento albo, levi & æquali. Nulla in ea innatat bulla, nihil inest capillis aut ramentis simile, & huiusmodi generis. Quemadmodum igitur regula & amussis quùm adhibetur, ut ligna curva, obliqua, & distorta sunt ostẽdit: ita urina quæ ex omni parte mediocris est, eã quę magis vel minus à mediocritate declinaverit, demõstrat. Sæpiùs igitur, ut commemoratum est, urina hęc optima, & per omnia mediocris, urinæque sanorum simillima, novitio medico inspicienda erit, ut scilicet, quùm aliquam ab hac ipsa declinasse viderit urinã, statim ab optima & exquisita sanitate hominẽ hunc

Vrinarum reliquarum omnium scopus est urina optima.

Optima & saluberrima urina quæ.

cecidisse statuat, ac pronunciet. Non temerè verò adiectum est, Ab optima & exquisita: quòd nimiri hîc non de ea quæ latitudinem habet, sed de ea qua summa & inculpabilis est, sermo fiat, quæ utiq; urina cæterarum veluti scopus aut norma est, ad quam perpetuò sunt referendæ, omnes urinæ reliquæ.

DE COLORVM IN VRINA differentiis. Cap. IV.

CVm quatuor potissimùm esse, quæ in urinarum inspectione consideranda sint, ex iis quæ paulò antè diximus, satis constet, ac inter ea primum occupet locum color, ordinis ratio postulare videtur, ut hoc loco colorum differentias exponamus. Præcipuorum autem in urina colorum sex sunt differentiæ, albus scilicet, pallidus, rufus, flavus, ruber & niger. Si qui verò reliqui sunt, sub iam dictis comprehenduntur extremis veluti coloribus. Alba enim urina, varias alias sub se complectitur species. Inter albas enim est, quæ crystallina, quod crystallo similis sit, dicitur urina. Item nivea, quæ ferè nivis candorem refert. Aquea, quæ aquæ similis est. Atq; hæ quidem tres urinæ intensæ sunt albedinis. A summè alba parum recedunt urina lactea, glauca, & charopa. Lacteā verò appellant medici, quæ lacti assimilis est. Glaucam, quæ veluti cornu pellucida existit. Charopam, quæ subalbidis cameli pilis, aut ungui vocato lapillo similis est. Post albam urinam subpallida, quam nonnulli subspiceam nominant, sequitur. Cuius color similis est aquæ, cui spicei aut subpallidi humoris aliquid admistum est. Proxima huic est pallida, quam spiceam appellant. Hæc apparet, ubi plusculùm, bilis, serosæ humiditati miscetur. Quùm autem concoctio ulteriùs processerit, tum plus tincturæ accedit, & fit subrufa, quæ non puro auro similis est. Post hanc, urina est rufa, quæ auro puro similis est, alioq; nomine aurea

Colorum urinæ sex præcipuæ differentiæ.

Alba urina.

Crystallina.

Nivea.

Aquea.

Lactea.

Glauca.

Charopa.

Subpallida.

Pallida.

Subrufa.

Rufa.

aurea dicitur. Græci πύῤῥον nuncupant. Rufam sequitur subflava, quæ aquam repræsentat, in qua cnici seu cartami flos dissolutus est, aliisq; subcrocea vocatur. Post hanc est flava, quam Græci ξανθόν, Latini nonnulli croceam, quòd referat aquam, in qua croci Corycei flos dissolutus est, appellant. Hanc subrubea comitatur urina, quæ Armenici boli, aut veriùs Lemnii sigilli colorem exprimit. Deinde rubea occurrit, quam Græci ἐρυθρόν, quòd colorem rubeum, qui in malis, cerasis, & id genus aliis fructibus est, præ se ferat, nominant. Iam memoratæ succedit vinea appellata urina. Hæc, nomen à vino nigriore accepit, ecorisq; planè colorem refert. Passea seu cyanea intensior est vinea, passoque, quod ex uva nigra decocta conficitur, maximè similis est. Vel certè cerasi fructus, qui ad nigrorem declinat, colorem præ se fert. Veneta sive fusca est, cuius color, ex puro albo & nigro, æqualiter confusis, natus est, qui brunus vulgò dicitur. Et si planè qualis venetus color sit, sensu nosse velis, cerussam, vel lectissimam calcem, vel aliud simile, atramento, vel pici, vel bitumen æquis partibus misceas. Viridis urina est, quæ colorem brassicæ, aut graminis, aut Smaragdi lapidis repræsentat. Livida, quæ plumbi colorem refert. Nigra, quæ extincti carbonis colorem obtinet. Oleacea denique urina, colore suo oleo similis est.

Subflava. *Flava.* *Subrubea.* *Rubea.* *Vinea.* *Passea.* *Veneta.* *Viridis.* *Livida.* *Nigra.* *Oleacea.*

DE IIS, QVAE VRINAE COLOREM MUTANT. Cap. V.

HActenùs omnes urinę colores breviter admodum exposuimus: nunc ne quis de illis temerè iudicando erret, quandoquidē in sanis etiam, non raro, de causa etiam levissima mutētur, mutationis earundem causas, quæ sanè multæ sunt, & ferè infinitæ percensebimus. Prima est cibus ingestus. Is 1
enim si corpori oblatus non probè transmutatur &

Mutationis colorum urinæ causæ.

conficitur, nec in sanguinē vertatur, similem sibi colorem urinæ reddit: idq; iis evenire solet, qui præter naturam sunt affecti. Nonnumquam etiam iis, qui secundùm naturam se habent, idipsum accidit, ubi scilicet cibi aliquo adscititio colore infecti, similem sibi colorem urinę efficiunt, quemadmodum fit, ubi oleribus vescimur. Idem contingit, si medicamenta, colore aliquo infecta assumantur, quale est rheumbarbarum vocatum.
2 Altera causa, cur urinæ color mutetur, potio existit Retinet enim magna ex parte urina, eorum colorem, quę in potione, præsertim medicata copiosiore hausimus. Si enim aquam, aut vinum album & tenue affatim biberimus, alba quoque & tenuis urina erit: sin crassum & nigrum fuerit vinum, nigrior & crassior erit urina. Tertia causa mutationis coloris, qui in urina apparet, est colliquatio eorum, quæ in corpore sunt. Siquidem urina nunquam nō earum partium, quæ in corpore liquescunt, pinguedinis præsertim, adipis, & similium colorē monstrat. Id quod iis verbis in Epidemiis significare voluit Hippocrates, inquiens: Vrina eiusdem cum cibo & potu coloris, & veluti colliquatio est humoris, qui in corpore continetur: Quarta causa urinarum mutationis est sexus & ætas, quæ non parum urinæ colores immutant. Iuvenum enim urina est subrufa & subflava. Senum tenuis & alba, cum exigua subsidentia ad cruditatem declinante, quòd senum ætas quantum procedat, & à pueritia distet, tantum ad frigidum declinet. Quapropter innatus calor in iis marcescit, coctioq; minuitur. Puerorū ut parum recedunt à subrufis & subflavis, ita substantia parum excellunt iuvenum urinas, plurimamq; subsidentiam habent. Nam horum calor nativ⁹ multus est, multa quoq; ingerūt, unde copiosum sedimentū. Quantùm procedit ętas, tantùm color intenditur, subsidentia verò minuitur. Mulierum, quæ temperatæ sunt, atq; ætatis vigentis, parum à subrufa & subflava versus albam declinant, consistentia tenues sunt, & subsidentiā coactam magis

6. Epid. sect. 5. Aph. 15.

Sexus & ætas urinæ colorem mutāt.

Iuvenum urina.

Senum.

Puerorum.

Mulierum.

gis quàm virorum habent. Calor enim iis nativus, virorum respectu, exiguus, debilis in illis concoctio, & excrementorum copia maxima. Labore præterea & otio urinā mutari accidit. Nimio enim labore & exercitio urina subflava, & demùm flava fit, propter motum, qui calefacit, & bilem in corpore procreat. Otiū & quies, albam reddunt urinam. Somnus quoque & vigilia, urinæ colorem mutant. Qui enim per naturam dormierunt, minus albam urinam mingunt, & subpallidam existentem. Nec temerè adiectum est, Per naturam: qui enim ex affectu aliquo p.n. soporoso dormiunt, lethargo nimirum aut comate, eorum urina albicat. Eorum, qui vigilant, urina ad album, & aqueum vergit. Vigilia enim cruditatem, teste Hippocrate, efficit. Inedia quoque urinæ colorem mutat. Nam qui ieiunarunt, horum urina fit flammea & flava ac crocea. Contrà eorum, qui plurimum comederunt, adeoq; cruditatem contraxerunt, urina est alba. Coitus certè urinam pinguiorem reddit. Sunt & alia præter ea, quæ iam dicta sunt, quæ urinam immutāt, ut vacuatio, timor & alia, quæ commemorare nihil attinet.

Laboris & exercitii.

Otii & quietis.

Somni.

Vigiliarum.
2. vict. acut. aphor. 59.

Ieiunii.

Coitus.

DE CONSISTENTIA *urinæ. Cap. VI.*

Expedito primo, quod in urina examinanda consideratur, alterum, nempe consistentiam, aggrediamur oportet: quę quidem triplex est, crassa, mediocris, & tenuis. Mediocris, quæ neq; crassa, neq; tenuis, sed in harum medio existit. Tenuis autem, quæ à mediocri crassitudine discessit, & nōdum in liquoris naturam abiit, necdum reverà urina, sed potiùs aqua est, & dicitur. Hęc enim reverà urina est, quæ cōcoctionis eius quæ in venis fit excrementum existit, adeoq; substantiam & colorem cōvenientem obtinet. Eius autē duæ sunt differētię. Quædam enim tenuis, & pura excernitur, ac posthac semper talis

Triplex urinæ consistentia.

Mediocris.

Tenuis.

Verè urina dicta quid, & quæ nā est.

Eius differentiæ.

permanet. Altera verò, tenuis quidem mingitur, at paulò pòst perturbatur urina. Est autem utraq; cruda, ac concoctione vacat. Differunt autem, quòd prior nondum cœpisse concoctionem, atq; adeò summam cruditatem significet, altera verò iam cœpisse eamdem denotat. Nec enim alia de causá conturbatur lotium, nisi quòd flatuosi cuiusdam spiritus copia, seroso liquori permiscetur, veluti musto iam ferventi accidit. Nam idipsum fervens iam perturbatur, adeoque concoqui incipit. Quapropter prava quoque hæc altera urina existit, quoniam longiori tempore, & forti virtute validoque calore, ad concoctionem indiget.

Crassa.
Differentia eius.


Crassa urina est, quæ iusto crassior est, & à mediocri crassitudine recedit. Eius itidem duplex est differentia: Quædam enim crassa & perturbata mingitur, paulò pòst autem residet, & attenuatur. Hæc quidem bona est, propterea quòd parùm adhuc perturbationis superesse demonstrat. Quippe quando flatuosus spiritus, humorem perturbans separatur, tunc humor ipse clarus redditur, ut necesse sit in ea urina, quæ statim postquam micta est, subsidet, non multùm perturbationis inesse. Quædam verò ecõtrà, ut micta est crassa, talis subinde permanet. Et hæc quidem bona etiam existit, sed non perinde atque prima. Nam vigere adhuc eam, quæ in sanguine est, agitationem & perturbationem ostendit. Vtraque igitur bonam significationem de se præbet. Prima, quòd non ita multo post morbum concoctum iri ostendit. Siquidem crassiorum humorum quidem ebullitionem, & agitationem, sed tamen naturam incipere iam eorum secretionem, indicat. Secunda, quia non omnino cruda est, quandoquidem ex vigente perturbatione fiat.

DE DIFFERENTIIS LOCORUM contentorum in urina.

Cap. VII.

Contenta urinarum, quæ Grecis παρυφιστάμενα dicuntur, propterea quòd in qualibet altitudinis corporis urinæ parte consistant ac contineantur, trifariam dividūtur: ut enim altitudo corporis urinæ] trifariam dividitur; in fundum scilicet matulæ, superficiem supremámve regionem, & utrarumque harum extremitatum medium: ita enim tria contentorum genera existunt. *Contenta.* Primum, quod in summa urinæ superficie innatat, Græcis νεφέλη, Latinis nubes & nubecula vocatur: metaphora à terra desumpta, à qua nubes & nebulæ summè secedunt. *Nubecula unde dicta.* Alterum, quod in fundum matulæ concedit ac descendit. Græcis ὑπόστασις, ἀπὸ τοῦ ὑφίστασθαι, hoc est, subjici, Latinis subsidētia, sedimentum & subiectum nominatur. *Subsiden ia.* Tertium, quod æquis spatiis ab utrisq; extremis discedit, & in medio altitudinis consistit. Græcis ἐναιώρημα, Latinis sublatio, suspensio, sublime, sublimamentum vocatur. *Sublime.* Quæ omnia iam enumerata, subsequens figura clarissimè oculis subjiciet.





Fundum matulæ.

Expeditis iam urinæ coloribus, consistentia, & cōtentis, reliquum est, ut singulorum significationes ostendamus, quo illis, ad prędicendum medicus, commodè uti possit, à coloribus exorsi.

QVID

QVID EX VRINAE COLORIbus sit prædicendum. Cap. IIX.

ALba urina cruditatis nuncia existit, ac concoctricis facultatis imbecillitatem insignem significat. Quòd si multa sit, maximè in sanis, multam vini, præsertim exilis, tenuisve, & oligophori, potionem indicat. Alba prætereà urina, frigidam iecoris intemperaturam, & magnā in urinariis meātibus obstructionem, nonnunquàm ostendit. In acutis febribus, non rarò delirium, aut phrenitim, bile nimirum ad cerebrum sublata portendit. Humor siquidem tingens, urinamque colore flavo inficiens, non est nisi bilis: ea itaque ad cerebrum transmissa, alba sit urina est necesse. Hinc est, quod Hippocrates in Aphorismis scriptū reliquerit: Quibus urinæ perspicuæ & albæ sunt, malæ, præsertim ubi in phreniticis apparent. Quo verò magis albus color intenditur, eo peior est existimanda urina. Porrò ubi est crystallina & aquea, omnimodam naturæ cruditatem à frigiditate ortam, aut obstructionem maximam, præcipuè meatuum urinam sequestrantium instrumentorum, quin imò etiam bilem, quę tingit, aliò trāsfluere, indicat. Quæ verò albedinem remissam ostendit, præsertim quę vergit ad glaucum & charopum colorem, non ita facilè ob flavæ bilis absentiam, & aliò migrantis apparet, sed potiùs ob debilitatem virtutis alterantis, & concoquentis humores, producitur & efficitur talis. Albæ nihil variantes, longo tempore, capitis morbos frigidos, verbi gratia, vertiginem, morbum comitialem, & id genus alios, ciborum prætereà fastidia, artuum dolores, nervorumq; resolutionem, prænunciant. Hæc enim omnia sequuntur continuam cruditatem, vel frigiditatem, vel obstructionem, vel humorum transpositionem. Albæ remissæ, ut est urina lactea, glauca, charopa, in febrium initiis & incrementis, laborem significant. Nam multitudinem materiæ putrefactæ, præ

Albæ urinæ significationes.

Aliæ albæ urinæ significationes.

4. Aph. 72.

Crystallinæ.

se ferunt. In febrium verò declinatione, salutem ostendunt. *Subpallida & pallida.* Subpallida & pallida urina, mancam adhuc concoctionem, sed minus tamen quàm alba, debilem vim concoctricem significat. Nam naturam quasi iam indulgere concoctioni monstrat. *Subrufa & rufa. Subflava & flava.* Subrufa & rufa, item subflava & flava urinæ perfectam concoctionem, & corporis totius certam sanitatem pollicentur, idque in iuvenibus maximè. In senibus enim & mulieribus si eiusmodi urinæ apparent, ut maiores causæ præcesserint oportet, nempe æstus, vigilia, labor, ciborum aliarumque rerum acrium usus, quæ bilem in corpore adaugent, & febres accendunt. *Subrubra & rubra.* Subrubra & rubra apparet propter multorum ciborum, & acrium oblationem, item ob sanguinis ebullitionem & iram, ob iecoris calidam intemperiem, item accidit, & id genus alias causas plurimas. *Vinea.* Vinea urina sanguinem assari, atque in flavam vel nigram bilem transmutari indicat. Interdum etiam in sanis hominibus, qui multùm laborarunt, aut longum iter confecerunt, talis urina, eò quòd sanguis motuum vehementia assetur quasi, spectari solet. In vehementibus febribus sanguinis saniem abundare, putrescere, & bilescere insinuat. *Passea.* Passea bilis adustionem notat. Hæc si diutius permanserit, arquatum morbum adesse significat, cum multitudine & crassitudine corruptioneque accumulatæ in iecore bilis flavæ. *Viridis.* Viridis autem, biliosum humorem, tantùm cæteros humores antecedere ostendit, quantùm ipse magis intensus fuerit. Quapropter pravissimæ bilis quantitate & qualitate exauctæ, excessum monstrat. Hæc si diu eiusmodi perseveraverit, sitisque assidua & æstus adfuerint, haùd exiguus metus est, ne convulsio à siccitate ægrum corripiat. In summa, viridis urina, exustam esse omnem nativam humiditatem à calore febrili, maximumque imminere periculum demonstrat. *Oleacea.* Oleacea urina, caloris præter naturam signum est, eoque magis quò fuerit intensior. Pinguedine enim à calore liquefacta, huiusmodi urina

plena

plena est. Quod Hippocrat. Prognost. 35. iis confirmat verbis: Pinguedo telis aranearum similis innatans urinæ damnanda est, colliquationis enim nota est certissima. Quòd si igitur paulatim eiusmodi urinæ color processerit, multoque tempore duraverit, ac confirmetur cum calore toto corpore diffuso, totius corporis colliquationem, hecticamque febrim ostendit. Sin brevi atque cumulatim appareat cum calore in renibus tantùm excitato, renum duntaxat colliquationis indicium est evidens. Veneta melancholici humoris fusionem, vel frigiditatem vehementem, vel mortificationem quandam naturæ, potissimùm ubi nulla præcesserit concoctionis significatio, & à pravis coloribus ad peiores mutata sit urina, monstrat. *Venetæ.* Livida eadem ostendit, interdum etiam plagas & verbera homini incussa prodit, & sequitur. *Lividæ.* Aliàs semper frigiditatis, adeoque caloris nativi mortificationis signum est. Nigra interdum caloris ad extremum debilitati indicium est, & hoc quidem maximè si viridis præcesserit. *Nigræ.* Interdum extremam frigiditatem portendit, idque ubi livida antecesserit. Semper autem mortalis est, vitæque periculum præsagit maximum, nisi ubi vitia, quæ ab atra bile excitata sunt, præcesserint. Tum enim salutaris existit, quippe hunc humorem à natura expurgari significat. Quapropter si talis urina in melancholico, lienoso, aut quartanæ, præsertim in febris declinatione visa fuerit, solvi morbum notat evidenter.

QVID EX VRINAE CONsistentia prædicendum sit. Cap. IX.

Tenuis urinæ significationes.

VRina tenuis, innati caloris imbecillitatem, & frigiditatem dominantem, cruditatem item, iecoris, renum & vasorum urinariorum, propter causas paulò antè ostensas, obstructionem prænunciat. Quapropter in quartanis febribus, in quibus melancholici humores, crassitie sua meatus obstruūt, huiusmodi urina tenuis sæpenumerò apparet: Quòd si urina nō solùm tenuis, sed & alba fuerit, extremam cruditatem significat. Si itaque tenuis urina diuturna fuerit symptomata morbi increscere, virtutem superari, nec morbum posse ullo modo concoqui, & ægrū in vitę discrimen abripi notat. Nonnunquam tenuis urina abscessum in iis partibus, quæ infrà septum transversum sunt sitæ portendit. Cuius rei testis est Hipp. qui in Prognosticis ita scriptum reliquit: Qui urinam tenuem crudamq; diutiùs mingunt, si reliqua ut in convalituris indicia fuerint, in iis abscessum ad partes, quæ infrà septum transversum sunt, expectare oportet.

1. Progn. 34.

Crassæ.

Crassa urina, excessum abundantiámve materiæ, & humorum ventriculum, intestina, & iecoris cavas partes implentium, evidenter ostendit. Hæc si in febre spectetur, ubi tenuis urina præcesserit, statim futuram declinationem monstrabit. Namque hoc in casu, videtur natura superasse materiam. Proinde eo meliùs ac tutiùs, quò citiùs vel plus crassitudinis inerit, symptomata dissolventur, naturales excretiones augebuntur, urinæ ad proprium colorem & consistentiam revertentur. Si verò unà cum febris accessione, urinæ crassæ apparuerint, quæ aut semper aliquid crassitudini addant, aut saltē nō attenuentur, conjicere oportet virtutis imbecillitatem, & humorum multitudinem, ita ut metus non

exiguus

exiguus sit, ne natura penitùs superetur & occumbat. Si verò iterũ attenuetur, cùm melioribus coloribus, febris remissio expectanda erit. Cæterùm crassa & alba urina, maximam crudorum humorum copiam indicat. Atque hęc aliquando in laboriosis febribus apparens, ab abscessu liberat, quemadmodum historia quadam in Epidemiorum lib. 6. Hippocrates confirmat, inquiens: Vrina crassa & alba, qualis famulo Amphigenis erat, in laboriosis febribus, quando quarto mingitur die, ab abscessu liberat ægrotantes. Crassa & lactea in fine mictionis veniens, calculos in vesica, vel renibus ostendit. Crassa charopos, & ut jumentorũ turbida, dolorem capitis portendit, Hippocrate attestante, qui in Aphorismis ita scriptum reliquit: Quibus in febribus, urinæ perturbatæ sunt veluti jumentorum, iis dolores capitis aut adsunt, aut mox aderunt. Crassa & subrubea, maximè si talem subsidentiam habuerit, longos quidẽ portendit morbos, sed à periculo immunes, ut in Prognosticis iis verbis testatur Hippocrates: Si, inquit, urina subrubea fuerit, & sedimentum subrubeum & leve habuerit, diuturnior hic morbus, quàm primus, sed tamen salubrior. Indicat enim optimi humoris, nempe sanguinis, non exquisita ratione confecti abundantiam, adeoque sine periculo est. Tamen quia ad concoctionem longiori temporis spacio eget, ideò diuturniorem quoque fore morbum significat. Crassa & rubea sanguinis copiam monstrat, veluti in continentibus febribus accidit. Crassa & nigra melancholici humoris vacuationem, præsertim si, ut dictum est, in declinatione quartanæ & melancholiæ apparuerit, ostendit.

Sectio. 4. Aphor. 2.

4. Aph. 70.

2. Prog. 27.

QVID EX VRINAE QVANTITATE prædicendum sit. Cap. X.

Multæ urinæ in sanis causa.

VRina si copiosior exeat, quàm pro ebibitorum portione, in sanis quidem corporibus, multam vini maximè aquosi potionem, aut liquidorum ciborum usum, significat. Multum quoque redditur urinæ, propter usum medicamentorũ, urinam cientium. In ęgris urina copiosior exit, quando intemperies quædam calida circà renes existit, ut accidit in diabete. In eo enim malo propter vehementem calorem, renes, serosam substantiam, à jecore, omniq; venoso genere celerrimè attrahunt. Multa etiam urina reddetur, quando alvus natura sicca fuerit. Nam si alvus, propter malum, quod illi accidit, excrementa, quæ aliàs, secundum naturam se se habente homine, ad eam deferuntur, vacuare haud poterit, ad urinæ meatus, tanquam vicinum illi locum, impetu facto transferuntur. Atq; hoc est, quod Hippocr. in Aphorism iis innuere verbis voluit, inquiens:
„ Mictio noctu copiosè facta, exiguam dejectionem
„ significat. In hydrope, præsertim anasarca salutari, multa quoque urina redditur, quòd habitus totius corporis, hic aquoso sanguine refertus sit. Multum denique mingitur, ubi reliquarum corporis vacuationum, maximè ventris dejectio, nulla præcessit. His enim omnibus impeditus, ut ad urinæ loca humores detrudantur est necesse. Contrà, pauca urina mingitur ob cibos ficciores, potus paucitatem, vehemens exercitium, & id genus alia, quæ corpus quomodolibet exiccare consueverunt. Item, propter cibaria, & medicamenta lentore participantia, atque urinæ meatus obstruentia. Prætereà, propter humorum crassitiem, & tenuitatem, obstruentium alvi multam dejectionem. Cùm enim natura, omnia totius corporis excremẽta, per cõsueta vacuationis loca excernat, si fortè alter alterum vacuatione superaverit, ut per

Causa eiusdẽ urinæ copiosæ in ægris.

4 Aphor. 8.

Paucæ urinæ causa.

ut per alterum minus vacuetur necesse est. Febris etiam vehementia, in causa est, cur paucior exeat urina. Hæc enim omnem corporis humiditatem absumit, ut hoc nomine per urinam, multa humiditas excerni nō possit. Postremò, ob excretricis, (quæ in renibus, cæterisque urinæ excretioni famulantibus vasis est,) facultatis imbecillitatem, quæ functionem suam obire nequiens, urinam supprimit.

QVID EX CONTENTORVM CONsistentia prædicendum. Cap. XI.

IN contentis haud secus atq; in liquore urinæ tria sunt consideranda, nempe substantia, color, & quantitas: de quibus, à substātia orsi, ordine disseremus brevissimè. Contentorum autem quorundam substantia mediocris, aliorum tenuis, nonnullorum crassa. Vrinarum namque, quæ secundum naturam sunt, contenta, consistentia sunt mediocria, alba, levia, & æquabilia. Levia contenta sunt, quæ sibi invicem continua sunt, & unum veluti continuum & coactum corpus, neque aliquo modo rugosum, huc & illuc compulsum, neque dissolutum aliqua in parte. Quæ verò illis contraria sunt, aspera dicuntur. Levia verò continuáve contenta, nihil novi adferunt aut portendunt. Sin aspera, ac veluti dispersa fuerint, non exigūa quædam in profundo corporis perturbatio significatur, quàm violentus spiritus, justam concoctionem impediens, efficit. Quòd si cum ejusmodi contentis aliquid valde crudum conjunctū fuerit, non parvi doloris subesse sensum indicat. Si verò constricta sint contenta, crassitudinem partium materiæ, attestante lentoris qualitate, significant. In quo igitur, liquoris urinæ loco immorantur lenta, tenacia, in eo corporis loco vitium morari ostendunt. Tenuia contenta, quę pura sunt, nec facilè matula commota assurgunt ma-

Contentorum substantia triplex.

Levia contenta.

Tenuia.

gnam naturæ in secunda concoctione imbecillitatem, indicant. Ferè enim cum albis & aqueis urinis apparent. Præterea, tenuia cōtenta, crudos etiam humores, sed attenuatos eosdem monstrant. Siquidem nativus calor roboratus, omnem intrà venas, ex cruditate crassitudinem attenuat & dissipat. Crassa verò contenta, crassorum atq; crudorum humorum in venis copiam denotant. Talia quoque interdum à morborum judicatione apparent: atqui à prioribus differunt, quòd scilicet nullum malum colorem habeant, & à vigore morbi appareāt. In principio namque & augmento, tanquam prava suspecta esse debent omninò, prȩsertim si colores mali iisdem accesserint. Priora autem cōtenta viscida & mucosa sunt, quapropter in urinariis instrumentis quandoque detenta, non parvum homini dolorem afferunt. Quinetiam puri similia sunt, viscositate tamē, & quòd malè non oleant, à purulentis distant. Pus quū & ipsum viscidum aliquid habeat, dignoscitur tamen, quòd dolor laborantis loci præcesserit, sanguinemq; prius mingi contigerit.

Crassa.

QVID EX COLORE CONTENTORUM *sit prædicendum.* Cap. XII.

QVod ad contentorum, quæ à mediocritate recedunt, adeoq; præter naturam sunt, colorem attinet, alia sunt vehementer alba, alia subpallida, alia pallida, alia flava, subrubea, cruenta, veneta, livida & nigra. Quæ vehementer alba sunt, hæc aut pituitosi humoris ramenta sunt, aut pus summè concoctum, quòd ab aliqua parte interna laborante secretum est. Distingues autem illis notis, quæ paulò antè de puris, & crudorū humorum differentia diximus in cap. præcedente. Quæ autem mediocriter alba sunt, hæc sanguinis probè concocti excrementa existunt. Subpallida, & pallida minùs bona sunt, veluti ea, quæ à colore, qui secundum naturam est, declinant. Flava etiam mala sunt, ut quæ exanctā esse,

Alba.
Pus, à phlegmate ut distinguatur.
Subpallida & pallida.
Flava.

esse, in secunda concoctione flavam bilem indicant. Subrubea & rubea cruditatem quādam, & defectum concoctionis, adeoq; morbi diuturnitatem innuunt. *Subrubea & rubea.* Visuntur etiam interdum rubræ hypostaseis propter sanguinis multitudinem: aut quia retentrix facultas præ imbecillitate optimos humores effluere sinit. Cruenta non elaboratum omnino esse à jecore sanguineum humorem, præsertim si copiosa illa fuerint, significant. *Cruenta.* Veneta, livida, & nigra omnium pessima sunt. *Veneta.* Mortificationem facultatis vitalis, aut melancholicum humorem, qui vel aliunde in venas confluxit, vel in ipsis genitus est venis, significant. Orobea, hoc est, ervo excoriato similis, tum apparet subsidentia, ubi assumpto jam adipe, caro consumi cœperit. *Orobea.* Significat itaq; vel universi corporis vel renum duntaxat colliquationem. Si enim in febribus talis apparuerit subsidentia, universum corpus: sin citra febrem, renes tantùm liquescere indicat. Furfurea hypostasis, quę videlicet furfur tritici bene moliti refert, prædicta subsidentia pejor est. *Furfurea.* Hæc namq; ubi febris universum adipem, & majorem partē carnis absumpserit, atq; jam profunditatem carnis & vasorum obsederit, solidasque corporis partes attigerit, apparet. Nonnunquam tamen solius vesicæ laborantis signū est, quemadmodū Hippocrates iis verbis in Aphorismis testatur inquiens: *4. Aph. 77.* Quibus in urina crassa, furfurea simul prodeūt, iis vesica scabie laborat. *Furfuracea quæ totius corporis, & quæ solius vesicæ ob vitiū eveniant.* Discernuntur autem in eum modum. Quæ totius corporis vitio eveniunt, cum febri & urinæ cruditate minguntur. Contrà, quæ laborante vesica prodeunt, sine febre, & cum urinæ concoctione, non tamen absque laborantis loci dolore, excernuntur. Laminea, πεταλώδης ὑπόστασις Græcis dicta, squamis similis est. *Laminea.* Laminæ enim appellantur, quæ latitudinem & longitudinem, citrà tamen evidentem, aut magnam altitudinem obtinent, adeoque foliorum similitudinem gerunt. Vt laminea subsidentia nō sit, nisi quæ foliorum, stirpium, squamarúmve piscium, aut laminarum *Lamina.*

instar lata & tenuis existit. Quæ certè fit, ubi aucta febris solidas corporis partes attigerit. Apparēt quoque vesicæ ratione, veluti in Aphorismis Hippocrates testatur inquiens: Si sanguinem, & pus, & squamulas mingat æger, gravisque odor adfuerit, vesicæ exulceratione denotat. Sed an vesicæ tantùm, aut totius corporis ratione eveniant tales laminæ, febre, cruditate, & dolore, quemadmodum in superioribus dictum est, distinguendum. Similacea, hoc est, ea quæ furfuris ex malè molito tritico cribratæ, speciē exhibet, omnium pessima existit: fit enim ubi febris, longè lateq; substantiam incendit, adeoq; sanguinis assationem, vel solidarum partium colliquationem significat. Si itaque candidæ fuerint, solidarum partium colliquationem: sin rubre, sanguinis assationem monstrant evidenter.

4. Aph. 81.

Similacea.

QVID EX QVANTITATE contentorum prædicendum sit. *Cap. XIII.*

Mediocria. *Multa.*

SI contenta, quantitate mediocria fuerint, probantur. Sin multa, ut multum nutrimentum corpori distribui, ita robur quoddam alteratrici facultati adesse, insigne monstrant. Nam quando multa est elaboratio naturæ, circà alimētum, multa quoque fieri tunc excrementa est necesse. Sæpè etiam accidit, ut quæ per cutis aliosq; corporis meatus excrementa transeunt, consuetis viis præclusis, ad vesicam regurgitent, augeantq; excrementa. Pauca verò contēta, vel ob inediam, vel exercitia, vel obstructiones, vel tardas concoctiones redduntur. Si enim alimenta deficiant, quod per inediam accidit, excremēta quoq; deficere oportet. Exercitia verò, excrementa attenuant, ac ut per latentem transpirationem dissipentur efficiunt, ut hoc nomine pauca esse contenta necessarium sit. Obstructiones autem, ut tenuia

Pauca quid notent?

tantùm

tantùm transeant, & crassa remorentur & adhæreant vesicę, efficiunt. Per tardas autem concoctiones pauca fieri contenta, notius est quàm ut multis doceri debeat. Tenuia contenta, quantacunq; sint, caloris nativi debilitatem, ut contenta hoc nomine ad mediocrem crassitiem pervenire nequeant, indicant, aut crudorum humorum, roborato nativo calore, attenuationem. Vbi enim materiæ crassitudinem attenuaverit dissipaveritque, eiusmodi contenta apparere est necesse. Quod ita cognosces: Nam si modicè matulam vacuaveris, ipsa contenta citò elevantur, atque levitas dissimilis redditur. Non facilè autem elevantur, quę ex caloris debilitate fiunt hypostaseis. Contenta multa, aut crassiora in morborum initiis, atque augmentis, præsertim si febris nulla vehemens adsit, humorum copiam arguunt, quæ ad concoquendum firmitate virtutis, tempore, indiget. Conjicies autem inde angustias meatuum esse; circà thoracem, utpote arctato à multitudine humorum, septo transverso. In vigore autem febris atq; declinatione, contenta illa salutaria & bona sunt. *Tenuia.* *Crassa.*

QVID EX LOCIS CONTENTORUM sit prædicendum. Cap. XIV.

SVbsidentia quæ ad fundum matulæ sedere videtur, bona quidem & moderata, nihil novi significat. Cruda verò atque diversa specie instructa hypostasis, pravitatem naturæ. Diversa verò partium positione, ostendit segnitiem ipsius minus assurgentis adversus rebellionem humorum nocentium, ita ut opus sit & tempore, & robore. Quod verò leve tenueque tertium contentorum locum occupavit, non mediocrem capiti læsionem adesse significat, habens rationem inter contenta nubium. Sublimia si prava sint, loci tamen differentia molestiora sunt, quàm quæ ipsis subsident. Sin aliis rationibus bona fuerint, tum loci ratione sola recedunt à perfe-

cta bonitate, quòd à spiritu adulterino levia redduntur. Nubiũ quæ bonæ sunt omnino, qua nubes sunt, non parum si recesserunt versus distantiam à loco, qui est secundum naturã, multo quoq; indigent tempore. Quæ verò pravæ sunt, eo modestiores videntur reliquis, quo magis recesserunt à loco, qui secundum naturam est, quiq; subsidentiis secundum naturam debetur. Bona contenta, quò inferius descenderint, fundo tamen excepto, eo meliora. Prava contenta, & quæ ipsis insunt, quo superius concesserint, altioremq; tenuerint locum, eo minus mala. Vbi cõtenta, quæ secundum naturam se habent, fuerint ad superficiem urinæ, cum multo spiritu evecta, pravus in capite, neque is quidem exiguus, affectus continetur. Sic in sublimibus, affectum nosces adesse per partes corporis similem positionem habentes, habita proportione totius altitudinis urinæ, erga corporis altitudinem. Hæc autem sunt Hypochondria, viscera, & thorax. Spiritus, qui cum urina excernitur, circa primam concoctionem genitus, si tenuis fuerit, & quantitate mediocri, bullas quasdam inflat, in urinæ superficie, quę mox refrigerata urina dissipantur. Sin crassior & maior spiritus sit, bullæ non statim dissolvuntur, spirituum & flatuum in ventre generatorum signa certissima. In crudis & incoctis humoribus, si contenta apparuerint concocta, multis spiritibus generatis sublimantur, multo calore multã materiam densatam dissolvente. Vbi verò iam à nativa caliditate domita fuerit materia cruda, paulatim descendunt contenta: Spiritus alienus quo fortior fuerit, eo magis versus sublimes partes, materiam propellit. In summa, altitudo urinæ, corpori proportione respondet, ideoq; ad quas partes latitudinis urinæ declinavere contenta, eas in corpore affici indicio sunt infallibili.

Nubes bonæ, & malæ quæ.

QVID

QVID EX INNATANTIBVS IN *urina ramentis, capillis, & aliis corpusculis in urina sparsis prædicendum sit.* *Cap. XV.*

NOnnunquam ramenta quædam, cum contentis conspiciuntur, quæ ad colorem aut rufum, aut album vergunt. Quæ si multa fuerint, semicoctam materiam indicant, illum verò humorem in profunditate corporis abundare, & exagitari, cuius ramenta videntur contentis connatare. Si verò pauca sint, mitiorem huius humoris malitiam, atque malorum ciborum usum producere talia ramenta, demonstrant. Quo maiora fuerint ramenta, eo minorem esse concremationem & ustionem humorum in venis: quo minorem calorem arguunt. Causa horum ramentorum est nimius calor, qui humores ad spissitudinem, & veluti ossis naturam, redigit, ubi in meatubus aliquibus diu immorati, neque dissoluti & extenuati, neque citò per urinas expulsi fuerint. In urina quoque interdum capillis similia natare solent, quæ renum vehementem calorem urentem, aut crassorum ciborum, casei nimirum, usum significant. Capilli autem illi, in iis vasis potissimum procreantur, quæ à renibus ad vesicam descendunt, adeò ut quanta vasorum internorum longitudo est, tanta humoris spissitudo, & assatio fiat, quæ capillis similiter extenditur. Aliquando veluti carunculæ in urina natant, quæ, ut libro sexto, de Laborantibus locis capite tertio, Galenus attestatur, renum exulcerationem ostendunt. Id quod Hippocrates in Aphorismis quoque, iis confirmat verbis: Quibus, cum urina crassa exiguæ carũculæ, aut veluti capilli unà exeunt, iis à renibus excernuntur. Plura ad institutum facientia in nostris super Hippocratis aphorismos

Ramenta quid notent.

Ramentorũ causa.

Capillis similia.

Capillorum generatio ubi fit.

Carunculæ urinis innatantes.

4. Aph. 79.

commentariis reperient ſtudioſi. Si furfurea quædam exeunt cum urina, veſicæ, vel venarum, vel urinariorum meatuum ſcabiem indicant. Quæ ita diſtingues: Si tenuis hoc in caſu fuerit urina, venarum ſcabies notatur, quarum certè tunica ob febris vehementiam laborat. Si verò craſſa, veſicæ tunica excoriata ſignificatur. Hinc Hippocrates loco iam citato ſcriptum reliquit: Quibus in urina craſſa furfurea ſimul prodeunt; iis veſica ſcabie laborat. Qui autem ſanguinem repentè, & ſine cauſa manifeſta mingunt, iis venulam in renibus ruptam eſſe oſtenditur. Quibus in urina arenoſa ſubſident, iis renes, aut veſica, calculo laborat. Qui ſanguinem ut pus mingunt, aut ſquamulas, & gravis odor fuerit, veſicæ exulcerationem hæc omnia indicant. Quæ certè ſingula Hippocrates in Aphoriſmis loco paulò antè oſtenſo, memoriæ prodidit, & poſt hunc lib. 6. de Laborantibus locis Galenus monſtravit. Cæterùm fœtidus urinæ odor, & graveolentia, putredinem maiorem aut minorem proportione ſignificant. Pus autem ubi fuerit, evidens alicuius internæ partis exulcerationis ſignum exiſtit. Et ſi progreſſu temporis, fœtor ac pus minuantur, bonum eſt: ſin augeantur, malum. Si fœtori pus non fuerit coniunctum, alicuius particulæ mortificatio portenditur. Quòd ſi prava ſimul in ſubſtantia & contentis urinarum ſigna apparuerint, mortificationem totius corporis præ ſe ferunt hæc, ac portendunt. Vrinæ interdum innatant quoq; veluti aranearum telæ, nonnunquam etiam in ſuperficie feruntur puncta tanquam ex oleo iniecta, quæ quidem colliquationis totius corporis, aut ſolorum, (ut dictum eſt ſuprà,) renum ſigna ſunt. Quòd ſi parumper apparuerint, nihil grave: ſin diu, principium colliquationis oſtendunt.

4. Aph. 77.

Sanguinea.

Arenulæ.

Pus.

Squamulæ.

Odor fœtidus.

Pus.

Telæ aranearum & puncta oleoſa.

QVID

QVID EX VRINAE CORONA prædicendum sit. Cap. XVI.

COronam, in urina vocant, lineam umbra depictam, quæ ambitum superficiei urinæ circumcurrit. Circulum alii appellant. Quòd si noxii humores fuerint virtute pares; & pari mensura urinas tinxerint, nulla corona evidẽs spectari potest. Verùm si virtus naturalis vicerit, aut victa fuerit, coronæ etiam colores; hoc vel illo modo apparebunt. Si humoris urinę color pravus sit, color autem in corona benignior appareat, signum est salutare. At si urinæ quidem color rufus, rubeus, vineus, aut non dissimilis fuerit color: alba verò, vel albæ similis corona fuerit, bonum, nempe quòd natura iam humoribus dominari incœperit, eosdemq; vicerit portendit. At in viridi & passea urina, si corona peioris sit coloris, cõtrarium & malum significat, nimirum iam pravos humores dominari, ac naturam penè superatam. Si spumea fuerit corona, sensuum internorum perturbationem, tenaces ac lentos humores, ac in vẽtriculis cerebri flatum gigni copiosum ostendit. Sæpiùs coronæ colores, ab urinæ colore variant, & declinant, interdum cum illo urinæ colore conveniunt. Si variant, & declinant ad bonos, urinæ colore existente malo, bonum indicãt. Si verò deteriores sunt, quàm urinæ colores, mali existimandi sunt. Si igitur boni, natura humoribus cœpit dominari: sin mali, humores vincunt, ipsamque succumbere naturam metus est.

Corona quid.

Coronæ color benignior.

QVID EX BVLLIS VRINAE prædicendum sit. Cap. XVII.

BVllæ, quæ adulterini spiritus signa sunt, aliquando per omnem superficiem urinæ apparent: aliquando verò in sola corona. Bullæ

Bullæ urinarum quid?

item singulæ, aut binæ, aut ternæ, aut alio numero sociatæ innatant. Bullæ igitur, quæ in sola corona, integra serie circumsistunt, si colore humoris urinæ tinctæ sint, affectum, doloremq; capiti inesse non mediocrem denunciant: toti quidem, si per omnem circunferentiam ferantur: medietati duntaxat, si per dimidiam coronam innatent. Quæ verò sparsim in corona manent, bullæ hæ à debiliori causa generantur, atq; similiter dolorem, sed mitiorem capitis affectum monstrant. Verùm quo magis rufo aureóve colore imbutæ conspiciuntur, tantò vehementiores capiti dolores adesse ostendunt. Albæ verò, in ambitu coronæ consistentes bullę nullum aut exiguum capiti dolorem adesse indicant. Quòd si tales in urina tenui, & absq; subsidentia apparuerint, renum potius obstructionem arguunt. Id quod Hippocrates confirmat, qui in Aphorismis ita scriptum reliquit:

Bullæ albæ in urina tenui quid significat. 7. Aph. 34.

,, Quibus in urinis superstant bullæ firmæ, & stabiles
,, iis renum morbum, eumq; longum fore significant. Bullæ autem, quæ à corona, versus medium urinæ concedunt, remissionem doloris capitis ostendunt. Aliæ etiam per urinæ superficiem disperse, nihil eiusmodi de capitis affectubus indicant, sed solùm multam naturæ imbecillitatem, obstructiones, & crudorum humorum abundantiam. Sæpenumerò bullæ visæ, cùm pridem non apparuerint, iam naturam cõcoctioni incumbere monstrant. Proinde in febre, declinationem eius, ex iis conjiciemus: nisi initio statim visæ apparuerint processerintq;. Tũ enim capitis non exiguos dolores portendunt, & si in tenui urina seu corona innataverint, etiam periculosos. Cum crassa verò urinæ substantia, bullæ modestiores apparent, & minus gravia significant. Interdum pro bullis non apparentibus sufficiunt crassæ spumulæ, idemque signant, præsertim in febris solutione. Bullæ versus mediam superficiem concedẽtes, remissiones doloris capitis, & fluxum ad pulmonem in sanis & ægris portẽdit, materia scilicet iam evaporata, quæ

Bullæ versus mediam superficiem recedentes.

dolo-

dolorem excitabat, aut iam ad pulmones defluxa. Bullæ maiores & absq; ordine per matulam diffusæ; dolores qui præcesserunt, diminui arguunt.

QVID EX VRINA, CONTENTIS privata, prædicendum sit.
Cap. XVIII.

TEnuissima urina, & vehementer alba sine subsidentia & sedimentis, aut obstructionem non contemnendam, aut immoderatam frigiditatem & cruditatem demonstrat. Si verò illa minora fuerint, etiam horũ significatio modestior erit. Pallida & subpallida minorem obstructionem, non autem minorem cruditatem indicant. Similiter rufa & flava. Nam in ipsis adulterina caliditas, superare videtur. Possunt tamen eiusmodi urinæ ob ingentes dolores, immensa exercitia, longas vigilias, & materiæ defectum contingere. Quæ etiam ulteriùs quàm superiores colorantur, humorum dominantium suis coloribus qualitatem, putredinem aliquam, & cruditatem in genere venarum significant. Est quandoque abscessus quispiam calidus principes partes obsidẽs, qui huiusmodi urinas fundit, attracta illuc materia ab adulterino calore, tanquam à cucurbitula. Nunquam tamen ferè bonum est subsidentiam abesse, minus vero damnatur, si color & substãtia parum à mediocritate abfuerint. Licet enim segnis in præsentia natura sit, subsidentia tamen paulo post apparebit. Quod autem in cruditate nulla visantur cõtenta, causa est quod secunda concoctio non fiat. Sic etiam obstructio viscerum, & meatuum, contenta, cum crassiuscula sint, per angustũ non transmittit. Inediæ, ciborum defectus, aut cibi concoctioni inepti, multæ ventris vacuationes, phlegmone alicuius partis internæ, aut nimia caliditas accumulans sibi materiam, imbecillitas alicuius partis, ad quam natura supervacua propellit, hæc

Vrina contentis privatur quãdoq; ob errores externos, nec quidquam ferè mali significat.

Cur in cruditate nulla videantur contenta.

inquam omnia contēta urinis ut absint efficere possunt. Atq; hæc quidem de urinæ inspectione, & ex ea prædictione, hactenus nos dixisse satis sit. Quòd si verò quispiam uberiorem, & exquisitam planè eius rei tractationem desiderat, is Actuarium, inter recentiores Græcos non postremæ notæ autorem, legat, qui nihil quod ad universam hanc rem spectat, prætermisisse videtur.

Alia contentorum absentiæ efficientes causæ.

QVAE EX EGESTIONIBVS SINT prædicenda. Cap. XIX.

CVM ex egestionibus, multa & varia prædicere possit medicus, quoad fieri potest brevissimè, earundem significationes deinceps exponemus. Principio autem egestio naturalis, & optima, (ut de urinis quoq; iam anteà dictum est,) veluti regula quædam, penes quam reliquæ omnes iudicentur, nobis noscenda venit, quæ quidem in utrā partem deflexerit, concoctionis vitium declarat. Optima igitur egestio est mollis, compacta, cōcretáve, eodem tempore, quo in secunda valetudine assuevit, reddita, & quæ iis quæ ingesta sunt, proportione respondet, ut in prognosticis testis est Hippocrates. Egestio itaq; optima tribus iudicatur, nempe concretione sive consistentia, modo, & tempore quo reddi solet. Consistentiam secundum naturam & naturalem habent; quæ nec prorsus duræ, ut lapides: nec admodum liquidæ, ut diffluere possint: sed eatenus molles sunt, ut compactæ permaneant. Esto autem earum modus, & quantitas, iis, quæ assumpta sunt, conveniens, ac tempus etiam quo æger excernere cōsuevit. Adsint quoque & color, & odor, qualis secundum naturam esse solet. Contrà mala & præter naturam egestio, est quę nimis dura, liquida, aspera, nec ea hora, qua sanitatis tempore consueverat, excreta existit. Mala quoque, quæ vel exquisite rufa, vel nullo modo rufa, sed alba, aut colore similis, cibo ingesto.

Egestionum reliquarum omnium regula.

Egestio optima quæ.

2. Progn. 13.

Consistentia naturalis.

Mala.

Rufa.

sto. Hęc enim cruda est, & nihil bilis in intestina deflu ere, sicut in iis cernitur, qui regio morbo laborant: illa verò plurimùm bilis in ventrem confluere denunciat. Quòd si itaq; circà initia rufa vehementer fuerit egestio, biliosiorem morbum indicat. Sin in declinatione talis excernatur, corpus probè expurgari significat. Insuper viridis egestio, æruginosæ bilis nota est: sicut nigra, vel atra bilis, vel sanguinis in eo loco adaucti. Si verò livida fuerit excretio, internarum partium validum frigus, ac veluti mortificationem monstrat. Pinguis egestio, ubi nihil pingue fuerit assumptum, colliquatæ pinguedinis ab igneo calore, & totius corporis consumptionis indicium est. Viscida & glutinosa, nisi & hęc ex cibi assumpti qualitatibus, & natura talis sit, colliquationis indicium est. Sed quæ quidem pinguis est, ex adipe fit liquato: quæ verò viscida, ex ipsis solidis animantis partibus contabescentibus, adeoq; priori deterior longè existit. Nimis fœtida haud exiguam putrefactionem denunciat: modò graveolentia illi ex cibo assumpto non accidat. Quippe in iam dictis omnibus egestionibus attendendum, nùm vel cibi talis naturæ & qualitatis eas inficientes fuerint: vel intestina ob innatam sibi imbecillitatem defluxione laborare consueverint. Stridens egestio, quæ sic à sono seu crepitu, qui inter egerendum excitatur, flatuosi spiritus in eo, quod egestum est, copiam cum tenui aliqua humiditate, instrumenta verò in unum coacta, & quodam modo compressa, atq; in angustiam redacta ostendit: Hinc est, quòd Hippocrates dicat: Optimum est flatum absq; sono & crepitu exire. Sed eum tamen præstat cum sono prodire, quàm ibi revolvi. Et sic quidē prodiens, hominem vel dolore affligi, vel delirare arguit, nisi ipse fortassis de industria crepitum emittat. Siquidem doloris magnitudine adiguntur, ut ea, quæ nolint, faciant. Delirium in causa est, ut ad ea quæ faciunt non advertant. Cæterùm, si flatus nec minimum abundat, & vasa per quę fertur admodum am-

Viridis. *Nigra.* *Livida.* *Pinguis.* *Viscida.* *Fœtida.* *In egestionibus alvi p.n. ad quæ præcipue attendendum.* *Stridens unde fiat.* *2. Progn. 24.*

Spumosa. pla sunt, in iis sine crepitu egreditur. Spumosa fit egestio, ubi aliquid quod fervet, vel flatuosus spiritus cum humiditate pugnat, sive ex capite in alvum decumbat defluxio. Id quod manifestum fit ex iis, quæ elixantur, & ex mari quod à vento violenter agitatur. Nam in hoc vehemens ventorum flatus, aquam, in multas tenues partes illam concutiendo atterit: in illis nimius calor spumam excitat. *Varia.* Varia egestio, corpus variis ac multiplicibus affectibus obnoxiũ esse, & iis quidem diuturnis & malignis, significat. Quare temporis spacium ad concoctionem requirũt, ut fusiùs lib. 1. de Iudiciis, cap. 11. Galenus docet.

QVID E SPVTO PRAEDICENdum sit. Cap. XX.

Sputa quando & cur medicis expendenda. CVM ea quæ in thorace & pulmone continentur supervacua, non nisi per sputum commodissimè, ut anatomes ratio monstrat, vacuentur, omnibus palàm fit, sputa tum potissimùm medicis esse consideranda, ubi pulmo aut thorax, aut arteria trahea, cæteræq; partes spiritales morbis infestantur. Non solùm verò in ægris, sed & in sanis sputa expendenda veniunt. *Sputũ optimum quod.* Si enim sputum, exquisitè illi, quod secundum naturam est simile fuerit, tunc integram instrumentorum, quibus spiratio ipsa perficitur, sanitatem significat. Si verò aliqua ratione impediatur, & à naturali recesserit habitu, tantum eadem instrumenta læsa esse demonstrat, quantum de naturali forma amiserit. *Morbi tempora ex sputo dignosci.* In morbis verò thoracis, & pulmonis, sputum ideò maximè consideratur, quòd preter alia morbi tempora, ex eo etiam dignosci possint. Quippe si nihil omninò in iis expuitur, summæ cruditatis hæc nota est. Sin humida educi incipiunt, exquisitè tamen cruda, subobscura adhuc & inconstans est transmutatio, & incipiens concoctio, desinitq; tunc prima morbi pars, quæ, ut suprà ostensum est, principium dicitur. Vbi verò pauca concoctaq;

expuun-

expuuntur, continuoque subinde plura, & faciliùs leviusque educuntur, tum morbi incrementum instat. At ubi iam planè concocta plurima & facillimè excreantur, ad vigorem morbum pervenisse, ipsamque instare declinationem iudicandum erit. Vbi tandem simili modo exquisitè cocta, sine omni molestia excreantur, sed pauciora, amoto etiam dolore, æger facilè spirat, leviterq; morbum ferr, tum manifesta declinatio adest. Porrò sputum subflavum, subrufum, leniter spumans, & tenue, solam cruditatem, malum verò insigne nullum denunciat. At syncerè flavum, rufum, spumosum, pallidum, viscidum, rotundũ, atq; iis adhuc magis nigrum, pravum est. Nam syncerè flavum fit propter flavam bilem puram & syncera. Omnis autem humor purus, excepto sanguine, vitiũ quoddam subesse testatur insigne, quippe qui ab inflammato calore ducat originem. Flavum itaque purum sputum fit, humore ipso syncerè bilioso existente. Syncerè rufum itidem à bile fit, cui plurimum ferosi succi torrefacti admistum est. Si verò plus eius bili mistum fuerit, pallidum apparet. Spumosum, viscidum, & rotundum, à pituita adusta gignitur. Atque hinc est, quòd Hippocrat. 6. Epid. sect. 3. aph. 28. rotundum sputum delirium portendere dixerit. Neque enim tale fit, nisi ubi à nimio calore humor lentus afflatur, aduriturque. Nimium autem calorem delirium efficere posse, demonstratione non est opus. Nigrum verò bilioso suprà modum torrefacto humore, atq; in nigram bilem pessimam, & exedentissimam cõversoaut crasso sanguine æquè resiccato: aut propter extinctionem atq; frigiditatem corporis provenit. Cæterùm non solùm color, sed & excretionis sputorum modus, medico attendendus erit. Nam si citò & leviter excreantur, liquidò constat talia salubria esse. Quæ enim citò educuntur, morbi brevitatem indicant. Quod in Aphorismis confirmat Hippocrates inquiens: In pleuriticis sputum, si citò

Sputi colores quid significent.

Syncerè flavũ unde?

Syncerè rufum quam habet causam.

Spumosum viscidum.

Rotundum sputum.

Nigrum sputum.

Modus excretionis sputorum attendendus.

1. *Aph.* 12.

appareat incipiente morbo, eumdem morbū brevem fore ostendit. Quod leviter, id est, promptè & facilè educitur sputum, quòd neque dolor thoracem ullus vehemens affligat, & quòd neq; ipsa imbecilla sit facultas, ostendit. Siquidem dolor impedit, quo minus thorax actionem suam perficere possit. Quod igitur album, leve, æquale, & consistentia neq; tenue liquidúmve, neq; crassum fuerit, absolutæ & perfectæ cōcoctionis nota est. Contrà, quod nigrum, tenue, aut crassum est, malum portendit. Nam tenue liquidúmve cruditatem portendit summam, & ægrè circū spiritum diffluens, expuitur. Crassum, non nisi magna difficultate attollitur, adeoq; longiorem affectū necessario inducit, inq; angustis quibusdā viis sic coercetur, ut quosdam suffocaverit. Lentum, ita partibus adhærescit, ut inde non possit eximi, ac sæpè sublatū intra pulmonis fistulas, glutinis modo adhærens detinetur. Sed de sputis satis.

Quod sputū optimæ cōcoctionis est nota, & character.

QVID EX SVDORE PRAEDIcendum sit. Cap. XXI.

SVdorem esse excrementum eius, quæ in singulis animalis partibus, ipsoq; adeo in corporis habitu toto fit, concoctionis, Galen. lib. 1. de Tuenda sanitate demonstravit. Quapropter idem sudor humorum, qui in universo corporis habitu abundant, nota est, atque eos qui illic sunt affectus demonstrat. Duplicem autem esse sudorem, initio sciendum erit iudicatorium, & symptomaticū. Qui cum signis iudicationis excernitur, iudicatorius nominatur. Qui verò citrà iudicationis signa educitur, symptomaticus dicitur. Prior bonus est, alter verò malus. Qui autem bonus sit, & qui contrà malus, in prognosticis aphorismis suis, Hippocrates luculenter monstravit iis quidem verbis: Sudores in omnibus acutis morbis optimi sunt, si in diebus decretoriis proveniunt, & febrem prorsus vel auferant, vel plurimùm allevient, & im-

Sudor duplex est.
Iudicatorius.
Symptomaticus.
1. Progn. 29

& imminuant. Boni quoque, qui è toto corpore ma- ,, nant, faciuntq; ut ægrotantes faciliùs ferant morbū. ,, Qui verò nihil eorum effecerint, haudquaquam cō- ,, modi videntur. Pessimi autem sunt frigidi, & qui cir- ,, cum caput tantùm, & faciem, & cervicem oriuntur. ,, Isti enim cum febre quidem acuta mortem, cum mi- ,, tiori verò morbi longitudinem denunciant. Hæc ille. ,, In qua utique sententia omnes sudorum differentias complexus est Hippocrates, nempe optimum, pessimum, bonum, & malum. Ad hos enim alii omnes referuntur. Prædictas autem differentias, distinguit penes diem in qua fiunt, locum à quo excernūtur, qualitatem eorundem, & tolerantiam. Penes diem, quòd optimi sint, qui diebus decretoriis eveniunt, & integrè febrem finiunt. Atq; has duas optimi sudoris notas, tertia sudoris boni proprietas, (quam Hippocrates quòd necessario priores cōsequatur, pretermisit,) ut toto è corpore manet, necessario sequitur: fieri enim non potest, ut sudor iudicatorio fiat die, & ægro febrem prorsus adimat, nisi idē ille è toto exeat corpore. Penes locum, quòd boni sint sudores, qui toto corpore prodeunt, & partem aliquam morbi adimūt, adeoq; ut æger faciliùs ferat morbum efficiunt. Mali sunt, qui nihil eorum effecerint quidquam, id est, neque è toto corpore profluxerint, neq; ut æger posteà morbum faciliùs ferat, effecerint. Vt perspicuum sit, sudores illos, quibus nihil tale acciderit, deteriores esse: quibus verò alterum tantùm, meliores. Ex iis rursum meliores esse illos, qui morbum reddunt tolerabiliorem, quamvis ex toto corpore non diffluāt: deteriores verò, à quibus ingravescit morbus, etsi toto corpore sudetur. Atq; ita penes tolerantiam sudores distinxit, Galen. & Hippocr. Cæterùm, omnes ii sudores calidi sunt, eamq; ob causam, dum tres eos ordines statueret Hippocrates, idipsum non expressit: quippe qui ea, quæ necessario alia consequuntur, quæq; facilè ex eorum, quę subjiciuntur, oppositione intelligi possunt, prætermittere consueverit. Pessimi

Sudorū differentiæ principaliores quæ & quomodo distinguēdæ.

Optimus sudor.

Bonus.

Malus.

Pessimus.

autem sunt, qui prioribus opponuntur, frigidi. Atque ita penes qualitatem distinguit. Porrò simul cū pessimis sudoribus malos etiam commemorat, qui circum caput tantùm, & faciem, & cervicem oriuntur etiamsi frigidi non sint. Hi namq; animi deliquium minitantur. Qui sane in partibus istis, si frigidi videantur, omnium pessimi sunt. Neq; enim amplius futuram syncopen, sed iam incipientem leipothymiam ostendunt. Ceterùm ex febris vehementia distinguūtur sudores. Nam si febris acuta est, tàm frigidi illi sudores, etiāsi toto corpore prodeunt, quàm alii qui cervicem tātùm atq; caput, quamvis fortè calidi, occupant, perniciem adferunt. Sin mitis est, tandem vires, vitiosos humores spatio & decursu concoquere poterunt, modò ne prius vehementia febris pessundentur illæ.

DE PVLSIBVS,
SECTIO IV.

QVOTNAM PVLSVS RATIONIS SIve sphygmices partes, quidq; pulsus, & quot eiusdem genera. Cap. I.

Pulsus futura indicant.



Q VUM pulsus perinde atq; urina, sit è numero rerum, è quibus medici futura in morbis præsagiunt, operæprecium me facturum arbitror, si breviter quæ ad pulsus rationem attinent, perstrinxero. Eius autem doctrinæ, quę de pulsibus tractat, quatuor sunt partes. Vna quę φυσιολογική Græcis nominatur, ea quidē est, quæ pulsuum causas genera & differentias ordine percenset. Altera διαγνωστική dicta, quę, qua ratione singuli pulsus cognoscendi & discernendi sint medico, edocet. Tertia αἰτιολογική vocata, quæ singulorum pulsuum causas rimatur, & inquirit. Quarta προγνωστική, quæ, ex

Pulsus rationis quatuor partes.
Physiologica.
Diagnostica.
Aetiologica
Prognostica.

ex pulsibus futura presagire docet. Has ordine prosequemur, ubi primũ quid sit pulsus, & quis eius usus sit exposuerimus.

Pulsus quid.

Pulsus itaque, ut nonnulli definiũt, est motus cordis & arteriarũ sensilis, quo attolluntur, & submittuntur. Alii pulsum finiunt esse cordis & arteriæ indivisibilem seu assiduam sublationem, & submissionẽ. Veteres optimè & perfectissimè pulsum ita finire voluerunt.

Aliæ pulsuũ definitiones.

Pulsus est actio propria, primò cordis, secundò arteriarum, sublatione & submissione motarum, à vitali facultate, propter nativi caloris cõmoderationem conservandam, & animales spiritus in cerebro procreandos, expellandasq; cordis fuligines. Quæ quidem definitio, iuxta Dialecticorũ præceptiones, genere & differentia constat.

Quodnam pulsus.

Genus autem est actio: Nihil autem refert, motionem, an actionem dicas. Siquidem hæc actio non est, nisi cordis & arteriarum motus. Differentia est reliqua, quæ in definitione sequitur, pars cordis & arteriarum, quæ sublatione & submissione moventur. Hæ enim propriæ cordis & arteriarum sunt actiones. Etsi enim alias, in corde & arteriis reperire licet actiones, præter ipsum pulsum, nempe alimenti attractionẽ, retentionem, & id genus alias: hæ tamen illis nõ sunt propriæ, sed aliis partibus corporis quoque communes.

Διαστολή. *συστολή.*

Cæterùm sublatio sive dilatio is motus sive ea actio est, quæ Grecis διαστολή dicitur, quando nimirum cor & arteriæ attolluntur ac dilatantur. Submissio autem Græcis συστολή dicta, est motus, in quo cor & arteriæ submittuntur, ac contrahuntur. Non abs re autem in definitione additur: Primò cordis, secundò arteriarum.

Causa pulsus.

Cordi enim, & arteriis, facultas vitalis, quæ prima, sive effectrix pulsus causa est præcipua, non eodem modo inest. Quippe cordi insita, arteriis nequaquam, sed in tunicas earundem à corde dimanat.

Effectrix. *Instrumentalis.*

Causæ etiam in hac definitione exprimuntur. Effectrix, dum ait pulsum à vitali facultate fieri. Instrumentales duæ, cor & arteriæ. His enim duobus,

veluti instrumentis, ad sublationem & submissionem vitalis facultas in efficiendo pulsu utitur indesinenter. Finales itidē binæ, nempe aëris frigidi attractio & fumidi excrementi expulsio. E quibus manifestum fit, geminum esse pulsus usum. Quippe per sublationem, aër frigidus attrahitur, qui vitale robur excitat & recreat, spiritusque instaurat vitales. Submissione autem, seu contractione, arteriæ. quod ex humorum deustione in toto animante veluti fumidum excrementum contractum est, expellitur. Non autem dubium, arterias, quum se aperiunt ac dilatant, ad se undique trahere: quum verò contrahuntur, in omnem partē expellere. Nam vis & facultas pulsatilis, in ipso cordis corpore, unde contrahitur & dilatatur, in omnes arterias ex eo ortas, per tunicas earundem influens, sic eas cogit, aperitque, quemadmodū etiam ipsum cor, ut igitur illud, quū dilatatur, ea quæ osculis suis appropinquant trahit: & quum contrahitur expellit noxia sic, quoque arteriæ, quum se aperiunt ad se undiq; trahunt: quum contrahuntur in omnem partem expellunt. Numerosi namque meatus in arteriis, partim veluti spiramēta, in earum sunt tunicis, partim osculorum specie, in intestina, ventriculum, & externam hanc cutem finiuntur, per quę aërem frigidum attrahunt, & fumidum excrementum expellunt. Vt hinc pateat, unum respirationis & pulsuum usum finemque esse, nempe caloris nativi in quaque parte custodiam. Quod autem ex respiratione uni cordi præstatur, id ex pulsu, calori, qui est in toto animali adfertur commodi. Vt enim in respiratione per immissum & inspiratum spiritum, nativus qui in corde est calor refrigeratur, idemque per emissum & expiratum purgatur, fumido scilicet excremento expulso: ita dilatata in pulsu arteria, calor qui est in toto animante nativus refrigeratur: submissa autem & contracta, fumidum recrementum ejusdem expellitur. Cujusmodi igitur motio respirationis instrumentis est inspiratio, ejusmodi arteriis est dilatatio.

Finalis. *Vsus pulsus duplex.* *Motionis pulsatilis modus.* *Arteriarū meatus.* *Vnus respirationis & pulsus usus.*

Et

Et cujusmodi eſt illis expiratio, ejusmodi arteriis eſt contractio.

PVLSVS DIVISIO. Cap. II.

PVlſus alii ſunt ſimplices, alii compoſiti, aliæ inſuper ſunt pulſuum relationes & accidentia. Simplicium pulſuum prima genera ſunt quinque, nempe quantitas diaſtoles, ſeu ſublationis, qualitas ſive tempus motus, quantitas temporis quietis, qualitas ſive robur virtutis, qualitas ſeu corpus arteriæ. Adjiciunt quidam quantitatem infuſionis, & qualitatem caloris: Quantitatis autẽ ſublationis reſpectu ſpecies ſunt, pulſus magnus, mediocris, parvus. Qualitatis ſive temporis motus, celer, mediocris, tardus. Temporis quietis, creber, mediocris, rarus. Roboris virtutis, vehemens, mediocris, languidus. Corporis arteriæ, mollis, mediocris, durus. Vt hac ratione ſingulis quinq; generibus, in ternas ſpecies diſſectis, ſimplicium pulſuum ſpecies ſeu differentiæ ſint numero quindecim. Compoſiti autem pulſus ſunt, qui ex ſimplicibus cõſtant, quorum plurimæ ſunt differentię, ex ſimplicibus ſpeciebus compoſitæ & obortæ. Relationes pulſuum intelligere oportet, dum pulſus alii, ad alios totos, vel partes eorũ ad alias partes referuntur, quarũ quidem quinq; ſunt genera, æqualitas, inæqualitas, rhythmus, ordo, & ordinis perturbatio. Relationes autẽ vocantur, quòd de numero eorum ſunt, quæ ad aliquid dicuntur. Quòd autem aliqui quindecim tantùm ſimplicium pulſuum differentias eſſe ſtatuunt, nullo alio fit nomine, quàm quòd ii utiles tantùm medico ſint, & ab eo cognoſcantur. Plenus igitur & vacuus, quia tactu putantur eſſe imperceptibiles, ideo omittuntur. Pari modo calidus & frigidus pulſus, quòd ex iis nihil cognoſcatur, neque illis ad prædicendum utantur medici, itidem prætereuntur.

Simplices. *Diviſio pulſuum.* *Aliæ complures pulſuum diviſiones.* *Compoſiti pulſus qui.* *Relationes pulſuum quid, & cur dicantur.* *Inutiles pulſuum ſpecies.*

DE PVLSVVM GENERIBVS, ET differentiis singulis. Cap. III.

Primum pulsuum genus. PVlsuum genera seu differentias nūc ordine explicabimus. Primum quidem genus, quantitate diastoles sive sublationis dilationísve arteriæ, hoc est, motus quantitate, metiuntur. Vt enim cujuslibet corporis, ita & arteriarum tres sunt dimēsiones: nempe lōgitudo, latitudo, & profunditas. Hujus itaque generis differentiæ octo erūt, longus, latus, altus, magnus, brevis, angustus, humilis, parvus. *Longus.* Longus pulsus est, qui longitudine, mediocritatē excedit: vel qui præter naturam, in longitudine auctus invenitur. *Latus.* Latus est, qui latitudine, mediocritatem excedit. Vel qui naturali pulsu latitudini respectu major reperitur. *Altus.* Altus, qui profunditate mediocritatem excedit. *Magnus.* Magnus est, qui in omnibus mediocritatem excellit: hoc est, longitudine, latitudine, & profunditate auctus est. Contrarii, secundum diminutionem cujuslibet dimensionis, appellantur: *Brevis.* Brevis igitur est, cui decedit longitudo, infrà mediocritatem: vel qui longitudine naturali multò minor est. *Angustus.* Angustus, cui latitudo mediocris decedit: vel qui latitudine præter naturam minor est. *Humilis.* Humilis, cui altitudo naturalis decedit. *Parvus.* Parvus, qui omnibus tribus dimensionibus imminutus est. *Similitudo.* Cæterùm magnum & parvū pulsum medici, rectiùs haud deprehendēt quàm vesicarum, *Quomodo præmissæ pulsus species dignosci poßint & debeant.* follium fabrorum, utrium, uterorum, ventrium, & omnium corporum quæ aliqua cavitate prædita sunt, inspectione. Magnas eorum esse dilatationes distentionésve censemus, quando nimiùm extenduntur, ita ut nulla partium laxitas, in eis deprehendatur. Parvas contrà, quando partes aliquæ laxæ in ipsis supersunt, quæ adhuc distendi possunt. Reliquæ differentiæ ex *Figura arteriæ.* arteriæ figura, quæ teres & rotunda, ferè semper, *Circularis.* hincq; adeò Græcis κύκλος τῆς διαστολῆς, id est, circulus dilatationis, nuncupatur, eò quòd circuli circunferentiam repræsentat, cognoscuntur. Interdum tamen

men arteria eſt acuminata ſive angularis. Nonnunquam etiam jam dictis figuris, diſſimilis, depreſſa ſcilicet, vel plana. Exprimuntur autem hæ tres arteriæ figuræ, ſequentibus tribus characteribus & notis.

1. Circularis 2. Angularis. 3. Depreſſa

B Circu I lus igitur di Z latationis, ta-
ſimul tis partibus ctui ſe ſe offe-

rat, altum & latum ſignificat pulſum. Eodem autem modo, profundus, quo latus, cognoſcitur. Si verò figura angularis ad tactum multum & evidenter ſe extulerit, altum & anguſtum indicat pulſum. Sin parum emineat, humilem & anguſtum. Depreſſa autem arteriæ figura, latum & humilem monſtrat pulſum. Alterum pulſuum genus, ex motus arteriæ, tactui noſtro occurrentis, tempore, quo arteria movetur, ipſeque motus perficitur, ſumptum, tres differentias obtinet, nempe celerem, tardum, & mediocrem. *Secundum pulſuum genus.* Celer igitur pulſus eſt, quum modico & brevi tempore arteria movetur. Vel qui brevi tempore motum ſuum finit ac perficit. Dum igitur ad tactum ſenſeris arteriam quum movetur non diu morari in locis ſuis, ſed celeriore impetu, ferri à ſuperficie in ſuperficiem, quàm pulſus ſit naturalis, is celer erit. *Celer.* Tardus verò eſt, quando longo tempore arteria movetur. Vel qui multo tempore motum ſuum perficit. Dum igitur arteria lentè permutat ſuperficiem, ac diutiùs in locis ſuis remoratur, tardus dicetur. *Tardus.* Atque hic notandum venit, modicū ſeu paucum & multum tempus non ſimpliciter eſſe intelligendum, ſed collatione ad ſpacium, per quod fit motus. *Paucum & multum tempus.* Paucum ſcilicet tempus ad magnū ſpacium, dum celer fit motus: multum verò tempus ad parvum ſpacium, dum tardus fit motus, comparando. Vt verbi gratia, ſi equus unus, uno die octo miliaria itineris conficiat, alter verò viginti, utrumque quidem pauco tempore curſum ſuum peregiſſe dicimus, nempe uno die. *Exemplo res declaratur.* Celerem tamen judicamus eum, qui tantillo tempore viginti

miliaria confecit: tardum verò, qui octo. Moderatus sive Mediocris, est qui medio modo se habet.

Tertiũ pulsuum genus. Tertium genus pulsuum est, quod quantitate temporis quietis systolem & diastolem intercidentis metimur. *Quies.* Quies autem Græcis ἡσυχία, ἠρεμία, ἀκινησία, & διάλειμμα, id est, intervallum & immobilitas dicitur. *Intervallum quid, & quomodo nominetur?* Est autem motus privatio, sive id tempus quod inter duas arteriæ percussiones sive duos ictus intercedit. Hujus tres sunt differentiæ, creber, rarus, & inter hos mediocris. *Crebri pulsus definitiones.* Creber sive densus aut frequens, (nam omnibus iis nominibus Latinis appellatur:) est, cui breve quietis tempus est, vel quum parvum interpositum est intervallum. Vel in quo arteria crebrò distenditur. Vel quando brevi tempore quiescit arteria. *Rarus quid?* Rarus, quum diuturnum est quietis tempus. Vel quum longo tempore quiescit arteria. Mediocris est, qui in medio horũ consistit. Vt autem hujus generis differẽtiæ rectiùs cognoscantur, animadvertendum erit duplicem esse quietem: *Quies duplex.* unam veram, *Vera.* quum scilicet motus arteriarũ planè non fit, nec sentitur: *Apparens.* alteram apparentem, dum motus quidem fit, sed à sensu non percipitur. Est item quies altera *Supera.* supera seu externa, altera infera sive interna. Supera est quæ post distentionem, antequam incipiat contractio, existit. *Infera.* Infera verò quies est post contractionẽ, antequam incipiat dilatatiô seu distentio. Vt autem duplex est quies, ita etiam duplex varietas & crebritas, altera scilicet secundum quietem superam, altera secundum inferam. *Duplex varietas & crebritas, iuxta duplicẽ quietẽ eveniens.* Si enim arteriæ tunica, moratur in eo loco, in quem distẽsione ingressa est, antequam cõtractionem incipiat, diutiùs quàm pulsus naturalis, rarus pulsus: sin brevius moratur, creber secundum externam quietem erit. Si diutius verò deseritur tactus quàm in naturalibus pulsibus, rarus: si verò brevius, creber secundum inferam quietem erit.

Vera quies infera. Quies autem vera infera seu interna, quæ scilicet inter dilatationis principium & finem cõtractionis intercedit, ac media est, nũquam syncera sentiri potest.

Cæte-

Cæterùm ad quietem externam cognoscenda applicatio manus suspensa aptissima est: nullam enim motus partē impedit. Cōtrà interna quies, ut cognoscatur comprimēte applicatione, manus indiget, suspensa nequaquam. Tantum autem comprimendum, quantum per pulsus præsentem vehementiam licet, tactu scilicet prosequendo contractionē quoad possis, ut scias ubi deferatur. Quartum pulsuum genus in robore virtutis consistens, tres differentias obtinet, nempe vehementem, languidum, & inter utrumque medium. Vehemens est, qui tangentis medici manum, validè ferit ac pulsat. Nihil autem refert, validum, robustum, aut fortem eundem pulsum dixeris. Languidus, debilis, remissus, resolutus, sive imbecillis, est qui invalidè, & imbecilliter manū pulsat. Mediocris sive medius, qui in horum medio cōsistit: vel qui mediam quandam ad utrumq; pulsum validum & languidum proportionem servat. Alii vehementem potiùs ita definire malunt, ut sit, qui in comprimente applicatione, evertat tactum nostrum, id est, cutim in pulpis digitorum medici feriat. Languidū, qui à tactu in ejusmodi applicatione evertitur. Medius est, ubi neutrū fit, ut scilicet nec evertat tactum, nec ab eo evertatur. Quinti generis à corpore arteriæ sumpti differentiæ sunt tres, durus, mollis, & moderatus pulsus. Durus est, quum durior ac veluti siccior, coriique modo rigidior in occursu apparet arteria. Mollis, quando arteria in occursu mollior, ac veluti carnosa sentitur. Mediocris, qui medio modo se sę habet. Porrò de numero relationum sic habendum, prima & secunda est æqualitas, & inæqualitas, quæ aut simpliciter seu absolutè, aut certi alicujus generis dicuntur. Aequales absolutè seu simpliciter pulsus sunt, qui nullam habent in suis differentiis inæqualitatem, adeoque neque magnitudinem, neque celeritatem, neque frequentiam, neq; vehementiam, neque mollitiem immutarunt, sed in iis sunt perseverantes. Vel brevius, qui serie continua sibi sunt æ-

Vt quies externa cognoscatur.

Quartū pulsuum genus.

Vehemens.

Languidus.

Mediocris.

Alia vehementis pulsus definitio.

Medius.

Quintū pulsuum genus.

Durus.

Mollis.

Mediocris.

Relatio prima & secunda.

Aequales simpliciter sive absolutè pulsus.

X

quales. Illi verò, qui iis omnib. aut plerisq; immutati sunt, & diversi à prioribus redditi, nō perseverātes in pristino suo statu, inæquales absolutè seu simpliciter dicuntur. Aequales certi alicuius generis, qui vel magnitudinem, vel celeritatem, vel vehementiam servant, appellantur, verbi causa magnitudine æquales, celeritate æquales, vel in alio quovis genere correspondente. Qui vero non iis omnibus simul, sed aliquo ex iis, vel duobus, vel tribus generibus variantur & immutantur, cum nomine eiusdem generis inæquales secundū quid, & comparatè tales nominātur, verbi gratia magnitudine inæqualis, celeritate inæqualis, vel in alio quovis genere. Vtraq; autem harum inæqualitatum, & hæc quæ est certi alicuius generis, & illa quæ absoluta dicitur, in duas secatur differentias, nempe in singularem, & collectitiam, sive congestitiam. De posteriore hac, veluti manifestiore, primo dicemus. Collectitia itaq;, vel ut Græci nominant συστηματική, id est, accumulata, vel congestitia inæqualitas est, quæ in congerie, seu agmine multorum pulsuum reperitur. Hæc duas primas obtinet species, æqualem, & inæqualem. Aequaliter inæqualis est, in qua pulsus æqualiter inæquales sunt, ut si primo pulsu, secundus fit paulo minor, & tanto tertius secundo, quanto etiam quartus, tertio, & pari modo reliqui, donec ad plures ventum sit. Eiusmodi autem pulsus Græcis medicis μύουρος, quasi dicas cauda muris, & μυουρίζων, Latinis decurtatus, & mutilus dicitur. Alii, nullo tamen discrimine hunc pulsum μείουρον vel μειουρίζοντα, id est, imminutum, quod continuo minor spectetur, quandoquidem primo pulsu secundus paulo minor, & tertius secundo, & quartus tertio minor sit, idque ad plures usq; perveniat, nominant. Nomen hoc accepit, quod eius magnitudini continuo aliquid detrahitur, quemadmodum caudæ muris crassities, magis ac magis, quāto longius protenditur, minuitur. Eius autem generis pulsus, iterum bifariam

Inæquales simpliciter.

Aequales certi alicuius generis.

Inæquales certi alicuius generis.

Inæqualium pulsuum subdivisio.

Collectitia. συστηματική

Aequaliter inæqualis.

μύουρος ἢ μείουρος.

Decurtatus.

bifariam dividuntur. Alii enim sunt, qui non cessant diminui, usq; ad defectionem, id est, donec ad quietem, ac immobilitatem prorsus perveniant, & terminentur: & ii Græcis μύουροι ἐκλείποντες, Latinis Myuri seu decurtati deficientes, appellantur. Alii sunt, qui cessant diminui ante defectionem, priusquam scilicet arteria moveri desinat. Et hi in duas iterum secantur differentias. Alii enim sunt qui perseverant in eadem parvitate, ad quam sensim deciderũt. Hi proprio destituuntur nomine. Alii non perseverant in eadem parvitate, sed denuò augentur. Hi μύουροι παλινδρομοῦντες Græcis, decurtati reciproci recurrentésve Latinis vocantur. Redeunt autem ii, aut ad pristinam magnitudinem, aut ad minorem, aut ad maiorem. Atq; hę sunt inęqualium æqualiter fientium pulsuum differentiæ. Nec est cur quispiam miretur, quòd pulsus inæquales, fieri æqualiter dicamus. Quatenùs enim æqualitatem mutant, inæquales dicuntur: quatenus autem æqua mutatione alter ab altero, sensim & gradatim recedit, æqualiter fieri dicuntur. Inæqualiter inæquales pulsus sũt, qui inęquales existẽtes, inæqualiter etiam fiunt, id est, non sensim gradatímve, nec servata ad invicem æqua distantia. Hi sæpissimè ægrotis accidunt, & multæ sunt eorum differentiæ. Alii enim magnitudine dilatationis, inæqualitatem efficiunt: alii celeritate & tarditate: alii crebritate & raritate: alii vehementia & debilitate: alii duritie & mollitie. Atque ii sunt ἀνώνυμοι, id est, proprio nomine distituti. Quidam verò propria nomina habent, qui numero quatuor sunt, intermittẽs, intercidens, intercurrénsve, deficiens absolutus, & deficiens reciprocatus. Intermittens, qui Græcis διαλείπων dicitur, fit quando non solùm in uno, aut pluribus etiam magnis, unus minor apparet, sed nõnunquam totus quoque motus aboletur. Inæqualis igitur est propter raritatem, quia deest pulsus ictúsve unus, vel duo, vel tres, vel plures. Intercidens vel intercurrens, Gręcis παρεμπίπτων vocatus, iã dicto planè con-

μύουροι ἐκλείποντες. Decurtati deficientes. Decurtati reciproci recurrentésve. μύουροι παλινδρομοῦντες. Inæqualiter inæquales. Intermittẽs. διαλείπων. Intercidens. παρεμπίπτων.

trarius est: fit enim quando expectata quiete in medio tanquam supervacaneus aliquis ictus intercidit. Inæqualis igitur est crebritate ac frequentia, quia inter duos ictus intercurrit tertius ictus, veluti supervacaneus. Deficiens, qui Græcis ἐκλείπων nominatur, est quando arteria motu destituitur, ac immobilis ferè manet. Deficiens reciprocus recurrénsve, Græcis ἐκλείπων παλινδρομῶν appellatus, est in quo iterum agitari & moveri arteria incipit, vel æquali vel inæquali magnitudine, &c. Hic affinis est intermittenti: hoc tamen discrimine, quòd deficiens reciprocus post longius fit temporis intervallum, quo arteria immobilis permanet. Intermittens autem uno, vel duobus, vel tribus, ad summũ quatuor pulsibus, rarò quinq; omissis, alios repetit. Atq; hæ sunt collectivæ seu systematicæ inæqualitatis veræ differentiæ. Superest inæqualitas singularis, quæ in uno contingit pulsu. Hæc sive absoluta, sive certo aliquo in genere, ut exẽpli causa, in celeritate & tarditate, duas primas habet differentias. Nam altera est in una parte arteriæ, altera in pluribus partibus, quas plures digiti attingunt. Quæ in una arteriæ parte, sub uno scilicet digito, tres gignit differentias. Prima est, quando motus fit intercisus, seu interruptus quiete interpellante. Hæc fecit pulsus, quos Græci διαλείποντας καθ' ἕνα σφυγμόν, Latini intermittentes in uno pulsu, nominant. Secunda, quando motus est continuus, nulla intercisus quiete, transiens à celeritate in tarditatem, aut econtrà. Hic pulsus Græcis ἀνισόταχύς, Latinis impar citatus, aut simpliciter impar dicitur. Tertia est, cum motu retrocedente, & redeunte. Hæc facit pulsus qui Græcis δικρότοι, ἀπὸ τοῦ δικροτεῖν, à bis pulsando, & Latinis bis pulsantes, appellantur. Nam à dilatatione recurrũt, & antequam perfectè submittantur, secundò pulsant, id est, nondum perfecta distensione cõtractio fit, & mox dilatatio & ictus alius sequitur. Differunt ab illis pulsibus, qui Græcis διαπλήττοντες

Deficiens. ἐκλείπων.
Deficiens reciprocus.
Intermittentis & deficientis reciproci discrimen.
Inæqualitas singularis, & eius differẽtiæ.
1 *Intermittentes in uno pulsu.*
2 *ἀνισόταχύς.*
Bis pulsantes. δικρότοι.
Bis ferientes.

πλήττοντες, Latinis bis ferientes, quòd duos ictus ad digitum faciant, nuncupantur. Nam etsi omnis bis pulsans, etiam est bis feriens: tamen non omnis bis feriens, est bis pulsans. Nam bis pulsans, facta dilatatione, tactum primò ferit, mox submissione exigua facta, iterum post illam dilatata arteria secundò pulsat: licet igitur bis pulset, non tamen ulla est media contractio inter primum & secundum ictum. Bis feriens autem post unum ictum, paucula interposita quiete, quę motum dilatationis dirimit, iterũ tactum secundò afficit, complens dilatationem. Vt bis feriens non sit nisi is, qui à dilatatione recurrit, & antequam perfectè submittatur, secundò tactum ferit. Exemplo res planior erit. Sint duo qui femur punctim vulnerent, quorum alter quidem primo statim impetu, ense ad os usque intruso pungat, eoq; mox modicè retracto, non tamen exempto & educto, secundò eo quo prius modo pungat: alter autem itidem ense impacto, atqui ejus mucrone ad medium tantùm femoris penetrante, pungat, paucula verò mora interposita, ense haud retracto, secundò profundiùs, & ad os usque pungat. Hic quidem uterque istorum bis feriendo pupugit, sed ille contrariis motibus est usus, pupugit enim bis, sed retractione interveniente: hic quoque bis pupugit, atqui citrà ullam retractionem, modicè in medio vulnere remoratus. Galenus simile affert de incude & malleo, quod tamen minimè quadrat, ita ab Archigene deceptus. Quare illud lib. 2. de Præcognitione ex pulsibus damnat, & sui erroris palinodiam canit. Atque hactenus de ea inæqualitate, quæ in uno pulsu fit, & in una parte arteriæ diximus. Nunc de ea inæqualitate, quę in uno quidem fit pulsu, sed in diversis arteriæ partibus, id est, quas plures contingunt digiti, duo videlicet, vel tres, vel quatuor, differemus. Hæc bifariàm primò fit, nunc quidem quum motus continuus manet, & arteria juxtà quosdam digitos citiùs, juxta quosdam verò tardiùs movetur. Cujus quidem plu-

δὶς πλήττοντες.

Simili. Bis ferientiũ pulsuum natura declaratur.

Galenus sui erroris palinodiam cecinit.

Inæqualitas unius pulsus, sed in pluribus partibus arteriæ.

rimæ ſunt differentiæ. Nunc verò motus intercidi-tur, ſeu per quietem interrumpitúr, ut ſcilicet non-nulli digiti motum apprehendant ac ſentiant, non-nulli verò non. Atque hîc iterum multæ exoriuntur differentiæ, quas nominatim recenſere nihil planè attinet. Vt in qualitate motus, ſunt inæqualitatis dif-ferentiæ, ita etiam in qualitate virtutis, nempe in ve-hementia, debilitate & mediocritate. Nam inæqua-litas hæc, aut unam occupat partem, aut plures. In qualitate etiam arteriæ, in diverſis arteriæ partibus inæqualitas eſſe poteſt. Idem etiam in qualitate dia-ſtoles ſeu ſublationis accidit, in qua in diverſis ar-teriæ partibus, ſecundum magnitudinem & parvi-tatem inæqualitas accidit. Ex quo genere ſunt qui μύουροι, id eſt, decurtati in uno pulſu vocantur, & illi qui Græcis ἐπινενευκότες καὶ περινενευκότες, Latinis eminuli & prominuli; ſive nutantes & circumnu-tantes dicuntur pulſus. Si enim ſub digito tangentis primò fit pulſus magnus, ſub ſecundo autem minor, ſub tertio qui eſt ad ægrotantis pollicem, adhuc mi-nor, æqua proportione imminutus, myurus ſive de-curtatus in uno pulſu, ob muris caudæ ſimilitudi-nem, quòd ſcilicet ejus modo minuatur, dicitur. At ſi juxtà medios digitos, magnus, & qui in gibbum ele-vetur occurrens pulſus, utriuſque minuatur minor apparens, Archigeni nutans & circumnutans, aut e-minulus & prominulus appellatur, manifeſtè ſignifi-care volens diſtentionis dilatationisve parvitatem, cum utrorumque extremorum mutatione ac depreſ-ſione. Non enim vt abſciſſis confertim vtrinq; parti-bus, ſed veluti inflexis in arctum anguſtumq; contra-ctus eſt, decurtatus magnitudine in vtriſq; partib. ex-iſtens. Porrò in tempore quoq; quietis inæqualitas eſt, atque in aceruo multorum pulſuum cōſiſtit, dum quietes partim ſunt maiores, partim minores, & ſin-gulares, in uno ſcilicet pulſu in diuerſis arteriæ parti-bus: dum ſcilicet non omnes ſimul moventur, nec ſi-mul

Inæqualitas pulſus in reliquis generibus.

Decurtatus in uno pulſu.

Nutans, & circumnutans.

Eminulus & prominulus.

Inæqualitas in tempore quietis.

mul quiescunt, sed aliæ prius, aliæ posterius motum incipiunt aut desinunt. Huius inæqualitatis quatuor sunt differentiæ recens à Galeno excogitatæ, quas veteres, utpote inutiles, omiserunt. Neque enim ad tactum promptè & exactè percipi possunt, sed tantùm cogitatione. Nec si percipiantur, aliquid ex iis serii prædici potest. Quare non est cur in illis indagandis multùm operæ ponamus. Iam simplices omnes inæqualitates pulsuum, in omnibus quinq; eorum primis generibus absolvimus. Præter has verò est adhuc alia inæqualitas, in situ arteriæ, ubi scilicet partes eius, nōnunquam sursum, nonnunquā deorsum, prorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum trahuntur. Quod ubi fit, efficiūtur pulsus, quos Greci τείνοντας, Latini tensos, alii contortos vocant. Præter iam dictas pulsuum inęqualitates simplices, quę quidem medico utiles sint, aliæ non reperiuntur. Galenus tamen pręter iam commemoratas esse quandam inæqualitatem, ab infusione arterię sumptam, refert. Infusionis autem nomine non intelligit, nisi arteriæ infusam substantiam, id est, humorem in ea contentum, propter quem fit ut plenæ sint aliæ partes, aliæ vacuæ, idq; nulla alia de causa, quàm ut eius ætatis medicis gratificaretur, inter quos tùm magna, de pleno & vacuo pulsu contentio erat. Plenum autem, ut Archigenes illū definivit, esse dicebant eum, qui solidiorem exhibet arteriam, & occursum ipsius humore refertum, adeò ut is non sit nisi qui multùm remittitur, ita ut si prematur etiam arteria à manu, non moveatur eadē. Vacuum, qui bullosam arteriæ sublationem efficit, ita ut digitorum impressioni per vacua, ingressus occurrat. Vel clariùs, eum qui parùm renititur, ita ut si prematur arteria à manu moveatur. Mediocris est, quùm vas mediocriter se se in infusione habet. Galenus quidem in eo libello cui titulum fecit, Introductiones in pulsus, hoc genus pulsus omisit, quod falso ab Herophili sectatoribus sit inductum, sicut alia multa, quod tactu à medico dignosci

Inæqualitatis in tempore quietis sese efferentis differentiæ quatuor.

Inæqualitas in situ arteriæ.

Pulsus tensi.

Infusio quid?

Plenus pulsus ex Archigenis sententia quis?

Vacuus.

Mediocris.

Pulsus plenus & vacuus perpe-

ram à sectatoribus Herophili introductus.

nequeat, idque tribus de causis. Vna, quoniam arteriæ tunica crassa admodum est. Altera, quòd cutis eam tegens, itidem crassa sit. Tertia, quia motus arteriæ perpetuus est, qui omnem in ea contentorum noticiam, perturbat & obscurat. Non potest igitur quod in arteriæ cavitate continetur, tactu dignosci, quòd tunica eius compressione, ob suam crassitiem, cavari nequeat, nec sonitum ullum percipiamus, nec ullam fluctuationem sentiamus. De inæqualitate autem calidorum & frigidorum pulsuum, non est cur multa dicam. Quippe hos pulsus, cognoscere medico parum confert, imò eos scire operæpretium non est. Nam ad calorem & frigus cognoscendum, magis medico conducit tangere ægri thoracem, dorsum, axillas, hypochondria, volas manus, & plantas pedum, quàm arteriam contrectare. Sed de inæqualitate simplici hactenus. Nunc compositas pulsuum inæqualitates, & eas præsertim quib. medici nomina indiderunt, quæ decem differentiis complectuntur, quas ordine explicabimus, persequemur. Primus pulsus Græcis κυματώδης, Latinis undosus fluctuosusúe dictus est, quem duæ potissimùm inæqualitates simul iunctæ faciunt, magnitudo scilicet dilatationis diversa, in diversis arteriæ partibus, & crebritas diversa. Fit enim, ubi non universa simul dilatatur arteria, sed initio pars eius prima, deinde secunda, mox tertia, ab hac quarta, motu non continuo, sed interrupto, manente, in modum undarum fluctuúmve sese elevantium. Vt enim semper altera unda priorem excipit, sic etiam in undoso pulsu aliquarũ partium arteriæ, altitudo, aliarum, humilitas est. Adest illi & remissionis in virtute inæqualitas, quod aliæ partes validius, aliæ debilius feriunt. Nec celeritatis par est progressus, sed aliæ celerius, aliæ tardius cientur. Si undosus totus in parvitatem delabatur, ac tarditatẽ, Græcis, σκωληκίζων, Latinis vermiculans, quòd vermis gressui adsimilis sit, hic arteriæ motus vocatur.

Inæqualitas calidorum & frigidorũ.

1. Vndosus. κυματώδης.

Exemplo ab undis, & fluctibus petito undosi pulsus declaratur natura.

2. Vermiculans. σκωληκίζων.

tur. Nam vermes, quos lumbricos terræ nominant, in modum undarum moventur ac progrediuntur, rependo, non currendo. Vt vermiculans non ſit, niſi quando arteria reptantem vermem, atq; undæ inſtar ſubſilientem nobis repræſentat. A vermiculante igitur undoſus differt dilatationis magnitudine. Vndoſus enim cum magna, vermiculãs autem cum parva & exigua dilatatione accidit. Formicãs, qui Grecis μυρμηκίζων dicitur, ex iiſdem inæqualitatibus, ex quibus vermiculans, conſtãt. Fit ubi multis motibus abolitis & amiſſis, in unum eumq; planè exiguum terminatur. Nomen invenit à ſimilitudine, quę ſibi cum animante formica exiſtit, tùm ob parvitatem, tùm ob motus ſpeciem. Eſt enim is pulſus omniũ minimus, creberrimus, ſimiliter & languidiſſimus, non tamen ut Archigeni viſum eſt celer. Deceptus eſt autẽ eius crebritate, & parvitate. Nam ſicut formica crebrò pedes movet, ſed parum promovet, quoniam exile ſpatium, vix iuſto tempore tranſcurrit umquam, ſic pulſus formicans, parvum motum ægrè, licet crebrò conficiens, falſam celeritatis ſpeciem præbet. Is verò qui Græcis δορκαδίζων, Latinis caprizans dicitur, ex duobus quoq; compoſitus eſt inæqualitatibus. Vt enim ſit caprizans, ſola celeritatis inæqualitas non ſufficit, niſi accedat & vehementia ſecundi motus, maior priore. Eſt enim quiete interciſus, ac deinde velocior apparet. Sic autem à capra, quę Græcis δορκάς vocatur, nominatus eſt. Quippe quemadmodum illa inter ſaliendum, ſublimis hæret, atq; ſecundum motum inopinatum, priore celeriorem molitur: ita hic pulſus, quum aliquantulùm interciſus videtur, deinde multo citatior apparet. Pulſus verò is qui Græcis ἐμπρίων, Latinis ſerratus, vel ſerrans nuncupatur, illam in primis inæqualitatem ſortitur, quæ in uno eſt pulſu, ſed in diverſis arteriæ partibus, motu interciſo. Fit enim ubi alia arteriæ pars dilatata, alia verò minus ſublata, propter ipſius duritiem eſſe vi-

Differentia undoſi & vermiculantis.

3. μυρμηκίζων. Formicans.

Archigenes deceptus.

4. Caprizans. δορκαδίζων.

5. Serratus. ἐμπρίων.

detur. Sic dict⁹ verò est, quòd is q huiusmodi pulsum tangit, imaginem cuiuspiam rei quæ tactum ferrat, percipit. Convulsorius, qui Græcis σπασμώδης dicitur, est, qui utrinq; ab extremis retractus, & protensus, cõvulsusq; videtur, instar chordæ alicuius tensæ sensum præbens. Sunt qui illum retortũ nominent. Turbulentus seu vibratus pulsus, Grecis κλονώδης vocatus est, in quo nihil tale reperitur, sed maior in eo est sublatio: ut partium arteriæ, hæ quidem sursum, hæ verò deorsum uno eodemque tempore ferantur. Quod ita accipiendum erit. Arteria, in vibrato pulsu, exilit suprà, ad cutem scilicet, quam & secum affert, ex sede sua, iterumq; intrò retrahitur, quod nec constituto tempore servat, nec interpollatim, sed uno eodemq; momento, alia pars eius fertur suprà ad cutem veluti circulata: alia intrò ferri videtur, veluti à quopiam retracta, atque validiùs ferit, alia remissiùs, alia tardiùs, alia celeriùs. Quid multa? pulsus convulsivus similis est, dum dilatatur lineis incurvatis modicè, utrinque tensis, hoc modo [figure]. Vibratus verò, lineis multùm inflexis in altum, & acuminatis hac lege [figure] Pulsus hecticus est, qui semper sui similis manet. Quemadmodum enim hectica febris, semper sui similis est: ita quoq; pulsus hecticus, qui mutationem nullam subit, sed constanter idem manet, & quam assumpsit semel, retinet subinde inæqualitatem. Vt igitur hecticus sit, constantia & perseverantia opus est. Nihil autem refert cuius generis, vel speciei, vel differentiæ sit: Cæterùm cor, & arteriæ, in sanis nullo alio ciētur motu sensibili, quàm distẽtione & cõtractione. In ægrotis autẽ sępenumerò tremere & palpitare videtur cor, & arteria. Quum itaq; ad motum cordis & arteriarum proprium, qui pulsus dicitur, accedit vel tremor, vel palpitatio, erit tum motus ex utrisq; compositus, qui à Græcis παλμώδης ἢ τρομώδης, à Latinis palpitãs, aut tremulus appellatur. Hic inter inęquales cõpositos numerari potest,

6. Convulsorius. σπασμώδης. Retortus. 7. Turbulentus. κλονώδης. Vibratus. 8 Hecticus. 9 Palpitans ac tremens.

teſt, quòd tremor & palpitatio inęquales variationes magnitudinis, vehementiæ, & crebritatis efficiãt plurimas. Meminit Galen. & ſtrepentis pulſus. Hic maior & vehementior eſt, cum quodam veluti ſtrepitu ſub digitis, fitq; interdũ cum tenſione arteriæ, interdum ſine tenſione, nõ tamẽ abſq; duritie. Atq; hæc de primis duabus relationibus dixiſſe ſatis ſit. Tertia relatio rhythm⁹ appellatur. Eſt autẽ rhythmus geminus: unus Herophilius, ſic dictus, quòd illum Herophilus excogitaverit, philoſopho magis quàm medico accommodatus. Alter Galenicus à Galeno repertus, medico utilis. Rhythmus autem Herophilus, eſt eorum quæ in pulſu ſunt temporum, ad invicẽ proportio. Proportio verò, Euclide teſte, eſt duarum eiuſdẽ generis quantitatũ, unius ad alterã habitudo & cõparatio. Quùm autem tempus ſit è genere quantitatis, ſi conferas quantitatem unius temporis cum quantitate alterius, ex illa collatione conſtabit, utra alteram excellat, an verò ſint pares. Fuerunt autem de iis temporum proportionibus, quæ ex collatione unius ad alterum noſcuntur, tres apud veteres opiniones. Vna erat eorum, qui contractionem pulſus, ſe percipere poſſe negabant: altera eorũ qui cõtractionẽ ſentire ſe dicebãt: tertia eorũ qui etiã contractionẽ prędicabãt. Pro quibus rectiùs intelligẽdis ſciendũ erit, in quovis pulſu eſſe quatuor tempora. Primũ eſt tempus dilatationis, id eſt, tempus quo arteria dilatatur. Alterum 1
tempus cõtractionis, id eſt, quo arteria contrahitur. 2
Tertium tempus, quietis ſuperæ. Quartum tempus, 3
quietis inferæ. Quæ autem ſit ſupera & infera qui- 4
es, ſuprà quia oſtenſum eſt, ideò hac de re plura di- 1
cere nihil attinet. Primæ opinionis aſſeclæ tempus dilatationis, conferebant cum tempore intervalli, quod Græcis διάλειμμα vocatur. Hoc autem erat tempus, omne poſt dilatationem, quod in ſe tempus quietis ſuperæ, contractionis, & quietis inferæ complectitur. Igitur de horum ſententia

Strepens.

Relatio tertia. Rhythmus.

Proportio quid?

Opiniones de rhythmo tres.

Quatuor in quolibet pulſu tempora.

Intervallum. διάλειμμα.

proportio temporis dilatationis, ad reliqua tria tempora, quæ illi uno vocabulo intervallum vocabant,
2 rhythmus erat. Alterius opinionis homines, tempus dilatationis, cum tempore contractionis comparabāt, & iuxta hos ipsos rhythmus erat proportio temporis motus dilatationis, ad tempus motus contra-
3 ctionis. Tertiæ opinioni addicti, conferebant tempus dilatationis, cum tempore contractionis, adiuncto utriq; motui tempore quietis, quæ ipsum arteriæ motum utrumque sequitur, ita ut quies supera, simul in tempore dilatationis, pars una in collatione fuerit: quies verò infera, cum tempore contractionis pars altera. Celebriores autem præ ceteris erant ii medici, qui secundam tuebantur opinionem, & proportionem temporis dilatationis ad tempus contractionis rhythmum esse censebant. Hi eius duas differentias faciebant, alterum pari proportione constantem, alterum impari ex proportione compositū. Pari, quādo tempus dilatationis æquale, est tempori contractionis. Impari, quando alterum, excedit alterum. Hic igitur vocatur Rhythmus inæqualis: ille verò æqualis. AEqualis sanè rhythmus, qui sanis hominibus competit, magnam latitudinem habet: alius enim longorum temporum, alius brevium, alius plus, alius plurimum, omnes tamē æquales, quoniam neutrum tempus, alterum excedit. Varius est igitur rhythmus in pulsu secundū varia temperamenta, sexus, ætates, anni partes, regiones. Quòd si temperamentum, sexus vel ætas rhythmi proportionē servaverint, εὔρυθμον, hoc est, concinnum seu bonum rhythmum pulsum habere dicetur. Si verò labefactat rhythmum proprium, ætas aliqua, vel sexus, vel temperamentū, desciscendo scilicet, & deflectendo à ꝓprio rhythmo, ἄρυθμον pulsum habere dicetur, id est, malum rhythmum, non qui omni orbetur rhythmo. Fieri enim non potest, ut sit ætas vel sexus, vel temperamentum omninò sine rhythmo. Quilibet enim pulsus, qualiscun-

Rhythmus æqualis.
Inæqualis.
Rhythmi varietatis causæ.
Eurythmus.
Arythmus.

cunq; demũ sit, alicuius rhythmi necesse est. Vt igitur ἄφωνον dicimus esse eum, qui à propria desciuit voce, & malam nactus est vocem, ita arythmus vitium est natiui pulsus, non absoluta abolitio. Eurythmus igitur unus & indiuisus manet, quùm sit secundũ naturam: Arythmus autem in tres secatur differentias. Alius enim est qui destruit suæ ætatis rhythmum, aliũ tamen vicinæ ætatis mutuatur, qui Pararhythmus dicitur. Alius est præterea rhythmus, qui non vicinæ ætatis, sed cuiusuis alterius rhythmum mutuatur, & heterorhythmus vocatur. Alius qui nullius ætatis rhythmum retinet, & hic ecrhythmus nominatur. Alius autem est cum manifesto & certo excessu, alius denique cum occulto & incerto. Si est cum manifesto excessu, id fit aut cum proportione, quam musici Græci πολλαπλάσιον, Latini multiplicem appellant, cuius species sunt, dupla, tripla, quadrupla, quintupla. Aut cum proportione, quam Græci ἐπιμόριον, Latini superpartialem, quam etiam numeri ad numerum appellant: cuius species sunt hemiola, sesquitertia, sesquiquinta, sesquisexta. Occulto autem excessu trifariam fit rhythmus. Aut enim tempus dilatationis, aut contractionis singillatim, & solùm, aut utrũq; occultum est. Occultum tempus seu incertum est, quod Græci ἄῤῥητον vocant, quod adeò est diminutum, ut nulla nota musica, ne minima ♪ exprimi possit. Herophilo tempus primum vocabatur. Iam verò singulatim quodque tempus, contractionis scilicet ac dilatationis, occultũm vel adauctum aliquantulũ vel diminutum, plus vel plurimum. Sed satis de Herophili argutiis, quæ parum fructus, at multum laboris & fastidii lectori afferunt. Nam Galenus in libro de dignoscendis pulsibus tertio, manifestè ait, rhythmorum Herophiliorum rarissimum, aut nullum ferè esse posse usum apud medicos, proinde suos longè faciliores, & utiliores ad cognoscẽdum plurima, quæ in morbis scire expedit. Qui quales sint, iam dicemus,

Pararhythmus.

Heterorhythmus.

Ecrhythmus.

Proportio multiplex.

Proportio superpartialis.

Occultũ tempus.

Tempus primum Herophili.

modò quid ille rhythmū vocarit prius exposuerim.

Rhythmi Galenici. Rhythmus itaq; de Galeni sentētia, est qualitatū motus dilatationis & contractionis ad invicē proportio. *Qualitates motus.* Qualitates autem motus intellige celeritatem, tarditatem, & inter utrasq; mediocritatem. Nō enim solū certæ sunt, quantitatum, (de quarum genere tempus est,) ꝓportiones, sed etiam qualitatum ipsarū. Quippe sic dicimus ex calidi, frigidi, humidi, & sicci elemēti proportione convenienti, factam mistionem constare sanitatē. Sic dulcem saporem, ex certa proportione qualitatum, sic acrem ex alia, amarū ex alia. Sic deniq; & in viridi colore, cæruleo, puniceo, diversæ dicuntur albi & nigri, ac luminis in mixtura proportiones. Nihil igitur absurdi est, si celeritatem & tarditatem dilatationis & contractionis ad invicem, ac earum collationes seu aptitudines varias, ꝓportiones, seu rhythmos nuncupemus. Cuius quidem rei testis est Gal. qui lib. 1. de Spirandi difficultate ita scriptum reliquit: „ Quum inspirationem, expirationi conferimus, „ ut in pulsib. dilatationē, contractioni comparamus, „ rhythmū appellamus. Distāt igitur inter se tempus motus, & qualitas motus. *Qualitas motus.* Hęc enim ex loco arteriæ, illud verò ex figura eiusdem, (ut suprà dictū est,) cognoscitur. *Rhythmi differentia.* Rhythmus igitur seu proportio qualitatis motus, distensionis dilatationísve, & cōtractionis, alia est par seu æqualis, alia impar sive inæqualis. *Aequalis.* Aequalis tres sunt differentiæ.
1 Primus est, in quo dilatatio celeris, & contractio celeris est.
2 Alter, in quo dilatatio & contractio moderata existit.
3 Tertius rhythmus ęqualis, in quo dilatatio & cōtractio tarda est.

Inæqualis rhythmus quottuplex.
1 Inæquales rhythmi sex sunt. Primus est, in quo dilatatio moderata, cōtractio autem celeris.
2 Alter, in quo dilatatio tarda, contractio celeris.
3 Tertius, in quo dilatatio celeris, contractio moderata.
4 Quartus, in quo dilatatio tarda, cōtractio moderata.
5 Quintus, in quo dilatatio moderata, contractio tarda.
6 Sextus, in quo dilatatio celeris, contractio tarda. Atq; hactenus de rhythmo Galenico.

De ordine & Restat, ut de ordine, & ordinis per-

perturbatione dicamus. Pulsibus æqualibus, semper est ordo adiunctus, inęquales verò, alii sunt ordinati, alii inordinati. Ordinati sunt, qui in multis pulsationibus, suam diversitatē observāt. Inordinati sunt, qui non servant diversitatem suam. Diversitas verò est vel magnitudinis, vel celeritatis, vel crebritatis, vel vehementiæ, atq; memoratorum accidentium vel omniū, vel aliquorum ex iis. Vt verbi gratia, sint octo pulsus cōtinuò vehementes, nonus sit debilis: si rursus post nonum sequātur octo vehementes, & nonus iterum debilis, & sic ordine deinceps aliis pulsus in uno genere, vehementia nimirum inæqualis est, sed ordinatus, quoniam servat eandem diversitatē. Post octo enim pulsus vehementes sequitur cōtinuò nonus debilis. At si hæc diversitas varietur, & perturbetur huiuscemodi processus, erit tum quoad vehementiā inæqualis, & inordinatus simul. Eadem ratione si pulsus sint undecim magni, duodecimus parvus: & iterū undecim magni, duodecimus parvus: ac tertiò undecim ex æquo magni, & duodecimus parvus: erit hic pulsus inæqualis magnitudine, collectitia inæqualitate, sed ordinatus. Quòd si confundatur iste pulsuū progressus, ita ut sint quidē nōnulli magni, & aliquis inter eos parvus, nunc octavus, nunc sextus, nunc quartus, erit hic pulsus inæqualis, & inordinatus. Simili modo & in aliis pulsuum differentiis, in quibus omnibus simul si sit inæqualis, non servata continuò eadem diversitate in processu, erit pulsus absolutè inordinatus, sicut & absolutè inæqualis. Porrò inter omnes pulsus oppositos omnium generum, (de quibus antè egimus,) sunt alii medii, qui mediocres nuncupantur: inter ęqualem autem & inæqualem nullus est medius, neque etiam inter ordinatum & inordinatum medius existit, nisi eum qui circuitibus ordinatus est, medium dicere velimus. Est verò huiusmodi pusus, quando, exempli causa, quatuor magnitudine cōtinuò impares sunt, quatuor alii sequentes, proportione pares prioribus, ita ut quintus primo,

ordinis perturbatione. *Ordinati.* *Inordinati.* *Pulsus circuitibus ordinatus.*

sextus secundo, septimus tertio, octavus quarto respondeat, & æquetur. Tales enim pulsus quatenùs ordine continuo destituuntur, inordinati sunt: quatenus verò circuitus similes observant, eatenus ordinati circuitibus dicuntur, qui medii quodammodo sunt inter ordinatos & inordinatos. Talis etiam est, si accidat ut fiant duo magni, & duo parvi, deinde tres magni, & tres parvi, & quatuor magni, & quatuor parvi: & rursus tanquam reflectentes, duo magni, & duo parvi, tres magni & totidē parvi, & deinceps similiter. Nam is quoque pulsus, quatenus ordine continuo destituitur, inordinatus est: quatenus autem circuitum quendam observat, ordinatus secundum circulum sive circuitum dicitur.

DE PVLSVVM CAVSIS.
Cap. II.

Causæ. Causæ pulsuum aliæ sunt primariæ, seu generationis, aliæ secundariæ, sive alterationis, & mutationis. *Primariæ. Continentes.* Primariæ seu principes pulsus causæ sunt tres, facultas, instrumentum, & usus. Alio nomine continentes dicuntur, quòd pulsuum essentiam contineant. Hæc enim vis & natura est causarum continentium, quòd nulla mutari potest, quin etiam effectus ipsarum simul immutetur. *Facultas.* Facultas, à facultate efficiendi pulsus, ita nominatur, *Instrumentū.* Instrumentum, est arteriæ corpus, quod densis ac spissis constat tunicis, & intus cavum est. *Vsus quis & quottuplex pulsuum.* Vsus, finis est gratia cuius pulsus fit. Fit autem tùm propter nativi caloris conservationem, quæ efficitur dilatatione refrigerante ac flabellante, contractione verò quod fuliginosum est excernente, tùm propter spiritus animalis nutritionem, *Diastole quid præstet.* ad cuius generationem, dilatatio idoneam materiam, id est, aërem trahit. Facultatum autem alia est robusta, alia imbecilla. Instrumentorum aliud molle, aliud durū, aliud mediocre. Vsus alius est au-

ctus,

ctus, alius diminutus, alius mediocris. Cęterùm è numero causatum secundariarum sunt, quæ non generationis, sed mutationis sive alterationis iam genitorum pulsuum causæ existunt. Vel quæ pulsus efficere non valent, alterare autem possunt. Alterandorum itaq; pulsuum, non generandorum, secundariæ dictæ sunt causæ, veluti ætas, sexus, anni tempora, regiones, balnea, cibi, potus, exercitationes, somnus, vigilia, & aliæ id genus, quas medici res non naturales vocant, itẽ morbi & symptomata. Has pulsuum causas Galenus in externas, & præcedentes digerit. Externas vocat, quæ extra corpus positæ, aliquid eorum quæ in corpore sunt alterant, ut frigus, calor, vinum, cibus, & iis similia omnia præcedentes, quæ corporis affectus sunt, & causas continentes movent, ut cutis densitas, retentio evaporationis, & febris, quia hæ omnes alterant usum pulsuum, ipsamq; vim afficiunt pulsatilem. Porrò causæ primariæ aliæ edunt pulsus, Græcis ἰδίους καὶ ἀχωρίστους, Latinis proprios & inseparabiles dictos: & præter hos etiã familiares, quos Græci οἰκείους vocant. Aliquę autem familiares tantùm edunt. Proprii & inseparabiles pulsus sunt, qui ab una & eadem causa primaria proficiscuntur. Familiares verò, qui à pluribus primariis causis, nempe duabus, vel tribus nascuntur. Facultas robusta proprium & inseparabilem pulsum edit vehementem: cum hoc verò alios familiares magnum, celerem, rarum. Imbecilla facultas proprium efficit pulsum languidum: cum hoc verò alios familiares etiam pulsus edit, nempe parvũ, tardum, crebrum. Instrumentum molle, proprium edit pulsum mollem: cum hoc alios familiares, magnum, celerem, rarum. Durum instrumentum, generat proprium pulsum durum: familiares verò, parvum, tardum, crebrum. Usus auctus, id est, calor in corde exuperans & increscens, nullum proprium edit pulsum: familiares tamen habet magnum, aliquando magnũ & celerem, & rarum: nõnunquam magnum & celerẽ simul, & crebrum. Usus diminutus, proprium nullum

Secundariæ causæ sunt res non naturales.

Externæ causæ quæ.

Præcedentes.

Pulsus proprii, & inseparabiles.

Familiares.

Facultatis.

Magni, vehementis, duri, celeris, crebri horumq; contrariorum causæ.

Instrumenti.

Aucti pulsuum usus quisnam.

itidem obtinet: sed ei familiares sunt parvus, interdum parvus simul & tardus, aliquando parvus simul & rarus. Dum itaque usus augetur, primùm quidem magnus fit pulsus: ubi verò magnitudo usui non suffecerit, mox etiam celeritas ei accedit. Quòd si nec hæc cum magnitudine satisfecerit, statim frequentiam assumit, oriturque pulsus magnus, celer, & frequens. Decrescente usu, primùm recedit crebritas, secundò celeritas, postremò magnitudo. Contrarius enim est recessus pulsuum familiarium adventui. Primùm igitur erit perspicua raritas, deinde si magis adhuc imminuatur usus, tarditas apparebit: sin adhuc maior, parvitas succedet. Hæc autem accidunt, ubi per solum usum auctum vel imminutum pulsuum fit alteratio, nulla alia causa primaria vel continente, à pristina natura sua desciscente. At ubi non solùm usus, verùm etiam facultas mutatur, & à mediocritate recedit, quatuor tum in universum differentiæ sive coniugationes diversæ erunt. Prima, si facultas admodum imbecilla sit, & usus multùm auctus, parvi & tardi pulsus, creberrimique fiunt, & languidi. In modico excessu, in magnitudine & celeritate moderati, crebri, & languidi. Secunda, ubi facultas est imbecilla, & usus diminutus, pulsus parvi & tardi, sicut prioris coniugationis, sed non æquè ut illi, creberrimi fiunt. Quòd si facultas omnino prostrata sit, pulsus minimi, intermittentes, & deficientes prodibunt. At si modicè infirma sit, validaque refrigeratio, seu admodum imminutus usus, creber minimè evadit pulsus, utiq; quòd sufficiat eiuscemodi facultas usui. Tertia coniugatio est, si facultas valida, cum diminuto usu coierit, pulsus, magnitudine moderati, sed tardiores & manifestè rari, maximè ubi præpollet refrigeratio, fiũt. Nam quum sit parvus tum pulsuũ usus, universamq; magnitudo dilatationem facilè tueatur, rectè sanè diutissimè quiescit arteria. At nec tarditas multũ eadẽ de causa pollet. Siquidẽ valens facultas, naturalẽ motus mensuram servat, etiamsi nõ postulat usus.

Duarũ causarum, nempe facultatis & usus mutatio quos faciat pulsus

Prima coniugatio.

Secunda.

Tertia.

uſus. omnino enim ut manifeſtè pulſus minor evadat, magnopere diſſolutũ oportet uſum eſſe, frigorẽ admodum exiſtente. Quarta coniugatio, quũ ſimul robuſta facultas, & uſus auctus eſt, pulſus magni, celeres, crebri, & vehementes comitantur. Quòd ſi plurimũ calor increſcat, maximi, celerrimi, (quoniã crebri cũ magnis nõ ſatisfaciunt tantæ neceſſitati, tãtoq; calori contemperando) pulſus fiunt. Porrò, ubi uſus ſimul, cum inſtrumẽto à ſtatu naturali mutatur, quatuor etiam coniugationes pulſuũ diverſæ fiunt. Prima, ubi uſus eſt auctus, inſtrumentũ molle, fiunt pulſus magni & celeres, non ſtatim tamen crebri, verùm ubi generandorũ eorum uſus ſuperaverit magnitudinem dilatationis. Si mollities autẽ præſtet, magnitudo etiã vincet celeritatẽ. Si abundet calor in tãtum, ut uſum actio complere nequeat, celeriores ut fiant neceſſe eſt, quã maiores pulſus, ſimulq; etiã crebros. Vbi verò naturæ ſatisfaciat uſus, æquè magni ac celeres fiunt Secunda, quãdo uſus diminutus, & inſtrumentum durum eſt, fiunt pulſus minores & tardiores. Si ſuperat durities, minores quàm tardiores. Sin refrigeratio, tardiores quàm minores. Ad eundem modũ crebriores, ſi durities refrigeratione ſuperior ſit. Sin vincat refrigeratio, rariores. At ſi par fuerit utriusq; à natura receſſus, tãtò reddentur minores, quantò tardiores. A raritate verò, & crebritate naturali non abducet. Tertia pulſuũ cõiugatio, ubi uſus auctus & inſtrumentum durum, in modico à natura receſſu facit pulſus magnitudine moderatos, celeres, crebros. In magno verò utriusq; receſſu, celerrimos, creberrimos & minores iuſto, non interim minimos, niſi facultas ſimul laboret: ſed hic de trium cauſarũ concurſu minimè agitur. Si immodicus calor ſit, & inſtrumentum nõ magnoperè durũ, erunt pulſus maiores, celerrimi, creberrimi. Si enim verum eſt quod anteà oſtendimus, duro inſtrumento familiarem eſſe parvum pulſum: (ægrè ſiquidem dura dilatantur corpora:) aucto verò uſui, familiarem eſſe pulſum magnum, meritò

Quarta. *Inſtrumenti & uſus mutatio quos habeat pulſus.* *Prima.* *Magni & celeris.* *Secunda.* *Minoris & tardioris.* *Rariores.* *Tertia.*

maiores, in isto statu, fiunt pulsus, sicuti quoties præpollet durities, parvi. Semper enim pulsus similior est, causæ in aliarum causarum coniugatione vincenti. Quarta coniugatio est, ubi usus imminutus, instrumentum molle, in ea pulsus fiunt magnitudine moderati, rari, & tardi. Quando autem facultas, unà cum instrumento à natura recedunt, quatuor erunt coniugationes. Prima, facultas robusta cum instrumēto molli, eademq; pulsus facit maiores, tardiores, rarioresque. Secunda, facultas imbecilla cum instrumento duro, parvos pulsus, tardos, & crebros concitat. Tertia, facultas robusta cum instrumento duro, in modico & æquali utriusq; causæ recessu, facit pulsus in omnibus generibus moderatos, hoc excepto, quòd sint duriores. At si excellat durities, parvi, celeriores, crebri. Quarta, facultas imbecilla cum instrumento molli, in parvo utriusque causæ recessu, facit pulsus in omni genere moderatos, præter hoc quòd sint molles ratione arteriæ mollis. In recessu verò immodico, parvos, tardos, crebros. Quòd si mollities præpolleat, pulsus proximè ad moderatos accedent. Facilè enim est paulò imbecilliori facultati molle vas undiquaque extendere, & citò locum mutare. At si durities vincat, impeditur tunc distensio, & necessario sunt crebriores pulsus, proptereà quòd parvitas dilatationis non sufficiat usui. Restat ut iam dicamus de recessu à naturali constitutione, omnium trium causarum pulsus continentium. Harum quidem octo sunt coniugationes. Prima, facultas robusta, usus auctus, arteria mollis: hæc facit pulsus magnos, celeres, crebritate mediocres. Cæterùm etsi non diximus vehementes & molles, hoc tamen semper statuendum est, à facultate robusta edi pulsus vehementes, atque à tunica arteriæ molli, molles. Quòd si immodicum sit usus incrementum, crebri quoque pulsus fiunt & velocissimi. Secunda trium continentium causarum coniugatio, facultas robusta, usus auctus, instrumentum durum. Parva si duri-

Quarta.

Facultatis & instrumenti mutatio quos faciat pulsus.

(Margin numbers: 1 beside "rarioresque", 2 beside "mento duro", 3 beside "tat. Tertia", 4 beside "leriores, crebri. Quarta", 1 beside "rum quidem octo", 2 beside "crebri quoque pulsus")

durities est, pulsus nascuntur maiores, celeriores, crebriores. Si autem æquo, utraque causa, intervallo deflexerit à natura, eoque modico, fiunt tunc pulsus magnitudine naturales, celeriores, crebriores. Tertia, 3
facultas imbecilla, usus imminutus, instrumentum molle, facit pulsus minores, tardiores, crebritate moderatos. Quòd si facultas magnoperè sit læsa, & plusquàm aliæ pulsus causæ immutatæ erunt hic pulsus parvi, tardiores, crebriores. Quarta, facultas 4
imbecilla, usus diminutus, instrumentum durum, edunt hæc pulsus parvos, tardos, crebros. Non tamen horum pulsuum parvitas, tarditas, & crebritas perpetuò similis est, sed pro excessu unius causæ vario, vel duarum, vel trium erunt variæ alterationes intensiores, vel remissiores. Si enim duæ causæ, vel tres plurimùm à natura recesserint, in hoc quidem casu nihil mirum est, si pulsus sint minimi, tardissimi, creberrimi. Fiunt autem tales etiam pulsus, si facultas sola summè lædatur. Nam per unam causam quæ prorsus læsa est, pulsubus sæpè extrema alteratio accidit, quod copiosiùs libro primo de Causis pulsuum Galenus monstrat. Quinta coniugatio, facultas ro- 5
busta, usus imminutus, instrumentum molle, pulsus efficit magnitudine moderatos, tardiores, rariores. Si verò admodum sit remissus pulsuum usus, minores, tardi, & rari, fiunt pulsus. Sexta, facultas valida, 6
usus diminutus, instrumentum durum, facitque hæc coniugatio pulsus minores, celeritate & crebritate moderatos. In magno verò usus & instrumenti recessu, à naturali statu minores, tardiores, rariores. Duritie verò instrumenti superante, cum magno usus à natura recessu, erunt parvi, tardiores, & crebri. Crebri autem ideo, quòd parvitas necessitati non satisfacit. Septima, facultas imbecilla, usus auctus, instru- 7
mentum molle, præeunte usu antè alias duas causas, & talis quidem coniugatio creat pulsus maiores, celeriores, crebriores. Mollitie verò superante, reliquas duas causas, moderatos magnitudine, celeritate, &

crebritate. Facultate verò præ cęteris laborãte, parvos, tardiores, crebros. 8 Octava, facultas imbecilla, usus auctus, instrumentũ durum, pulsus efficit parvos, tardos, crebros. Insigniter omnibus tribus causis læsis, minimi, tardi, creberrimi accidũt pulsus. Tardi, ob imbecillã facultatẽ: minimi eandẽ ob causam, & propter instrumenti duritiẽ: creberrimi, quia necessitas urget. Usu verò ante alias duas causas modicè aberrantes, præeũte, pulsus fiũt maiores, aut moderati magnitudine, celeriores interim & crebri. Maiores, & nõ magni, propterea quòd durities instrumẽti magnitudini multũ resistit. Celeriores verò, quoniã facultas paulò imbecillior, cogẽte usu celeriores facit motus, prout potest, nõ tamẽ celeres. Crebri, ideo ut necessitati satisfiat. Et quanto maior imminet necessitas pulsandi, labascit aũt facultas, tãto magis viget crebritas. Parvitas aũt tanto insignior nascitur, quãto instrumentum est durius, & facultas imbecillior. Hactenùs magni, vehemẽtis, duri, celeris, crebri, horumq; contrariorũ causas exposuimus. superest igitur ut alti, humilis, lati, angusti, longi, & brevis pulsus causas explicemus. Causæ igitur horũ singulorum sunt unius, vel duarũ cõtinentium causarũ à natura recessus, cum aliquibus concausis. Concausæ autẽ sunt, quæ non faciunt, nec cõstituunt effectũ, sed sine illis tamen effectus nõ fit umquam. Tales autem causæ in generatione iam dictorum pulsuum sunt quinq;, nempe crassities & gracilitas corporis, locus seu spacium circa arteriam, gravitas superiacentium partium, & formationis proprietas. Alti igitur pulsus causa est facultas robusta, usus auctus: concausæ crassities corporis mediocris, locus circa arteriam strictus, angustus. Quippe dum spacium in quo movetur arteria fuerit ob corporis crassitiem exile, necessitas autem cogat magnam fieri dilatationem, facultate non refragante, arteria quùm non habeat quò se liberè dilatet nisi cutem versus, pars eius quæ cute tantummodo obducta est, liberiùs præ cæteris aliis eiusdem partibus extendetur,

Concausæ quinque.

Alti pulsus causa.

tur,

tur, aliæ autem adnata carne vel adipe impediuntur. Quare quatenùs eſt arteria ſoluta, & cute duntaxat obducta, non poterit illius motus non præſtare cæteris, quod nihil aliud eſt, quàm altum fieri pulſum. Quòd ſi igitur facultas robuſta, uſus etiam auctus, locus verò circa arteriam contrà amplus fuerit, pulſus non altus, ſed magnus, quoniam libera eſt arteriæ in longum & latum diſtenſio, orietur. Humilis pulſus cauſa continens eſt facultas imbecilla: Concauſa craſſities corporis. Adeps enim & caro profundè demergunt & pellunt arteriam, ſe ſe debiliter attollentem. Fit etiam ſæpiùs is pulſus & in macilentis & obeſis corporibus ex naturali formatione, quia natura profundè inſervit arteriā, ut extima ejus pars vix attingatur, obliqua nequaquam. Lati pulſus cauſa eſt facultas non ultrà modum languida. Concauſæ verò locus amplus, & gravitas ſuperjacentium partium. Quum enim facultas robore ſuo deſtituatur, & amplum ſit circa arteriam ſpacium, ſublimis verò pars arteriæ deprimatur pondere cutis incumbentis, quia rugoſa eſt eadem, ut in ſenibus: vel tunicæ arteriæ, quæ ſupra modum irrigua eſt, ac madet, & copioſo humore imbuta eſt, ut accidit in hydropicis: Oportet ut partes arteriæ ſublimiores delabantur demittanturque, partim in cavitatem arteriæ, partim in obliquum ferantur. Quatenus igitur deorſum demittuntur, eatenus aſcenſu prohibentur. Atque tunc equidem augetur latitudo, diminuitur autem altitudo. Anguſti & longi pulſus cauſæ, facultas infirma durities inſtrumenti: concauſæ verò gracilitas corporis, ſubtilitas cutis, & ficcitas. languida enim facultas non poteſt diſtendere arteriam duram in latum: anguſtus igitur & longus fit pulſus. Gracilis autem corporis habitus, & cutis ſubtilitas longitudinem ejus detegit. Brevis, fit propter pinguedinem, & corporis carniumque craſſitiem. Reſtat ut quæ ſunt inæqualitatis cauſæ exponamus ſummariè. Collectitiæ igitur inæqualitatis

Humilis.

Lati pulſus cauſa.

Anguſti & longi.

Collectitiæ inæqualitatis cauſæ.

causæ cõtinentes sunt facultas imbecilla, instrumentum læsum, vel ineptum, vel utrumque. Vsus verò alteratio, nunquam causa ejus est unica, & solitaria. Fieri enim non potest, ut tàm subitò usus pulsus varietur, quàm subitò inæqualitas pulsuum tactu percipitur, quemadmodũ copiosè ab initio libri secundi de Causis pulsuum Galenus monstrat. Porrò instrumentum trifariam ineptum redditur. Primò, propter compressionem seu adstrictionem, quæ fit, dum loca in quibus moventur arteriæ, occupantur ab humoribus, quos ut molestos facultas studet vehementibus, magnis & celeribus motibus propellere: aut propter tumores prẹter naturam arterias obsidentes. Si enim loca arteriæ circumjecta, quæ in hoc creata sunt, ut eam dilatatam excipiant, aliud corpus insederit, non possunt per illud arteriæ restrictæ & compressæ satis dilatari. Quapropter jam violenter & vehementer agere facultas cogitur, rejicere & propellere studens illa, quæ suum instrumentum obsederunt, ac motu prohibuerunt. Secundò, propter obstructionem à crassis & viscidis humoribus commissam, qui arteriis magnis ac orificiis earundem insignibus, qualia sunt in illis locis, ubi ex magnis arteriis diversi rami propagantur, impacti sunt, factam. Tum enim liber transitus, spiritibus, per suos canales haud datur, proinde variam inæqualitatem nasci est necesse. Tertiò, propter plenitudinẽ, sive sanguinis copiam, in venis aut arteriis contentam. Nam copia illa in venis contenta, arterias, utpote venis adjacentes, illarumque individuos comites, haud secus ac tumor præter naturam, premit & constringit. In arteriis autem contenta, spirituum, liberum transitum impediunt. Tunc enim quia nec allicere spiritum, nec reddere valent, diversas simul ac difficillimas faciunt imbecillitates. Facultas autem invalida ad suum opus redditur tribus modis: Primò, quia in omni opere gravatur, adeoque plenitudine ad vires vocata oneratur, licet ex se se sit satis robusta. Atque tum facit pulsus inæquales

Instrumentũ trifariã ineptum redditur.

Compressione.

Obstructione.

Plenitudine.

Facultas trifariam imbecilla & invalida fit ad opus suum.

quales anonymos. Secundò, quia est distracta, seu irritata. Distracta verò fit per duplicem cordis intemperiem, vel alios diversos affectus, quos molestè fert facultas. Reperiuntur enim nōnunquam partes cordis, vel aliorum membrorum, aliæ calidiores, aliæ frigidiores: illæ magnos, celeres, crebros, vehementes exposcunt: hæ verò parvos, tardos, raros, languidos pulsus habent. Fit itaq; vicissitudo omnium pulsuum, & inæqualitas. Prodeunt & dicroti. Tertiò infirma facultas efficitur, propterea quòd temperamentum, vel cordis, vel membri cujus pulsum attrectas, dissolvitur intemperie. Quòd si igitur modica sit intemperies, fiunt pulsus parvi, tardi, rari, languidi. In majore, myuri reciproci: in maxima, myuri nō reciproci. Vltrà quam si adhuc recedatur, prodibunt intermittentes: in longinquiore recessu deficientes: ultimò asphyxia, id est, pulsus privatio, vel vera, vel apparens, ipsaque mors. Vera autem asphyxia est, quando motus arteriarum perit. Hæc in vivum animal non cadit. Apparens, quando tactui nostro nusquam arteriæ motus sentitur, imò omnis in omnibus membris occultatur. Inæqualitatis singularis, duo esse genera diximus, alterū quod fit in una parte arteriæ, alterū in pluribus partibus. Quod in una parte arteriæ fit, tres habet species, intermittentes in uno pulsu, impares citatos, & dicrotos. Causæ omnium intermittentium sunt eædem genere, quæ & inæqualium collectitiorum, sed efficaciores multò, & deteriores. Nam si quæ compressiones, obstructiones, aggravationes, multiplices intemperies, & infirmitates ipsis adsunt, oportet esse majores. Nam hæ non sinunt nedum integros pulsus, quales videre est inter intermittentes collectitios, confici, sed ne pártes quidem eorum integras: dilatationes enim ipsorū pulsuum, quietibus admixtis intersecantur. Quamvis autem pravi sint omnes intermittētes singulares, sunt tamen eorum pravitatis excessus intensiores ac remissiores. Quorum enim motus uterque, ante quie-

Pulsus privatio.

Vera.

Apparens.

Inæqualitatis singularis causa.

Intermittentium singularium.

tem scilicet, & post quietem, fiunt celeres, optimi sunt: pessimi tardi: medii, bonitate moderati. Qui verò intercedunt inter medios & extimos utrosque, tantum bonitate vel pravitate pollent, quantum cum eis participant. Nam posterior pars motus, si fuerit tarda, prior celer, indicat plus gravari facultatem humorum abundantia, si verò hæc fuerit ejus causa, quàm si uterque motus fuerit celer, qui attestatur facultatem reniti & repugnare, ac sese attollere adversus copiam humorum. Additur autem ad bonitatem bonorum, si non solùm fuerint celeres, sed etiam magni, & vehementes. Præterea si quies, quæ eos dissecat, fuerit exigua. Hæc enim declarant facultatem strenuè contendere, cùm morbo ejusdemque causis. Pravitatem verò auget parvitas, debilitas, & diutina quies eos dissecans. Hæc enim omnia si adfuerint uni pulsui intermittenti, ab humorum copiâ, & colluvie prosterni facultatem denunciant, si causa fuerint ejus inæqualitatis, vel obstructionem insignem prope cor esse, vel compressionem, maximas & plurimas arterias obsedisse. Hoc verò intermittentib. singularib. additur, quòd usum seu necessitatem urgentem semper comitem habent. Nisi enim usus adauctus, urgeret ac cogeret, facultas multitudine humorũ onerata, aut obstructione impedita, aut compressione obsessa, aut ex resolutione languidâ, nunquam conaretur secundum motum post intersecantem quietem aggredi. Pulsus inæquales singulares in una arteriæ parte, absque quiete intersecante, dum scilicet priores partes motus sunt celeriores, posteriores verò tardiores: vel econtrà priores tardiores, posteriores autem celeriores, motu continuo perseverante, non intersecto per intermediam quietem, ἀνισοτάχεις, id est, impares citatos, appellari diximus. Atque horum alii æqualiter suam inæqualitatem conficiunt, alii inæqualiter. Hi omnes easdem causas quas intermittentes singulares obtinent, sed non tot numero, nec tàm sævas & insignes.

Imparium citatorum causa.

Oriun-

Oriuntur enim ex obstructionibus, vel compressionibus, sed minus difficilibus quàm intermittentes: ab onerata etiam facultate, sed minus quàm intermittentes. Non enim æquè malum est alterari motum, & interrumpi vel dissecari quiete media. Non temerè autem dictum est, easdem istorum esse causas, sed non tot numero quot intermittentium. Nam à resoluta seu debilitata facultate, sæpè intermittentes fiunt, at imparium citatorum nullus: siquidem omnes magni sunt. Quoniam verò ex imparium citatorum numero, quidam sunt, qui motum dilatationis subitò ad contrarium mutant, ubi scilicet prior pars motus fuerit celer, secunda tarda: vel è diverso, prior tarda, posterior celer: scire oportet ejusmodi pulsus non simplices inæqualitatis causas habere, sed compositas, easque plurimas. Id est non tantùm à gravata facultate proficisci, sed adesse simul obstructionem, vel adstrictionem instrumentorum, non equidem fixam, sed facilè permutabilem. Quî enim fieri posset tàm magna & subita mutatio ex solo gravamine facultatis, quod parvo momento temporis rejici non potest? Dicrotorum pulsuum causa est, inæqualis intemperies, vel cordis, vel arteriarum, non qualiscunque: siquidem ejus est magna varietas. Partes prætereà cordis quædam sunt multùm calidæ, mundæ tamen: quædam verò multis fumosis vaporibus refertæ, id est, immundæ. Atque tum ad oppositos fit provocatio. Calidæ enim partes mundæ, refrigerationis indigæ, cordis dilatationem appetunt. Immundæ verò, ut se expurgent, eodem tempore contractionem majorem, quàm diastolem desiderant: fiet igitur dilatatio & contractio diversimodè, pro diversa alterutrarum partium victoria. Vincentibus enim partibus mundis in caliditate, conficitur dilatatio: Sed conceditur nihilominus aliquantula etiam contractio immundis partibus. Tum autem dicuntur vincere partes, dum vel plures sunt, vel intemperatiores multò.

Dicrotorum causa.

Inæqualis intemperiei cordis varietas.

Vincere quando dicuntur partes.

Contractio autem, vel retrahit dilatatam arteriæ tunicam, antequam perfectè distendatur, vel dum non perfectè dilatata est, vel toto dilatationis tēpore: aliæ partes tunicæ nituntur dilatari: aliæ eodem tempore contrahi, superantur tamen à dilatantibus contrahētes, quæ remorantur dilatationem. Sic igitur diversæ partes cordis, diversimodè affectę dilatant & contrahunt sese, arteriarumque tunicas dilatari ac contrahi cogunt, prout refrigeratione vel expurgatione indigent. Sed præter causam calidam mundam, & calidam immundam, reperitur alia quæ non simplex, sed duplex est, dum scilicet partes cordis alię sunt calidę, aliæ frigidæ. Hæ moliuntur parvos, tardos, raros pulsus: illæ verò maiores, celeres & crebros efficiunt pulsus. Quæ igitur plures sunt, & potentiores multo, cogunt totum cor & arterias pro sua ratione moveri. Est & tertium genus inæqualis intemperiei cordis, quæ etiam duplex est, non unica, dum scilicet substantia cordis est calida, contenta verò in ventriculis eius, materia frigida: vel econtrà, substantia cordis frigida, contenta verò in eo materia calida. Quando igitur tanta est caliditas substantię cordis, quanta frigiditas contentorum: vel econtra tanta est frigiditas substantiæ cordis, quanta caliditas contentorum, fiet pulsus magnitudine, celeritate, & crebritate moderatus. Si verò intemperies substantiæ cordis & contentorum non æquos gradus habeant, contrariarum utrinq; qualitatū, sed excellat, modicè tamē, vel cor, vel ea quę in corde cōtinentur, nascentur pulsus inæquales collecticii & singulares. Sin suprà modū excellat, fiet pulsus continuus, pro ratione vincentis. Eadē ratio est vicinorū cordi, nempe pericardii, pulmonis, arteriæ magnę, & membranarum, quæ in corde contentorum constitutionis natura. Cæterùm inæqualitatis singularis in diversis arteriæ partibus, causę sunt vel facultas imbecilla, vel copia humorum, vel extrema instrumentorum mollities, unum ex iis, vel plura. Facultas enim imbecilla ex corde in arterias derivata, &

Inæqualitatis singularis in diversis arteriæ partibus causæ.

ta, & promanans, non poteſt pari firmitate totum vas attollere, ſed propinquiorem ſcaturienti fonti, id eſt, cordi partem, magis & citius attollit, ac vehementius: remotiorem autem tardius, & minus, & debilius, donec vis quæ in priore parte erat, permeet etiam ad poſteriorem: quæ aucta robore, ex minore in maiorem, ex tardiore in celeriorem, ex debiliore in fortiorem motum proſilit & convertitur. Copia autem humorum impedit facultatem remorando, detinendo, dirimendo, & ſcindendo, continuum eius progreſſum & motum. Non enim ſinunt æqualem eſſe motum pulſus humores, ac eo potiſſimùm loco quo affluunt. Quapropter fit, ut in quibuſdam partibus, motus maior, celerior, & vehementior: in quibuſdã minor, tardior, languidior: in quibuſdam etiam minimus, ut ſenſu percipi nequeat, ac veluti quiete interruptus appareat. Inſtrumentum autem ſuprà modum molle, quòd tunicæ arteriarum tum multa humiditate ſint imbutæ, non poteſt æqualiter omnibus partibus moveri ac dilatari, propterea quòd flaccidũ corpus ineptum ſit ad motum æqualem. Partes enim eius cordi proximæ attolluntur, aliȩ verò interim flectuntur, & contrahuntur. Pulſus myuri ſingulares, cauſam habent imbecillam facultatem, quæ remotioribus partibus à corde parcius affunditur, propioribus uberiùs. Quapropter propiores cordi partes hoc in caſu, magis diſtenduntur, remotiores minus: & quanto partes longius diſtant à principio ſuo, tanto minores motus edent. Atq; hæc quidem cauſa eorum pulſuum continens eſt. Concauſa verò gracilitas eſt corporis, quæ in longum detegit arteriam, alioquin caudam muris non repræſentaret. Eminulorum, ſeu prominulorum cauſa, eſt aliquando inæqualis intemperies partium arteriæ diverſarum. Facultas enim à corde diffuſa in arteriarum tunicas, tẽperatis quidem partibus melius & expeditiùs ad motum utitur: intemperatis verò deteriùs. Nam ab eadem & æqua facultate pars arteriæ temperata, quæ

Facultas imbecilla.

Inſtrumentũ ſupra modum molle.

Myurorum ſingularium cauſa.

Eminulorũ, ſeu prominulorum cauſa.

debitum calorem & humiditatem retinet, facilius & magis movetur: quę verò supra modum est sicca, vel humida, vel calida, vel frigida arteriæ pars, difficiliùs & minus movetur. Quando ergo pars arteriæ inter attrectantes digitos media, fuerit melius temperata, utrinq; verò partes intemperatæ, maior erit dilatatio mediæ, quā partium utrinq; adiacentium. Est & altera eminulorum pulsuum causa, quæ sæpiùs comperitur in ægrotis quàm prior: facultas scilicet imbecilla, & macies partium quæ ambiunt arterias. Qua igitur in parte est tenuissima cutis, & propterea levissima: (est autem hęc media, cui nulla caro adnascitur:) ibi plus se arteria exerit & dilatat: in partibus autem utrinque mediæ parti adiunctis, quia non sola cutis est, sed caro etiam, licet marcida, necesse est minorem fieri dilatationem. Aegrè enim ferunt debiles arteriæ onus superiacentis carnis. Tenduntur autem arteriæ, quoniam tunicæ earum trahuntur. Trahunt autem partes sibi vicinas, non solùm arteriarum tunicas, tumores omnes præter naturam, phlegmones, scirrhi, apostemata, & cruda tubercula. Sicut enim chordæ dum exarescunt, sic & arteriæ trahuntur evidenter. Frigus quoq; immodicum, instar gelu contrahit: item convulsio, & calida ac sicca intemperies. Cæterùm æqualitas, semper habet ordinem adiunctum sibi velut comitem: inæqualitas verò, aliquando sibi adsciscit ataxiam, nonnunquam ordinē. Ordo igitur in qualibet æqualitate à fixa, stabilita, & firma causa inæqualitatis fit, quæcunque illa sit ex numero earum quas huc usq; recensuimus causas. Ataxia verò fluxilem, mutabilem, & infirmam comitatur. Reliquum est ut undosorum, vermiculantium, & formicantium pulsuum causas exponamus. Hos autem procreat facultatis imbecillitas, & humorum copia, vel summa instrumentorum mollities. Quia verò undosus maior est, & celerior, quàm vermiculans, idcirco undosum à copia humorum enasci certum est: vermiculantem verò, ab imbecilla facultate,

Eminulorū pulsuum alia causa.

Inæqualitatis in situ.

Ordo.

Ataxia.

Undosorum, vermiculantium, & formicantium. causa.

quæ

quæ arteriam uno eodemq; tempore totam attollere nequit, sed attollit partem, post partem eamq; exiguam, non sicut in undoso magnam. Cùm autem undosus in vermiculantem degeneret pulsum, multoties hoc evenit, quia facultas (quæ priùs erat gravata in undoso,) nunc & gravata, & dissoluta est in vermiculante. Non semper tamen undosus degenerat in vermiculantem: sæpè enim transmutatur etiã in intermittentem, & in variam inæqualitatem. Fit quoq; vermiculans sæpè, licet eum undosus nõ præcedat pulsus ob insignem, ut iam dictum mollitiem. Quûm verò vermiculans commutatur in formicantem, tanto magis dissolutam facultatem esse tunc cõjiciendum erit, quanto formicans est minor. Formicantis igitur eadem est causa, quæ vermiculantis, sed auctior & gravior. Caprisantis causa est facultas valida, impedita aut copia humorum, aut compressione, vel obstructione arteriarum, ut cõtinuum motum efficere nequeat. Cogitur enim paulisper remorari ac subsistere in ipso motu: sed recollectis viribus, dum conatur obstaculũ suum superare ac ejicere, vehementiorem edit motum secundum, quàm primum. Comitatur etiam caprisans pulsus interdũ inæqualem cordis intemperiem, quæ distensionem impedit. Serrantis pulsus causæ sunt facultas onerata, instrumentũ durum, usus auctus. Si enim facultas gravata non esset, nec ipsa inequalitas singularis, quę in serrante pulsu reperitur, adesset. Instrumentum verò durum in eo est, non ex siccitate arteriæ, sed ex eiusdem tensione, à repletione cõcitata. Tendi enim oportet arterias, in hoc pulsu, ob phlegmonem quæ partes nervosas obsidet: partes verò nervosæ magnã cum arteriis communionem habent, propter fibras, quæ ex nervis, ad arterias enascuntur. Quia verò aliæ partes arteriarũ magis sunt appositæ, phlegmoni secundũ rectitudinem, alię minus, idcirco alię plus, alię minus tendũtur. Vsus verò auct⁹, id est, calor augmẽtatus, cogit quidẽ arteriã multũ attolli, quod tamẽ ob duritiem fieri nequit, partim etiam ob affectã facultatẽ,

Formicantis.

Caprisantis.

Serrantis.

Proinde aliquæ partes attollentur, plus, aliquæ minus. Quoniam autem eodem tenduntur tempore universæ arteriç partes, prodit illa imago ſerrati tactus.

Convulſivi. Convulſivi pulſus cauſa eſt nervorũ convulſio. Nam dum nervi contrahuntur, contrahuntur ſimul & arteriæ. Magna enim eſt nervorum & arteriarum ſocietas, non ſolùm quòd fibras arteriæ, à nervis accipiant, ſed etiam quòd ſinguli ramuli arteriarum & nervorum invicem ſint coniuncti & complicati. Ferè enim cuilibet arteriæ infrà, vel ſuprà, vel ad latus nervus atque vena adhæret.

Vibrati. Vibratum pulſum tres cauſæ ſimul efficiunt, facultas valida, inſtrumentum durum, neceſſitas ingens, id eſt, uſus auctus.

Vſus auctus. Vſus autem auctus non eſt, ut diximus, niſi caloris augmentum, vel animalis ſpiritus exhauſtio ac diſſipatio. Quùm enim alterum horum adſit, vel utrumque, maxima diſtenſione opus eſt: dum verò nihil aliud repugnat, quominus magna diſtenſio fiat, præter duriciem arteriç, modò valida facultas ſit, neceſſe eſt ut flectatur in altum, & veluti frangatur arteria dura: ac qua in parte frangitur, eatenus acuminatur. Iam verò acumẽ aliud attollitur, aliud demittitur, quia facultas potens, urgente neceſſitate, loco maximæ & æqualis diſtenſionis, quã in molli arteria facilè præſtaret, nunc hanc, nũc illam partem arteriæ duræ, in acumẽ flexæ, ſurſũ tollit.

Palpitantis. Palpitãs pulſus cauſa eſt flatuoſa. Siquidẽ palpitatio non fit, niſi à flatu in membro occluſo, qui exitum quærit, & agitat continentia membra tãdiu, donec vel reſolvatur, vel violenter exploſus in cognatum ſibi aërem expiret.

Trementis. Trementis pulſus cauſa, eſt facultatis imbecillitas.

Hectici. Hectici pulſus cauſa, eſt facultatis imbecillitas. Hectici pulſus cauſa, eſt affectus in ſolidis partibus fixus, qualis eſt maraſmus, tabes, pulmoniſve ulcus, & hectica febris.

Strepentis. Strepentis pulſus cauſa, eſt durities arteriarum, vacuitas earundem, & facultas valida: concauſa verò eſt ſpacium in quo movetur arteria, aëre, non humore refertum. Quemadmodũ enim fides & chordæ, ſi molles ſunt

& udæ,

& udæ, non sonant ad citharam: sic & arteriæ molles. Sunt verò arteriæ repletæ spiritibus, aëre & sanguine tenuissimo, sed aliis plus, aliis minus. Quòd si parum sanguinis in se habeant arterię, amplum erit spacium spiritibus, & aëri interno. Facultas autem valida ictũ faciens vehementem, aut saltem non languidũ, quatiens aërem, & spiritum, strepitum excitat. Atq; hactenus causas pulsuum continentes ac concausas, qua potuimus brevitatē percēsuimus. Restaret nunc, ut causas secundarias commemoraremus. Quùm verò has ipsas Gal. lib. 3. de Caus. puls. ordine & perspicuè admodum tradiderit, & Iosephus Struthius (è quo, ut ingenuè fateor, multa mutuatus sum; quòd in compendium eá quæ Galenus diffusè docuit redegerit) librum hunc commentariis illustrarit, non est cur hic de iis verba faciamus; sed ad eam partem quæ ex pulsibus futura prædicit, accedamus. Duplex autem est providentia ex pulsibus. Vna secundùm genera pulsuum; dum docetur; quid quilibet pulsus singulorum generum, significet: altera secundùm loca, qua docemur, quem pulsum edere solet quilibet locus affectus, horumq; morbus. Magnus pulsus permanens ac perseverans; morbum inesse calidum significat. Vbi ex robore facultatis proficiscitur, magnus est simul & vehemens. Si ex mollicie instrumenti, magnus & mollis existit. Si ex aucto calore, magn⁹, sed caret vehemētia, & mollitudine. Parvus pulsus, si à facultatis imbecillitate prodit, erit parvus simul & languidus. Si ab instrumento duro, erit parvus simul & durus. Si neutrum adsit, nec durities, nec languor, caloris imminutionem & debilitatem significat. Celer in sanis sine magnitudine, significat exercitia immoderata, vel balnea immodica, vel quãpiam aliam nimis calefaciētem causam, quæ vires atrivit, atq; spiritus dissipavit. In ægrotantib. verò morbum calidum, qui iam vires labefactavit. Tardus pulsus imbecillam esse facultatem, si simul fuerit languidus, significat. Simul durus est, si instrumentum durũ

Causæ pulsuũ secundariæ.

Iosephus Struthius.

De providẽtia ex pulsibus.

Magnus pulsus.

Parvus.

Celer.

Tardus.

fuerit. Vſum verò diminutum, ſi tardus duntaxat fuerit, indicat. *Creber.* Creber, in ſanis, calidas temperaturas: in ægrotis verò morbos calidos. Sæpè etiam imbecillam facultatem, quę magnos & celeres pulſus, edere nequit. Nonnunquam etiam inſtrumentum durum, quod diſtenſioni ineptum eſt declarat. *Rarus.* Rarus pulſus in ſanis frigidius temperamentum: in ægrotis autem frigidos morbos ſignificat. Ingentem igitur cordis frigiditatem, vel ſpirituum & ſanguinis qui in ſinibus cordis continentur, præ ſe fert calorem imbecillum, qui ſi diutius duret, unà parvus efficitur. *Vehemens.* Vehemens pulſus, robur facultatis ſignificat: & quo eſt vehementior, eò meliora ſperanda erunt. Si tamen vehementiæ limites excedat naturales, non vigorem virtutis, ſed irritationem expultricis, à cauſa morbida annunciat. *Languidus.* Languidus contrà, debilitatem facultatis commonſtrat: & quantò eſt languidior, tantò maiorem virium defectum ac deſtitutionem atteſtatur. *Mollis.* Mollis pulſus, arteriæ humiditatē ſignificat & repletionem. *Durus.* Durus vel ſiccitatē, vel congelationē, ſive adſtrictionē ex frigore, vel tenſionem præ ſe fert. *Rhythmus.* Rhythmus æqualis moderatus ſignificat, corp⁹ bonis ſuccis refertum, ac temperatum probè. Pręter hunc verò alii rhythmi tanto impuriora & minus tēperata indicant corpora, quanto ab eo magis deſciſcunt. *Intermittēs ſyſtematicus.* Intermittens ſyſtematicus debilem facultatem denotat. Qui duorum pulſuum tempora, intermittēdo tranſigit, eſt pernicioſiſſimus, & vix quiſpiam liberatur ex huiuſmodi diſcrimine ſtatu exitioſo. *Deficiens.* Deficiens pulſus altiorem gradum, & periculoſiorem debilitatem facultatis indicat. *Aſphyxia.* Aſphyxia, & omnimoda privatio pulſus, omnium ſymptomatum eſt horrendiſſimum, & certus mortis internuncius, modò à momentaneis cauſis gaudio, metu, &c nō enaſcatur. *Intercurrens.* Intercurrēs pulſus omnium ex ſyſtematica pulſuum claſſe ſecuriſſimus eſt. Fit autem, dum à copia humorum oneratur cor, vel arteriæ: aut dum hæc obſtruuntur, vel comprimuntur. Promittit intercurrens, bonas iudi-

cationes

cationes in morbis, & mox futurę salutis fidus est te-
stis, si alia consentiant. Intermittens singularis, proxi- *Intermittens singularis.*
mā denunciat mortē, pręsertim qui pravior est. Myu-
rus, defectum virium, & gracilitatem corporis. Di- *Myurus.*
crotus, impuritatem & putredinem humorum, à qua *Dicrotus.*
fuliginosorum vaporum plurimum effertur, deno-
tat. Ordo, certus index est boni, vel mali. Boni qui- *Ordo.*
dem, in bonis pulsibus, & bonis inęqualitatibus. Mali
verò, in contrariis. Ataxia sive ordinis perturbatio *Ataxia.*
incertus est index boni & mali. Omnis enim eius re-
putatio & æstimatio, est & ex bonitate eius cui adest,
vel malicia pendet. Vndosus pulsus morbos nimio *Vndosus.*
humore solidas partes irrigantes: quales sunt febres
pituitosę, quotidianę, & typhodes, id est, madidę: hy-
dropes, præsertim anasarcas, in quibus nullo scyrrho
induruerunt viscera, indicat. Vermiculans pulsus, *Vermiculans.*
corpora spiritibus esse inanita ac destituta, ex nimia
aliqua vacuatione, denotat. Significat & pulmonem
nimia scatentem humiditate, non ab initio, sed attri-
tis iam viribus, atq; putrescente pulmonis substantia.
Formicās, multò vermiculante est perniciosior. Nam *Formicans.*
in febribus quæ diuturnitate temporis exhauserunt
vires; certus est mortis nuncius. In febribus igitur
lentis ac parvis formidabilis omnino est. Caprizans *Caprizans.*
superiorem esse naturam, morbo indicat, & victoriā
de ipso promittit. Serrans quanto est manifestior, *Serrans.*
tantò deterior. Manifestiorem autem ipsum faciunt,
nimia arteriarum tensio, & durities. Hæc ambo in-
gentem tumorem phlegmonosum esse testātur, quæ
longa coctione indiget. Convulsivus, qui à nimia *Convulsivus.*
vacuatione evenit, deterior est: qui repentè & statim
ab initio morbi fit, minus malus. Vibratus pul- *Vibratus.*
sus in sanis non est incommodus. Invadit subi-
tò à somno expergefactos, vel perculsos, & à quo-
piam terriculamento irritatos turbatosque. In
ægris, vel magnam phlegmonem, vel tenacissi-
mam obstructionem, vel convulsionem portendit.

Palpitans. Tremens.

Palpitans, in pituitosa febre laborantibus, sine tamen omni periculo, apparet. Tremens, syncopes, & postea mortis omen est. Hecticus, morbi longitudinem significat, ut nomen ipsum prodit. Strepens semper

Strepens.

durus est, inanitionem, & vacua vasa demonstrat, & nec ipse tutus est. Ceterùm nunc restaret, ut quos quilibet singularum corporis partium affectus, quibus cor consentiens miris modis pulsum immutans, edat pulsus, explicaremus. Verùm quia hoc perspicuè Galenus lib. 4. de Prædictione ex pulsibus tradidit, non est cur hîc actum agamus. Satis autem erit, si brevitatis ergò, qui in febribus pulsus sint, commemoremus.

Febrium pulsus.

Distinguuntur autem febres caloris subiecto. Nam aut in spiritibus consistit, & vocatur diaria: aut in solida cordis substãtia, & hectica nominatur: aut in humoribus delitescẽs, putrida dicitur febris. Diariæ pul-

Diariæ.

sus, sunt magni, celeres & crebri. Febris igitur omnis, à magnitudine pulsus incipiens, est diaria. Hæc quia facultati parum incommodat, vehementiam motus, à pulsu non adimit, nisi ex accidenti, dum scilicet vel in stomacho humor aliquis mordax existit, vel copiosus cibus aut mæror facultatem debilitans. Hecticæ

Hecticæ.

pulsus sunt parvi, celeres, crebri, lãguidi, hectici. Nam in hectica, facultas ob intemperiem cordis ægrè valet, & usus augetur. Quare ut aucto usui satisfiat, celeritas præstò est, laborans autem facultas magnum & vehementem pulsum fieri non permittit. Putridæ

Putridæ.


febri propriũ & inseparabile est Galeno teste, ut arteriæ submissio sive cõtractio celerior efficiatur, quàm dilatatio. Quùm itaq; in diariis & hecticis febribus, dum simplices sunt, & solæ, purus sit calor, ideò solùm exposcit refrigerium, quod distensio dilatióve arteriarum suppeditat. At putridarum calor, quia fumosus est, qui & refrigeriũ requirit, & fumosorum ac fuliginosorum excrementorum expulsionem, ideò distensionem facit quidem celeriorem, sed contractionem longè celeriorem, adeoq; rhythmũ in pulsu destruit, eumq; inæqualem reddit. Multò enim con-

tra-

tractio arteriarum celerior eſt, quàm diſtenſio. Proinde rectiſſimè Galenus impares citatos pulſus, in febribus putridis naſci, quòs ſæpiùs propriam febrium inæqualitatem eſſe ſcribit. Quid multa? Inæqualitas rhythmi, & externa crebritas proprium eſt ſignum, & inſeparabile putridarum febrium. Impares vero citati pulſus proprium etiam earundem ſignum, ſed ſeparabile: quoniam nec ſemper, nec omnibus ineſt. Licet autem omnes putridæ febres, propter auctum calorem, ut in augmento acceſſionum magnos, celeres & crebros edant pulſus neceſſe eſt: tamen pro humorum putreſcentium diverſitate non ex æquo eiuſmodi ſunt omnes illarum pulſus. Biliosæ enim febres, habent pulſus magnos, celerrimos, creberrimos, aliarum comparatione. Melancholicæ minores, tardos, rariſſimos, reſpectu aliarum. Pituitoſæ minimos, æquè tardos, ut melancholicæ, ſed non æquè raros, molles. Magnitudine igitur & celeritate excellit alias febres, bilioſa, parvitate ac mollitie pituitoſa, raritate melancholica. In omnibus autem febribus peſtilentialibus, propter ferocitatem ſpiritalis efficaciæ, quæ infringit vires, neceſſariò fiunt pulſus parvi, languidi: tantum verò celeres & crebri, quantum urget auctus calor, ipſaq; permittit facultas. In diariis tamen, & humoralibus febribus peſtē redolētibus, pulſus minus languidus, imò ſic aliquando robuſtus & vegetus, ut det ſpem bonam ſalutis. Atque hæc hactenus pro inſtitutionum ratione ſufficiant. Qui plura deſiderat, is Galenum, qui omnia ad pulſus rationē ſpectantia accuratiſſimè tradidit, conſulat.

Febrium putridarum proprium, & inſeparabile ſignum.

Peſtilentialium febriũ pulſus proprij



INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER V.

LEONHARTI FVCHSII AVTHORE.

DE CVRANDI RATIONE.

QVID INDICATIO, COINdicatio, & contraindicatio.

Cap. I.



Bsoluta ea medicinæ parte, quæ præteritorum, præsentium, & futurorum prædictionem tradit, atque Græcis σημειωτική appellatur, ad ultimam eiusdem partem, quæ θεραπευτική iisdem nominatur, eò quòd curandi methodum seu rationẽ doceat, nobis progrediendũ erit. Cùm autem omnis medendi ratio ac methodus per indicationes fiat, & ab indicationibus initium sumat, principiò quid sit indicatio, trademus. Est igitur indicatio, ut lib. 2. Metho. medendi, cap. 7. docet Galen. sequentis, sive agendi iuvantisq; præsidii insinuatio: aut breviùs, ordinis repræsentatio, vel explicatio rei agendæ. In lib. de Optima secta indicationem definit

σημειωτικῆς διαγραφή.

Indicatio quid.

Indicatio

definit esse, comprehensionem seu cognitionem iuvantis, unà cum comprehensione nocentis, cum re indicante simul advenientem, idq; sine observatione, & ratiocinatione. Quo verò pacto hæc definitio sit intelligenda, lib. 1. harum Institutionum sectione 1. capite 8. copiosè à nobis monstratum est. Ad hunc igitur locum, ne de una & eadem re bis nobis disserendum sit, lectorem ablegamus. Differt itaque maximè indicatio ab observatione & ratiocinatione: quòd ea, quæ per indicationem comprehenduntur, in præcedente aliquo, ut libro secundo, Methodi medendi testatur Gal. nempe in natura rei curandæ, aut conservandæ sunt designata: percepta enim natura eius, quod nos ad agendum movet, protinùs etiam unà cum eo quid agendum sit, & quid fugiendum, ex consequenti quodam intelligimus, quasi digito ostenderetur, quod quærimus. Vnde certè indicationis nomen deductum est. Vt enim qui digito quid agendũ, & qua via sit incedendum nobis ostendit: sic etiã natura rei cognita, cuius gratia ad aliquid faciendum impellimur, quid eligendum, quidve vitandum sit, & quid primò, secundò, tertiò, & sic deinceps moliendum sit agendumq; nobis, demonstrat. Ergo ex ipsa rei natura ordiri, atque ab ipsa, quod sequens sit, citrà observationem sive experientiam, & ratiocinationem invenire, idem est quod indicatione invenire præsidia. Verùm experientia sive observatio, rerum naturam non expendit, sed longo rerum usu sese tuetur. Ratiocinatio tùm supervacua est, quòd rei natura proposita, statim quid conferat, aut quid obsit, citrà mediam ullam ratiocinationem agnoscamus. Analogismo autem id quod iuvat percipitur, quando causa quidem ignoratur, nullaque observatio habetur, sed affectus quàm simillimus ex symptomatis est. In huiusmodi enim ab indicatione, quod confert, colligi nequit, causa enim ignoratur. Observatione autem nulla facta, symptomatũ similitudinẽ intuentes, ad simile transire cogũtur medici.

Indicationis aliæ definitiones.

Indicatio, ab observatione & Ratiocinatione quomodo differat?

Indicatio unde dicta.

Indicatione invenire.

Experientia.

Per analogismum igitur quid iis expediat de quibus agimus, ex aliorum similium affectuum curationis intuitu colligitur. Neque enim analogismus, Galeno in libro de Optima secta autore, est nisi comparatio & perceptio causarum iuvantium per similitudines, adinventa. Vt analogismo invenire, non aliud sit, quàm ex aliorum similitudine invenire. Sic profectò quum Gallicus morbus primùm grassari cœpisset, & propria eius natura, atque vis, propter rei novitatem, medicis ignota, nec propria præsidia adhuc illis perspecta essent, ea experiri, quæ morbis ex humorum corruptione ortis, conveniunt, quibus hic simillimus esset, voluerunt, adeoque eius morbi remedia, initiò per aliorum affectuum similitudinem, & analogismum invenerunt practici. Coindicatio est, quæ simul aliquid, cum ea quæ à rei natura sumitur indicatione, indicat. Coindicant itaque vires, temperies corporis, ætas, anni tempus, regio, consuetudo, & si quæ sunt id genus alia Græcis συνενδεικνύμενα, id est coindicantia vocantur. Siquidem non primò indicant remedia, sed quatenus cum morbo sunt coniuncta. Non igitur per se, sed cum morbo simul indicant, & quasi modum & quantitatem indicatorum præsidiorum demonstrant, ut ex iis, quæ deinceps dicemus, patefiet. Contraindicatio est, qua impeditur fieri, quod ab indicante primò suggeritur. Et contraindicantia, vel ut Græci nominant, ἀντενδεικνύμενα sunt, quæ contrariam indicationem habent. Verbi gratia, plethora seu humoris multitudo indicans est, quòd esse vacuandum ostendit: virtus autem imbecilla contraindicans, utquæ vacuationi repugnat & reluctatur. Rectè itaque quæ talia sunt, contraindicantia dicuntur medicis, quippe horum indicationes, primis indicationibus è diametrò repugnant. Cæterum quum Galen. interdum scopum curationis, nonnunquam verò etiam indicationem curationis appellet, quæ natura, & differentia indi-

Analogismus.

Gallici morbi præsidia per analogismum adinventa.

Coindicatio.

Coindicantia.

Συνενδεικνύμενα.

Contraindicatio.

Contraindicantia.

indicationis, & ſcopi ſit, explicandum quoque hic nobis erit. Eſt itaque σκοπός id quod ſibi quisque proponit, ſeu quod cuique eſt in medendo propoſitum. Scopus igitur non eſt niſi propoſitum quod primò intuemur, aut id quod nobis proponimus aſſequendum, vel quod nos ad agendum movet, vel denique terminus in quem dirigitur actio. Proinde quod hortatur medicum ut agat, ſcopus eſt, vel, ut Latini appellant, propoſitum, vulgus medicorum intentionem nominat. In ſumma, ſcopus eſt id, quod ſibi medicus aſſequendum proponit. Scopus igitur ab indicatione nonnihil differt. Indicatio enim ratio agendi eſt, ſive ratio quæ quid agendum ſit, inſinuat. Scopus autem propoſitum, in artificis mente, ad quod actio omnis dirigitur, exiſtit, quodque indicatio ex ſcopi contemplatione oritur. Tot igitur erunt indicationes, quot nacti erimus ſcopos, ut non multùm referat indicationem curationis, an ſcopum dicas: Finis autem eſt terminus, in quo omnis practicantium adquieſcit actio. Finis igitur medicinæ, ut in libro de Sectis Galenus teſtatur, eſt ſanitatis poſſeſſio fruitióve: ſcopus autem ſanitas & ſanatio. Proinde prima indicatio, quæ ex rei ſanitatem perturbantis natura ſumitur, quid agendum ſit, ut ſcopum, id eſt, ſanitatem, conſequamur, oſtendit. Hac verò conſecuta, in ea, tanquam in fine, omnis acquieſcit actio. Quid multis opus eſt verbis? Scopus eſt, quod primum ſibi proponit medicus, licet id perpetuò non aſſequatur. Finis autem eſt, id in quo omnis actio medici acquieſcit, ſanitatis nimirum adeptio, & poſſeſſio.

Scopus quid.

Propoſitum.

Intentio.

Scopus ab indicatione quomodo differt.

Finis.

TRES ESSE RATIONALIS CVRAtionis indicationes simplices, ex quibus universalis methodus curatoria constet. Cap. II.

Triplex omnium morborum curatio.

QVùm triplex sit omnium morborum curatio, empirica scilicet, quæ experientia constat, & imperfecta est: methodica, quæ cōmunitatibus perficitur, adeoq; manca & impossibilis est: & rationalis, quæ ex indicationibus, è natura rei tractandæ sumptis, petitur, atque perfecta existit: duabus primis præteritis, de tertia tantùm hoc loci dicemus. Huius itaq; indicationes simplices quidem tres sunt. Prima, quid agendum sit, insinuat & monstrat. Altera, an id quò tendimus sperari possit, docet. Tertia, remedia invenit quibus assequi possimus id quod prima postulat, & secunda docet. Prima itaq; indicatio à natura rei quæ vel præter naturam est, vel secundum naturam, sumitur. Præter naturam verò res sunt tres, causa, morbus, & symptoma. Secundum naturam duæ præcipuæ existunt, temperamentum tàm congenitū, quàm usu partum, & virtus, quæ adversus morbum certat. Atque hæ duæ res sui custodiam, ut priores tres sui ablationem indicant, causa quidem præcautionem, morbus & symptoma curationem. Secunda indicatio, quæ insinuat, an id, quod prima docuit sperari possit nécne, cuiusque particulę substantiam, actionem, usum sive officium, & situm æstimat, & expendit. Substantiam, quatenus scilicet est æqualiter, vel inęqualiter intemperata. Quæ enim æqualiter intemperata est, hæc omninò non, aut certè vix posse præstari quod speratur, indicatúrve insinuat. Quæ verò inæqualiter, hęc posse præstari quod speratur, indicat. Item substantiam quoq; æstimant medici, quatenùs est solida, carnosa, aut spiritalis. Solida enim substantia, si sit insigniter læsa, sanitas restitui nequit, præsertim si nervosa fuerit. Hinc est quòd

Indicatio simplex prima.

Indicatio prima unde sumenda.

Res p. n.

Res s. n.

Secunda unde dicatur.

Substantiæ.

quòd nervosa septi transversi pars, intestina tenuia, ventriculus, præputium, tenuis buccarum pars, scopum quem indicant non recipiant. Cæterùm actio, per quam vitam habemus, si perierit quandoque, aut vehementer læsa fuerit, restitui non posse indicat. Actio autem, sine qua vitam habemus, si perierit, aut vehementer læsa fuerit, itidem quòd restitui non possit, monstrat. Vt vox adempta vitam non tollit, tamen prorsùm amissa restitui haud potest. Actio per quam meliorem vitam habemus, si perierit, aut vehementer læsa fuerit, quamvis præstari posse quod speramus insinuat, tamen noxam maiorem futuram successu temporis pollicetur: ut excisi testes vitam non tollunt, deteriorem tamen reddunt eamdē. Vsus & officium partis, ad vitam necessaria si perierint, nō posse præstari id quod speramus, monstrant. Si non necessaria perierint, potest præstari id quod speras. Situs partium ad quas remedia pervenire nequeunt, præstari id quod speramus non posse indicat: Earum verò ad quas remedia pervenire posũt, præstari posse quod speramus, monstrat. Præterea, an perficere liceat id quod indicatio à rei curādę natura petita, etiā ex natura ipsa, sive temperamento, magnitudine, more, ac duratione morbi, (ut omnibus liquet,) intelligi potest. Tertia indicatio, inveniens remedia quibus assequi possumus quod prima indicat, & secunda sperat, latissimè patet, & omnium longè difficillima est, quòd scilicet remedia quibus morbus abigitur, ostendat. Omnia verò remedia, imò tota medicina in quatuor rebus versatur: admovendis, educendis, faciendis, & extrinsecùs incidentibus. Admovendorum nomine intelligitur cibus, potus, & si quid medicamentorum intrà corpus sumitur. Faciendorum verò, frictio, ambulatio, vectio, equitatio, denique motus. Quòd si non quivis motus exercitatio est, sed solùm qui valentior, adjiciatur motui exercitatio, ut sint facienda tùm motus, tùm exercitatio. Referuntur ad hunc ordinem somnus, vigilia & venus.

Actio partium.

Vsus & officium.

Situs.

Tertia indicatio.

Medicina tota adeoq; remedia omnia in 4. versatur.

Admovendis.

Faciendis.

Educendis. Educendorum nomine intelliguntur omnia corporis excrementa, tàm ea, quæ in ventriculo, quàm ea, quæ in jecore, arteriis & venis, & quę in singulis corporis partibus cōtinentur: in summa, quicquid præter naturam in corpore continetur, educendorū nomine venit. *Foris incidentibus.* Foris incidentium rerum è genere, primum est ambiens aër, deinde quæcunque lavantium ungentiúmve cuti propinquant: ut sunt aquæ spontè natæ & calentes, item omnia quæ extrinsecùs illita, corpus ingrediuntur. His itaque remediorum quatuor generibus, quicquid ad morbi curationem adhibetur, continetur: Principio namque, ut singulis morbis conveniens victus ratio adhibeatur oportet. Nisi enim cibis & potionibus ejusmodi, quæ morbi ratio exigit æger utatur, nulla sanitatis consequendæ spes est reliqua. Dein aut motu, aut quiete, prout morbus postulat, ægrum uti oportet. Somno præterea, vigiliísve pro morbi diversitate ægro utendum erit. Medicamentis insuper vel alterantibus, incidentibus, vacuantibus, constringentibus, prout morbus exigit, uti oportet. Excrementa quoq; corporis, quovis tempore expurganda erunt maturè. Aëre quoq; convenienti, balneis, & unguentis pro morbi ratione utendum erit. Quatuor igitur jam dictis capitibus, omnes res à junioribus dictę non naturales comprehenduntur: quibus, quum non solùm corpus à morbo vindicetur, verùm etiam ne in ullum morbū alium incidat, prohibeatur, rectissimè à nobis dictum est universam artem in hisce versari; universa enim medicina digeritur in eam quæ incolume corpus conservat, & in eam, quæ morbos demolitur ac destruit. Porrò quum jam abundè satis quæ sint primæ & simplices rationalis curationis morborum indicationes, indicaverimus: reliquum est, ut quibus rebus, universalis methodus constet, explicemus. *Vniversalis methodus quib. constet.* Constat autem, ut Galen. lib. 1. de Curan. ratione ad Glauconem autor est, ex recta remediorum adhibendorum ratione: quæ eorundem qualitate, quantitate, modo

utendi,

utendi, & occasione, quæ omnium difficillima est, perficitur. Qualitas igitur, ab affectus specie sumitur. Si enim morbus est calidus, refrigerare: si frigidus, calefacere: quemadmodum si siccus, humectare: si humidus, siccare eum oportet. Ad eundē modum de aliis qualitatibus quæ ex primis nascuntur, sentiendum erit: ut scilicet iis quæ præter naturam emollita sunt, ea quæ indurant: rarefactis, quæ densant, & reliquis pari modo adhibeantur, contrarias curando contrariis. Non sufficit autem hæc tantùm scire, sed & quantitatem eorū, quæ adhibentur præsidiorum, metiri oportet medicum. Nam si quis noverit, verbi gratiâ, refrigerandum esse, nec sciat, quantum refrigerandum sit, falli eum circà curationem est necesse. Quotquot enim quantitatem ignorant, & majorem quàm convenit præsidiorum copiam adhibent, hi in contrariam intemperiem corpus imprudentes ducunt. Sin præsidiis imperfectiùs utantur, excessum non tollunt. Quantitatem autem definiunt magnitudo affectus, propria corporis, aut particulæ natura, virium robur, & partis laborantis conditio. Oportet etiam ut utendi modum præsidiorum sciamus. Verbi causâ ventriculo laborante, cognoscendum erit quomodo præsidia sint adhibenda; intrinsecùs scilicet, an extrinsecùs. Sæpenumerò enim ventriculus ita est comparatus, ut nullum intùs adhibitum medicamentum sustineat, & admittat. Tùm enim benè cum ægrotante agitur, si extrinsecùs remedia adhibeantur. Pari ratione in dysenteriæ curatione, si ulcus est in tenuibus intestinis, per præsidia quæ superiùs ingeruntur, curationē molimur: ubi autem in crassioribus est intestinis, iis quæ per inferna injiciuntur, utimur. Cæterùm utendi modum ostendūt humoris natura, via per quam educitur humor ipse, locus cui medicamenta adhibentur, medicamenti vehementia, & morbi conditio. Quorum omnium, ut etiam prædictorum, exempla particularis curandi ratio, suppeditat. Verùm præ omnibus iis occasio, id

Qualitate.

Quantitate.

Vtendi modo.

Occasione.

est, temporis pars, quæ in se rei alicujus idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatē habet, quòd momentanea sit, sicuti in Aphorismis Hippocrates pronunciavit, cognitu necessaria est. Quum enim semper fluant nostra corpora, & variis subinde modis se se habeant: præsidia etiam in ipsis diversa esse, & alia singulis occasionibus necesse est: verùm quum de occasione in enarratione jam citati loci Hippocr. multa diximus, non est cur hîc longiores nos esse oporteat. Quum ergo quatuor sint in universum indicationes præcipuæ, quibus universalis methodus constituitur: duo ex iis quidem communia sunt, tùm idiotis etiam cognitu facilia, modus scilicet utendi, & qualitas. Quis enim nescit calidum membrum refrigerandum esse, & frigidum calefaciendum? Quin & utēdi modus, quamvis difficiliùs percipitur quàm qualitas, tamen non omnino captu, cognitu difficilis est. Reliqua duo tum propria medicorum, tum difficilia sunt: quantitas nimirum, & occasio. Nec affectum ullum præter naturam amoliri poterit quisquam, qui hæc quatuor jam dicta neglexerit: quòd scilicet per ea necessarium sit fieri curationem, neque sanatio sine iis perfici possit ulla.

CONTRARIETAS INDICATIO CVrationum maximè generalis est, & ferè prima. Cap. III.

Contrarietas quid indicet. COmmunis curationis dogmaticæ in universum omnis indicatio, Galeno libr. 9 de Medendi methodo autore, est contrarietas. Hæc enim, qua ratione & affectibus præter naturam sit medendum, & ad symmetriam sanitatisq; possessionem perveniendum, indicat. *Sanatio quid.* Nam cùm perspicuum sit omnibus, sanationem non esse aliud quàm præsentis in corpore vitiosi affectus, in naturalem habitum mutationem, atque horum quidem unum, alteri *Per contraria cur fiat.* esse contrarium: ut per contraria fiat, eorum alterius, in al-

in alterum trāſlatio, eſt neceſſe. Si enim verbi gratia, calidior aliquis fuerit affectus, refrigerandus erit: ſin frigidior, calefaciendus. Pari modo, ſi quis ad ſiccius inclinat temperamentum humectandus: ſin ad humentius, ſiccandus. Rurſus quoq; is qui humidus & frigidus eſt, pariter ſiccandus & calefaciendus erit. Siccandus pariter & refrigerandus, qui humidior & calidior evadit, & in reliquis duabus cõjugationibus ad proportionem inſtituenda medicatio. Semper enim pro eo quod exuperat, inducendum eò usque contrarium eſt, quoad particulam, in ſymmetriam, & naturalem habitum redux erimus. Vt rectiſſimè ab Hippoc. dictum ſit, hodieq; in medicorum ſcholis celebretur, contraria contrariorũ eſſe remedia. Verùm non ſatis eſt, ſcire, contraria, contrariorum eſſe remedia, niſi in contrariis quoq; inveniatur modus & gradus. Neque enim ſatis eſt calido affectui admoviſſe frigida, niſi id debita fiat mēſura: quum alioqui metus ſit, ſi intra modum id fiat, ne morbi reliquũ quippiam relinquatur: ſin modus excedatur, contrarium genus morbi inducatur. Quippe qui calidum morbum ſuprà quàm par eſt refrigerat, is ſanitatis mediocritate transgreſſa, alium excitabit morbum, qui ſit frigidus. Cæterùm contrarietas non tantùm indicat, qua ratione morbis & affectibus præter naturam ſit medendum, & ad ſymmetriam perveniendum: ſed quum generalis & communis ſit, ad alia quoq; referatur oportet. Eſt itaq; contrarietas communis tùm morbo, tùm temperamento, tùm aëri ambienti indicatio. Morbus namque, (ut comprehenſum eſt,) quæ ſibi contraria ſunt adhibenda eſſe indicat, aut ſui ablationē per contraria eſſe moliendam, inſinuat. Morbus igitur præcipuè curationē, quæ per contraria fit, indicat. Temperamentũ autem laborantis, unà cum morbo contrarietatis menſuram definit, adeoq; contrarium, eouſq; eſſe adhibendum in morbi curatione indicat, donec ad ſymmetriam & ſanitatis mediocritatem ſit perventum. Ambiens verò aër unà quoque

Contraria contrariorũ remedia.

Contrarietas cõmunis tùm morbo, tùm tēperamento, tùm aeri ambienti indicatio.

Morbus. Temperamē-tum.

cum ipso morbo indicat se vel esse usurpandum, inspirandumque ęgris, vel emendandum. Si enim contrarius est morbo, se esse utendum, quòd ad morbi abolitionem conferat, indicat: adeoque contrarietatis nomine, quæ non est nisi id quod cōtrarium morbo adhibendum esse indicat, rectissimè complectitur. Si verò similis est aër, morbum potiùs auget, & non præsidii, seu causæ sanantis, sed potiùs morbificæ rationem habet, nec contrarietatis nomine comprehenditur. Atque in hanc quidem sententiam, contrarietatem Galenus communem & generalem curandi indicationem esse docuit. Verùm hic obganniunt quidam Galeno; contrarietatem ipsam nec indicare, nec indicationem aliquam esse dicentes: Modò verum sit, quod ille initio tertii libri Medendi methodi scribit, absurdum esse, aliud constituendum, quod curationem indicet, aliud verò quod curetur. Nihil autem indicare poterit eorum, quæ ad curationem pertinent; ipsa contrarietas, quòd morbus non sit: & planè ridiculum erit, si contrarietatem curari dicamus. Et certè tantū abest, inquiunt illi, ut curationem indicet contrarietas, ut nihil aliud quicquam indicare possit. Nam si indicare est invenire, quod juvet, aut lædat ea quæ indicant: quid quæso ipsa indicare poterit contrarietas? Qua enim re opus habet, ut juvetur, vel lædatur? In hunc sanè modum, Galeni, de contrarietate, communi curandi indicatione, præcepta illi convellere conantur. Sed mehercle quum ita ratiocinantur, non nisi fucum faciunt lectori, quòd scilicet contrarietatem secùs atq; Galen. usurpent, adeoque non nisi λογομαχίαν hic & multis aliis in locis instituant. Quippe contrarietatis nomine ipsi intelligunt, id quod morbo est contrarium, adeoque indicatur. Galen. contrà appellat contrarietatem id, quod contrarium indicare potest, (quemadmodum paulò antè est dictum.) In hac itaque significatione morbus erit contrarietas, propterea quòd contrarium indicat, vel quia curandi ratio-nem

Contrarietas quid.

Galenus ab iniuria quorundam vindicatus.

Obiectiones proponuntur & diluuntur.

Indicare quid.

Contrarietas quid.

Morbus est contrarietas, significato duplici.

nem per contraria præscribit. Atque in hunc sensum rectè dicitur curari contrarietas, id est, morbus. Rectè etiam indicare id quod juvat, vel lædit. Contrarietas quoq; temperamentum laborantis erit, quia contrarii quo morbus curatur, medicamenti mensuram indicat & notat. Contrarietas etiam hac ratione aër ambiens erit; quia contrarium se se morbo esse indicat. Proinde communis sit contrarietas tùm morbo, tùm temperamento, & aëri ambienti oportet. Vt igitur hæc tria contrarietatis nomine accipiuntur, quòd contraria affectui præter naturam esse adhibenda ostendunt: ita similitudinis nomine complecti possunt à medicis consuetudo, ętas, natura, regio, anni tempus, & status cœli, ubi temperata sunt, eo quòd similia semper præsidia indicent, sive valeant homines, sive ægrotent. Sed de contrarietate abundè satis. Nunc ut ad particulares indicationes propiùs accedamus, ordinis ratio postulat.

Temperamẽtum.

Aer ambiens.

Similitudo quid.

TRIA ESSE IN VNIVERSVM, CIRca quæ omnis medendi opera versari debat. Cap. IV.

PRiusquam ad indicationum particularem tractationem accedamus, sciendum erit, tria esse in universum circà quæ omnis ejus qui medetur opera versatur, & in quæ, perpetuò fixis oculis intueri debet: morbus nimirum, subjectum morbi universale, particulare & natura. Morbus autem profligandus, subjecto sanitas inducenda, natura tutanda juvandaq; erit omni studio. Depellitur autem morbus contrariis, juxtà tritum hoc medicorum axioma: Contraria contrariis curantur. Sanitas autem similibus conservatur. Hæc autem frustrà tentabit medicus, si natura ipsa non adjuverit illum, atque cum primis officia sua exercuerit. Vt præclarè & sapienter Hippoc. dixerit: τῶν νόσων φύσιες ἰητροί, φύσεως δ' ἀνευρετὴς ἰητρός. Morborum medici naturæ sunt, naturæ

Natura.

6 Epidem. sect. 5 aph. 1.

Natura quid & quæ præstet. autem minister medicus. Natura itaq; est, quæ in corporibus nostris omnium functionum autor existit. Quapropter ut sciat medicus quid, quando, quantumq; agere conveniat, ad naturam illi respiciendum erit identidem. Tantum enim à medico eodemque modo agendum est, quantum & quo modo à natura agitur. Si enim naturam fortiter morbo reluctari cernit, reluctandū quoq;, ubi videbitur, illi erit: eoq; nitendum quò natura fert, & victoriæ spes erit: tantumq; alterationi, vacuationi, alterive alicui motioni mutationiq; indulgendum, quantū natura probè perficere potest. At si naturam miseris modis afflictam, ac morbo pressam, nullo conatu se movere cōspicit medicus, nec illi movendū quicquam erit: præterquam enim quòd operam luderet, subiret quoque speciem ejus ut occisi, quem sors ipsius interemit. Quocircà naturam semper ob oculos, quoties mederi consilium est, ponat oportet medicus. Post naturā etiam subjecti, hoc est, humani corporis, ratio habenda est, quòd id non ejusdem semper, sed diversissimi sit temperamenti, quòd variis animi motib. perturbetur, varios mores, consuetudines, atq; vitæ instituta habeat: quòd varias item regiones sortitum sit, ac pro variis anni temporibus, cœli, soliq; diversitate, variè affectum alteratumq; sentit: cujus membra laborantia, quandoque ea sunt, quæ in abdito ac profundo sita, quandoq; ea quæ in summo posita sunt. Nec minùs affectus, pro causæ majoris minorisve ratione, plus minúsve à sani hominis temperamento recedunt. Quapropter non omnibus eodem modo, ne si eodem morbo laboraverint quidem, eodemq; gradu à temperamento recesserint, medendum est: quanto magis, si specie graduque morbi variaverint, varianda medicina est. Nec cùm varii locorum laborantium (ut dixi,) positus sint, eidē semper loco, remedia applicanda: sed pro circūstantiarū affectusq; affligentis ratione variis modis, variisque locis & occurrendum & admovendum præsidium. De morbo, qui

Subiectum. (margin note beside "Post naturā etiam subjecti")

Morbus. (margin note beside "currendum & admovendum præsidium")

qui interea quæ semper præ oculis habenda admonuimus, tertium occupat locum, cujus naturæ, quarumq; partium sit, idē studiosissimè considerandū. Est enim affectus preter naturam, ut suo loco plenissimè monstravimus, à quo primùm vitiatur actio: ideoq; ut illa restituatur, quoad ejus fieri potest, citissimè è corpore profligandus. Ejus autem tria sunt genera, id quod suo quoq; loco ostensum est: intemperies, mala compositio, & solutio continuitatis. Igitur intemperies, sive simplex sive composita, si sicca fuerit, contrariæ qualitatis modis atque rebus pro ratione aliarū circumstantiarum, curanda venit. Pro ratione dico, quod simplex sicca, quę duobus gradibus, verbi gratia, à naturæ modo recesserit, duûm medicamēto contrariæ qualitatis simplicis, instructo retundenda est: composita duarum qualitatū ex adverso respondentium præsidio refringenda. Vt si cui decem quidem numeris & gradibus, à naturali cōstitutione calor auctus fuerit, septem verò siccitas: ex salubribus causis, aliquid, quod decem numeris frigiditate, & septem humiditate par sit, adhibendum erit. Sin cum affluxu materię, videndum est, sanguísne sit quod affluit, an pituita, flava bilis, an atra: fluxerítne tenue, crassum, mordax, putridū, flatulentum, an tenax? deniq; num redundantia tanta sit, ut aut vasa distendat, aut virtute gravet? considerandū preterea, nū ad partem imbecilliorē aut copia sui, aut facultate membri mandantis, & exonerātis se, nec copiam nec qualitatē molestam ferētis vi, aut parte laborante prolectante atq; ad se trahente humor defluere cogatur? Vbi jam ex signorū indiciis humorē elicueris, exempli causa, bilē esse qualitate tenuem atq; fluidam: reliquū est, ut mēbri recipientis & mandantis naturā æstimes, sítne extrà an intus positū. Si intus, primùm cujus substantiæ sit, disquire, laxæne, ut pulmo: an solidæ, ut membrana. os, nervus: cavæ, ut renes, vesica: an secus, ut nerv⁹, cartilago copiosi sanguinis, ut jecur: an exigui, ut intestina, vesica, multorū vasorū, ut jecur: an pau-

Morbi tria genera.

Fluxionum diversitas.

Partiū corporis diversitas.

corum, ut vesica: aut nullorum, ut nervus. Dein, cujus actionis, largientísne aliis, ut cerebrum, cor, jecur, ventriculus: an accipientis, ut intestina pleniora, vesica, caro, cutis: nobilisne, ut cor, jecur, cerebrum: an ignobilis, ut cutis. Postremò cujus situs, ut in summóve fluitet, an imo residat: membróne nobili aut ignobili adhæreat? Quæ omnia ut in mēbro fluxum excipiente ac mandante, ita in quavis laborante parte pervestiganda sunt, si curandi indicationes rectè invenire cupias. His cognitis, cùm fluxio nulla sit, quæ non aut per vasa, aut meatus, atque vias quasdam, quæ materiam fluentem acceptam aliò transmittant, fiat: síntne eæ amplæ an angustæ, rectæ an obliquæ, venæ, an arteriæ, an nervi, vastæ cavitates, an exigua foramina, pervidendum. Etenim pro horum varietate, medendi indicium variatur. Ergo ubi morbum profligare vis, hæc quinq; capita potissimùm animo versanda sunt: quid agendum, quantum, quo modo, tempore, & loco. Sed priusquam hæc ordine exponamus, an agendum sit, paucis antè ostendemus. Sæpè enim usu venit, ut tum vel maximè agendum videatur, quum tamen citra grave periculum agere non conceditur. ac proinde ne agendum quidem. An igitur agendum sit, natura formaque naturalis ægri indicium facit. Nam si natura facultatibus, instrumentisque suis integra & illæsa fuerit, si attrahere, retinere, conficere, expellere, assimilare, cæteraque vitæ munia obire valeat: nulla in re de natura solicitus, ad medendum rectà progreditor. At si natura laborat, & fracta fuerit, non tamen deplorata: prima ratio curaque naturæ succurrendæ esto, sine qua ne agere quidem omnino licet. Tantum enim agendū, quantum viribus concessum est. Ad hunc modum an agendum sit, ubi assecutus fueris, proximum est, ut quid, quantum, quo modo, loco, & tempore agendum sit, investiges. Ad quam rem indicationes particulares, quæ indicia quædam sunt omnia rectè exequendi, & veluti statuæ mercuriales

Profliganti morbū quinque consideranda.

An agendū sit.

Indicationes particulares quæ, & quot.

riales ad ſcopum omnia dirigẽdi, plurimum faciunt. Hæ autem ex iis fere locis ſumi conſueverunt, natura morbi, temperamento, ægri viribus, conſuetudine, vitæ propoſito, regione, anni tempore, ætate, cæli cõſtitutione, atque loci laborantis natura. Quam rurſus diducimus in temperaturam, ſubſtantiam, functionum dignitatem, ſenſum, poſitum, ſitum, & figuram. De quibus ordine, breviter tamen, diſſeremus.

MORBI NATVRA, ET TEMPERAmentum quid indicent. Cap. V.

HActenus generatim, quomodo curandi indicationes inveniendæ ſint, oſtendimus: nunc particulares excutiemus, orſi ab ea quæ à morbi natura ſumitur. Hæc enim quid agendũ ſit in curatione, indicat. Quippe cum morbus ſit ex eorum numero quæ præter naturam ſunt, ſe pellendum eſſe oſtendit. Nihil verò pellitur, niſi per contraria: igitur morbus qui calidus eſt, frigidis medicamentis, frigidus contrà calidis ſe pellendum eſſe indicat. Idem ſanè de altera oppoſitione intelligendum erit. Pari ratione, ſi ex humorum redundantia natus eſt morbus, vacuatio ne ſe demoliendum eſſe oſtendit: ſin ex eorundem defectu excitatus eſt, refectione eſſe opus indicat. In ſumma, morbus perpetuò contrariis ſe eſſe oppugnandum inſinuat. Non tamen ſatis eſt ſcire, contraria cõtrariis pelli, niſi etiam ad quem modum, quantitatemque ea adhibenda ſint, perpulchrè noverimus. Nihil enim juvat, morbis calidis frigida admoviſſe, niſi cõvenienti aptoque, pro re nata, modo id faciamus. Etenim ſi infra modum ea adhibeamus, periculũ eſt, ne remaneant morbi reliquiæ quædam: ſin ultrà ne novum morbi genus priori contrarium importunè indicamus. Nam qui morbum calidum nimium refrigerat, quod ſanam ſymmetriam & commoderationem excedit, morbũ frigidum gignit. Quod ne fiat, corporis quod morbo laborat, naturam probè callere vel in primis oportet: ut co-

Morbi natura quid indicet.

Modus & quantitas cõtrariorum noſcenda.

Corporis laborantis natura cognoſcenda.

gnito quantum à vera symmetria morbus declinarit, medicamento quod refrigerando erit, modum constituas. Sed fieri nequit, ut recessus declinationem inveniamus, ignorato ad quem usq; modum, quum sanum esset, corpus calidum, frigidum, humidũ, vel siccum fuerat: quantumque jam in morbo constitutum, ab eodem in se sano variaverit. Quo cognito, expedita est curatio. Nam si morbus à naturali corporis habitu longè abscessit, validis intensisque contrariis indiget: quod non ita multum, imbecillis remissioribusque: quippe eatenus redeat ad naturam eorum quodq; necesse est, quatenus à natura recessit: ac veluti quadam via retrò feratur, quæ in diversum agat ei quæ facta est in ipso, transmutationi. Multum autem recessit à corporis partisque ejusdem symmetria morbus frigidus in corpore parteque calidis: contrà, calidus in frigidis: minus, calidus morbus in corpore ac partibus calidis, aut frigidus in frigidis. Quæcunq; igitur calidiores natura partes ex frigore laborant, hæ & liberalius & diutius calefieri postulant: sicuti etiam quæ frigidiores natura sunt, si ex calore laborent, refrigerari: & sicciores, si ex humiditate malè habeant, siccari. Ad eundem modum, & humectari quæ humidiora naturaliter sunt, ubi ex siccitate laborant, tum uberius, tum diutius postulat. Contrà verò, pars quæ calidior natura est si calido morbo ægrotat, exigua brevisque temporis refrigeratione eget: sicuti quæ frigidior est, calefactione. Ad quem modum in humidis quoque, & siccis se habet. Siquidẽ brevis est in ejusmodi in id quod præter naturam est, lapsus: & rursus, in id quod secundũ
2. *Aph.* 34. naturam reditus. Vt rectissimè dixerit Hippocrates:
,, In morbis minus periclitantur, quicunque cognato
,, naturæ suæ morbo laborant. Ergo si morbus intemperies fuerit calida & sicca, nuda seu sine materiæ affluxu, frigidis & humidis pro ratione obsistendum. Sin cum affluxu, & illa quidem ex redundantia, va-
2. *Aph.* 22. cuatione levandum. Nam quicunq; morbi, ut Hippocra-

pocrates dixit, ex redundantia fiunt, eos vacuatio sanat. Si verò in compositione vitium sit, idq; ex obstructione, extergentibus, & obstructionem demolientibus medicamentis curandum. Sin ex asperitate, lenientibus: si ex magnitudine, minuentibus morbo obviandum. Si autem in solutione continuitatis, & ea quidem ex dissectione sit, unione & consolidatione subveniendum. Quam si quid, ut affluxus, vel humor aliquis redundans impediverit, quod affluxum est, vacuandum: humor autem iis quæ siccandi potestatem habẽt, absumendus. Atq; hactenus, quomodo priores duæ indicationes, quæ à morbo & temperamẽtò petuntur, sint tractandæ, exposuimus.

VIRES QVID INDICENT. Cap. VI.

Indicatio à viribus petita, omnium prima.

Vires etiam paulò antè inter ea quæ indicant, commemoravimus. Siquidem hæc non solùm suam conservationem, verùm etiam quid, quantum, quomodo agendum, sed etiam an omnino sit agendum, monstrant. Quapropter prima omnium est quæ à viribus sumitur indicatio, non ita tamen prima, ut quæ curationem doceat: cùm ex numero curatricium indicationum non sit, verùm vitalium. Nam neq; ut valeamus, nec ut à morbis liberemur, ab ea quicquam primùm sumimus, sed ut vivamus Maxima igitur dignitas ipsarum est virium, quãdo vivere ipsum nobis ex harum custodia constet. At vita ipsa nihil esse prius in corpore potest, propterea quòd nec sanos esse citra vitam licet. Virtus ergo omnium prima custodienda est hominibus, quando hæc morbo ceu adversatrix sit opposita. Vires autem num omnino agẽdum sit indicare, unico argumento monstrasse satis sit. In febrib. namq; continẽtibus, primùm omnium sanguinem esse mittendũ, in confesso est apud omnes, & quidem usq; ad animi defectionẽ. Verùm an ita omnino in iis febrib. sit agendũ,

Viriũ maxima dignitas.

Vires indicãt num agendum sit.

vires maximè indicant. Validæ nanq; si fuerint, audacter aget quod indicatur medicus. sin imbecilles, nequaquam. Quantum præterea sit agendum, ægri vires indicabunt, sive rerum mole, sive gradu agas. Nam virtus quantum mole exhibēdum sit monstrat, an uncia, an drachma vel cibi, vel medicamenti. Sæpè enim copioso cibo, multisq; medicamentis opus foret, nisi virium infirmitas reclamaret, nisi moli quantitatiq; demere præcepissent. Hinc non temerè in aphorismis monet Hippocrates, diligenter considerandum esse, quibus semel aut bis cibus sit offerendus, & pluráne an pauciora particulatim sint exhibenda. Idem quoq; in vacuationibus quantum vires ferre possint, perpetuò esse expendendum hortatur. Qua de causa pro virtutis viriumq; ratione moderādus tum cibus, tum medicamentum est. Verbi gratia: si duobus gradibus calefaciendum sit, ne virtus laborantis corporis ex tanta calefactione exolvatur, servato quidem contrarii gradu, medicamenti moles minuenda est. Item, si bilis libræ duæ scāmonii scrupulo uno educendæ essent, viribus ęgri id non ferentibus, bilis uncias tantùm sex, totidem scammonii granis rectè eduxeris. Satius enim est, repetita vacuatione, ac minuatim agendo virtutē conservare, quàm semel & confertim eandem prosternere.

Quantum agendum.

1. Aph. 17.

CONSVETVDO QVID INDICET.
Cap. VII.

CVM maxima à consuetudine petatur indicatio, nō erit ulla ratione à medico prætereunda. Quippe hæc victus medicamentorumq; inventionem & in morbis, & in convalescētibus indicat. Gaudent enim naturæ consuetis semper: ut & Hippocrates evidentissimis argumentis in libro de Acutorū victu adstruxit: & in omnib. qui se secundū naturā habēt, manifestè apparet. Cōsuetudinis enim cum natura tanta est consensio, ut earū altera in alteram transeat. Quod enim cōsuetum est idipsum iam natu-

Natura consuetis gaudent, aph. 18. & sequentibus.

naturale evasit. Vt commodissimè à veteribus dictū sit, consuetudinem acquisititiam esse naturam: hoc est, vim quandam & facultatem non quidem ingenitam, sed usu comparatā. quæ naturæ nostræ perinde est familiaris, ut ea ipsa esse videatur: nisi quòd hæc ab externo principio, illa ab interno & ingenito manavit. Victus autem rationem ostendere consuetudinem, unus Hippoc. satis monstrat: qui ea quę ex longo tempore cōsueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare, scriptum reliquit. Consuetudo igitur, quum ægrotant homines, semper similia indicat. Siquidem consuetudo, tametsi prava est, tamen non est nisi per summam sanitatem, & quum à negociis maximè vacat, ut fusiùs lib. 1. de tuenda Sanit. cap. 8. Gal. docet, mutanda. Non parum etiam ad remediorum inventionē, veluti quoq; ad sanitatem tuendam consuetudo cōducit. Nemo enim est adeò stupidus, ut magnopere ex frigidæ potione læsus, hanc in diutinum duxisse usum velit: propterea quòd lęsus interim atq; ægrotans ab ea desistet. Quòd si verò quis frigidæ potioni insueverit, nec aliud, quò minus bibatur, obstiterit, audacter illam febricitantibus medicus exhibebit. Ergo sicut alia non pauca quidam medici præter communes notiones, ita illud quoq; effuderunt, quòd nulla nec salubris inveniendi victus, nec ægrorum curationis ex consuetudine sumatur occasio. Videtur enim non sicut alia quædam exiguā levemq;, sed planè maximam ac maximè principalē potestatem habere, ut quæ singulorum corporū naturam ostendat. Est enim ipsa consuetudo, altera, ut dicitur, natura. Præterea non parum momenti etiam in assumendis medicamentis consuetudo obtinet. Si enim æger medicamentis assueverit, quidvis citra nauseam facilè admittit. Sin minus, mille artibus agendum, mille fucis commendandum medicamentum est, ne alioqui æger medicum aut oderit, aut fugiat. Sed de consuetudine, de qua anteà quóque diximus, satis.

Consuetudo victus rationem ostendit. 2. Aph. 50.

Consuetudo quando mutanda.

Consuetudo singulorum corporū naturam ostendit.

AETAS, REGIO, ANNI TEMPUS, & cœli constitutio quid indicent. Cap. VIII.

Aetas.
1. Aph. 16.

EOdem autem modo & ea quæ ab ætate præbetur, quo ea quę à consuetudine sumitur, tractanda. Nam ætas, cum ex iis sit quæ natura nobis insunt, similem sibi victum postulat. Quod
„ Hippocrates in aphorismis iis innuere verbis voluit:
„ Humidus victus omnibus febricitãtibus est idoneus,
„ potissimùm autem pueris, & aliis qui ita cibari sunt assueti. Ipsa quoque temperamenti interventu indicationē pręstat. Nam quę calida est & humida, veluti puerorum, hæc promptius discutitur atq; exhalat: quo minus vacuantis præsidii eget, cùm habeat ex seipsa unde naturaliter vacuetur. Fit autem profectò & propter calidam siccamq; regionē, & tempus æstivum ob constitutionem cœli impensè calidum & siccum, notabilis per cutim vacuatio. Itaque huius etiam causa, iis qui sanguinis detractione egent, aut prorsus non secamus, aut parum detrahimus. Pari ratione de aliis quoque vacuationibus sentiendum erit, ut horum occasione vel planè nullas, aut parcè saltem adhibeamus. Verùm cùm ea de re in præcedentibus quoque libris à nobis abundè dictum sit, non est cur nunc longiores simus. Porrò interdum necessarium est, ut si regio, anni tempus, constitutio cœli calida sint, ita morbo postulante, frigidis: & contrà si frigida, calidis demulceantur. Quod qua ratione possit consequi, suprà aëris exemplo est ostensum, ut non sit opus nunc de iis copiosiùs differere: præsertim cùm Galenus de iis omnibus copiosissimè in Medendi ratione scripserit.

Regio.
Tempus.
Constitutio cœli.

LABO-

LABORANTIS LOCI NATVRA quid indicet. Cap. IX.

LAborantis loci natura quo modo agendum sit indicat: à sua temperatura, substantia, functionum nobilitate, sensu, positu, situ & figura. A tēperatura: ut si calida & sicca naturaliter fuerit, earundemq; qualitatum adventitiarum tantam accessionem habuerit, ut iam à naturali temperamento discesserit, hominemq; ægrum reddiderit, medicamenta tot gradibus frigida, humidaq; esse exhibenda, quot calorem siccitatemq; supra naturale temperamentum membri aucta esse conjectura erit: addita etiā re aliqua, quæ pro mēbri temperamēto facit, secundūq; sit. Ita enim & medicamentū efficacius feliciusq; vires suas proferet, & à mēbro, quàm si nullo prorsus secūdo adiecto admoveretur, facili⁹ admittetur. Exempli causa, ubi cor suprà modum calefactū refrigerare velis, nonnihil calidi præsidii admisceto: ubi cerebrum calefacere, aliquid de frigido. Frigidū enim cerebro, calidum cordi secundum amicumque est. A substantia: ut si durum solidumq; membrum sit, quo aditus penetratioq; detur, medicamento aliquid quod tenuis substantiæ sit, adiungemus. A functionum nobilitate: ut si pro corde aut ventriculo, aut iecore medicamentum componas, quorum hæc concoctionis nobilissimæ sanè functionis, illud verò spiritus quo vivimus, & caloris quo fovemur autor est: memineris cordis medicamento semper odora, ventriculi & iecoris adstringentia adjicere, etiamsi morbus horum nihil postulaverit. Nam odores ad calorem innatum, spiritusque vitales fovendum recreandumque; adstrictio ad continendum roborandumque, adeoque concoquendum, maximè conducunt. Præcipuè autem adstringentibus utendum est, ubi in iecur aut ventriculum supervacuum profluit: quando & è primoribus admodum hæ partes sunt, & munus suum obeant, vel

Temperatura laborantis partis.

Substantia.

Functionum nobilitas

in ipſis morbis, eſt neceſſum. Non eſt autem exiguum eorum munus, qualeq; eſt reliquarum partium, quibus illud modò negocium eſt, ut id quo nutriantur conficiant: verùm quod tantopere animalis interſit, ut ſi neque in ventriculo probè alimentum fuerit cōcoctum, nec in ſanguinem in iecore mutatum: utique quod in fame nobis accidit, ut cibi penuria exigere in abſtinentia cogamur, idem tum omnibus animalis partibus accidat. Non enim ex iis quę devorarit quis, ſed ex iis quæ in iam dictis viſceribus confecerit, alimentum toti corpori ſuppeditatur.

Ventriculus & iecur impenſius quàm cætera, adſtringentia deſiderant.

Atque ob hæc nimirum impenſius quàm cætera membra, ventriculus & iecur adſtringentia deſiderant. Ergo quum ea quæ iam infixa ſunt evocandi temp' eſt, tum quoque modicè adſtringi poſtulant. Quod enim adſtrictionis in principio longius iis quàm cęteris partibus adhibetur, id ſervandum aſſiduè eſt, nimirū manente, qui id indicet, uſu. Vſus verò eſt, ut diximus, nutrimenti confectio, quemadmodum fuſiùs libro 11. Ther. meth. cap. 15. Galenus oſtendit.

A ſenſu.

A' ſenſu. Nam quæ acuti ſenſus pars eſt, eam quàm maximè citra dolorem, mitioribusq; curare tentandum. Quæ verò parum acri & obtuſo ſenſu eſt, hæc ſi affectus ita ſuadet, valentiora remedia recipit: quippe quæ facilè ſentiunt partes, acria medicamenta nō tolerant, ſicuti neque humores. Verbi gratia: quum acris humor in ventriculi ore continetur, ſæpius animi defectionem accerſit. Quòd ſi mediocriter afficiatur, anxietate & nauſea premuntur: aliquando infeſtum quidem humorem vomentes, aliquando verò fruſtra enitentes: quod in iis potiſſimū affectibus accidit, quibus ventriculi os vitioſo imbuitur humore. Eodē utiq; modo quum in oculos eiuſmodi humor influit, maximum affert dolorem, ulceroſaſq; puſtulas, & curatu difficiles excitat. Quapropter neq; oculi acrium medicamentorum contactum, ob ſentiendi præſtantiam ſuſtinent, quemadmodum nec os ventriculi. Neque verò quod degravet, ſi foris imponas, eiuſmodi partes

tes tolerant, minusque ventriculo oculus, utpote qui nonnunquam ab iis quæ illinuntur, medicamentis molestatur. Partes verò quæ hebetioris sunt sensus, tum gravia cataplasmata, tum mordentia medicamenta ferunt. Quid multa? omne medicamentum contemnunt quæ tardi sunt sensus, etiamsi non leviter mordeant. At quæ acuti sunt sensus, eorum vires dolore resolvuntur. Expedit igitur has nec confertim, nec semel valentibus remediis mederi tentes, sed tuto potius in tempore. At ubi tardus est sensus, in iis etiam celeriter obire quod iustum est licet, semel usis remedio quod sit idoneum. A positu indicatio est medico quidem chirurgico, quo modo ligandũ, incidendum, inurendúmve sit: medicamentario verò, quemadmodum inungendum, fovendum, & medicamentum exhibendum. Veluti ubi morbus membrum quod altè positum est, occupat, quo id medicamenti, cætera tum re, tum qualitate pro morbi ratione confecti, vis penetrare facilè possit, deligenda sunt ea quæ tenuium partium sunt: aut admiscendũ est aliquid, quod substantiæ tenuitate, id quod crassiusculum est, in intimas partes deducat, ut pro eo esse possit, ac si tenuium partium esset. Nec minus iudicio situs profundus est medicamento: ne eundo iustas vires amittat, tantum ex auctario est adiungendum, quantum in itinere discessurũ conjicimus. Quæ igitur in superficie cõstitutæ partes intemperie laborant, medicamenta efflagitant, qualia affectus ipse requirit. Quæ verò in imo latent, iis non qualia sunt medicamenta adhibenda sunt, sed quæ affectui profutura sunt, dum ad eum pervenerint. Pari modo externis phlegmonibus abundè faciunt, quæ solùm laxare possunt. Internæ verò, qualis est membranæ, quæ costas cingit, acriora desiderant. Lienis verò & iecoris, omniumque peritonæi partium phlegmones eadem ratione curantur. Pulmo autem omnium poscit vehementissima medicamenta. Cõsiderare namque oportet, quot numero partes permeat medica-

A positu.

Situs.

mentum, quod ad pulmones fertur. Primùm quidem per os transit, deinde fauces, & stomachum, posteà ventriculum ipsum, & quędam ex gracilioribus intestinis, deinde ad mesenterii venas, pòst ad iecoris partium simarum, à quibus ad gibbarum seu convexarum venas, ab iis verò ad cavam, post quam ad cor; tandem ad pulmones pervenit. A situ & figurà partiũ: ut si quas vias pars habeat, per quas in alia membra pertinentes, iisdem fluxu molesta esse possit, si in principes partes hæ ducunt intercludendæ sunt, atq; ad ignobiles avertendæ. Itidem si longa & præceps fuerit, ut gula: hic, si illam exulceratio exercet, non semel, nec tota simul medicamenta adsumenda, sed sensim & assiduè. Siquidem ex transitu & contactu exulcerationi quæ hic est, utilitas accedit, non ex circumeundo, & diutius adhærendo, sicut huic, quæ est in ventriculo. Quinimò & quòd crassiora hæc, & magis lenta sint adhibẽda, id quoq; à positu figuraq; indicatur. Nam quoniam gula, transitus quidem comestorũ bibitorumq; est, idcirco remediorum eget quæ adhærere, & undiq; quasi concrescere & agglutinari possint, non autem quæ elui ac defluere sint prompta. Ac circa partes eius veluti cõcrescunt, quæ crassa sunt: agglutinantur, quæ lenta sunt. Quæ verò ulcera in crassis sunt intestinis, iis quę per sedem injiciuntur remediis magis egent, quippe cui magis sunt propinqua. Quæ in tenuibus habentur, quoniam & longinquiora sunt, & medio situ posita, ambo requirũt, & quæ supernè sumuntur, & quæ per sedem infundũtur. Iam ad vacuationes quoq; nonnihil figura & situs indicant, dum societatem laborantis particulæ cum aliis docent. Nam nisi illud compertum haberemus, quòd cavo iecinoris subjicitur ventriculus & ieiunum, tum quòd ieiuno ipsi tenue intestinũ succedit, id verò colon excipit, ac colon quod appellant rectum: utique invenisse illud non licuisset, quòd iecur & per alvum, & per vomitum expurgari possit. Cæterùm aptior est prior vacuatio, tanquam usu iam cal-

A situ & figura partiũ.

lentibus intestinis iecoris superflua tolerare. Si igitur in crassiore intestino vitium fuerit, ut causam elidas; clysterem subter iniecisse prodest. Si verò in tenuiori, medicamento ore assumpto: si in ventriculo, itidem; ac propterea vomitu: si in iecoris parte gibba, vel renibus, urinam movendo malum auferes: si in capite, vel per palatum, vel per nares, vel per utrunque: si in thoracis spaciis latioribus, per fauces simul cum tussi. Quæ in vesica, per urinam.

CONTRARIAE INDICATIONES *ut tractandæ. Cap. X.*

QVando contrariæ indicationes coeunt, diligentissimè expendendum medico erit, quæ magnitudine præstant, & quæ dignitate excellunt. Perpetuò namq; eligendæ eæ indicationes erunt, quas digniora maioraque indicantia præscribent. Magnitudo autem eorum bifariam æstimatur, nempe vel propriæ substantię ratione, vel declinationis à naturali habitu. Dignitas verò eorundem vel vitæ, vel sanitatis respectu. Nisi enim quis ita indicationũ potestates examinet, nequeat sanè victus mensuram, neq; alia ad curandi rationem invenire. Verbi gratia: quum refrigerandum & humectandum esse febris perpetuò indicet, reliquorũ si itidem concors indicatio est, nullum exhibetur negociũ: ubi discors, pro pluribus ac potioribus formari victus ratio debebit. Siquidem ex eo quòd aliquis febricitat, communis refrigerantium & humectantium indicatio præstatur, non tamen ex cæteris: sed cuius tum ætas, tum temperamentum unà cum cõsuetudine, tum regio, tum anni tempus, & cœli constitutio, humectantia refrigerantiaque exhibenda indicant: hunc haud dubium est, non solùm humectandum refrigerandumq; esse, sed etiam nec leviter hæc, nec utrumque facienda esse: imò planè magnopere ac vehementer, omnibus scilicet indicationibus idem dictantibus;

Magnitudo bifariam æstimatur.

Dignitas.

Exemplum.

Cuius verò reliqua omnia refrigerantem, quidem humectantemque victum, quemadmodum febris, non indicant, sed contrarium ipsi, calefacientem scilicet ac siccantem: utiq; ambiguitas pugnaque indicationum inter se oritur. Quo casu magnopere opus est, tùm numerum indicationum, tùm magnitudinē, simul conferat medicus. Quippe quæ à febri sumitur, ea reliquis, quando omnes contrarium faciendū præscribunt, numero quidem inferior est: magnitudine tamen, quæ ex dignitate, aut potestate, aut quomodocunq; appellasse libet, spectatur, utiq; superior est, potissimùm si longè à natura recessit. Quippe duplex tum magnitudo illi accedit, & quæ ex febris genere provenit, quæ omnibus communis, & quæ propria, suaque ipsius est. Siquidem & quia febris plus cæteris omnibus solicitos nos habet: & quia præterquam quòd febris est, etiam magnitudo illi notabilis accessit: idcirco contrarias indicationes inducit, atq; obumbrat. Sin parva fuerit febris, fas est reliquas omnes unà coniunctas indicationes, cum ea conferre atq; expendere. Ac si quidem pares videantur, neque febris indicatio præferatur, sic ut humectandum & refrigerandum sit: neq; etiam reliquorum, sic ut calefaciendum ac siccandum sit: sed potiùs media victus ratio, eligenda erit. Sin altera indicatio exuperet, tantum recessisse à temperato & medio victu æquum est, quantum ea quæ pollent, sua contraria superant. Ergo tum exercitatum in iis omnibus, tùm natura prudentem esse medicum conveniet: quo cuiusq; indicationis vi, ac potestate diligenter considerata, omnibusq; inter se collatis, unam idonei victus formam, quæ laboranti sit commoda, comparet. Pari ratione, si accidat ut cum viribus imbecillibus, corruptela humorum incidat, statim duæ, & hæ quidem contrariæ oborientur indicationes. Vna, quæ à corruptela petitur: altera, quæ à viribus imbecillibus sumitur. Prior esse vacuandum dictat, propterea quòd quicquid corruptū est, id à natura alienum sit, adeoq; sui

Medici in medicamentis inveniendis requiritur industria.

Aliud exēplum virium imbecillitatis cum humorū κακοχυμία.

ſui ablationem indicet: Quapropter affectus ipſe vacuandum eſſe pręcipit, idq; vel vena ſecta, vel purgatione. Poſterior autem, iis remediis, quæ affectus indicat nō eſſe utendum docet, quòd cum virtutis cuſtodia pugnent. Neutram enim duarum vacuationū imbecillæ vires ferunt. Quapropter in eiuſmodi indicationum repugnantiis, incerta, aut perplexa ſaltē eſt ſuccurrendi medendiq; ratio. Oportet autem, ubi indicationes ita adverſantur, & paulatim quod vitiolum eſt vacuare, & paulatim viciſſim qđ ſalubre eſt pro eo reponere viresq; inſtaurare. Nam hac ratione utriſq; indicationibus ſatis fit, quòd ita vires imbecillæ reficiantur, & quod corruptū eſt, citrà noxam vacuetur. Atq; hinc perſpicuum fit, magni quidem fieri indicationes ſumptas tùm à morbi natura, tùm etiam viribus: ſed multò plures æſtimari, quæ ab iis, quàm quæ ab hoc ducuntur neq; id quidem temerè. Morbi namq; dignitatem, ſanitate metimur, virium autem, vita ipſa: qua nihil eſt neq; dignius, neq; homini charius & antiquius. Quapropter quando accidit, ut indicationes, inter ſe ex adverſò pugnent, cōmittendū non eſt, ut dum alteri nimium ſis intentus, alterius omnino obliviſcaris, ſed utriuſq; memor, quoad licet utrumq; miſceas. Sed de indicationibus ſatis.

Corruptela curatio.

A viribus potiores quā à morbi natura ducuntur indicationes.

MEDENDI PRAECEPTA *unde diſcenda. Cap. XI.*

CVm multos eſſe conſtet, tùm Græcorum, tùm Arabum, Mauritanorúmve, tùm etiam recentiorum, qui de curandi ratione pręcepta ſubminiſtrantes Commentarios poſt ſe reliquerunt nobis in illis certè delectus aliquis habendus erit, ne ſcilicet deteriores, pro optimis, ut ferè fieri ſolet à plebejis arripiamus: adeoq; ex iis, ea quę ad ægri potius interitum, quàm ſalutem conferunt, pręcepta hauriamus. Fuerunt antè paucos annos, & ſunt hodie, prôh dolor, medici haud exiguo numero circūſcripti, qui

Medēdi præcepta non ex

in eam dementiam ſunt prolapſi, ut ſine Arabibus, Mauritanisve, praxim frigidiuſculè exerceri credant: & medendi præcepta ac rationem curandi morbos, è nullis aliis autoribus, quàm Arabibus, diſci poſſe credant: nullis aliis adducti rationibus, quàm quòd illi, rem hanc perſpicuè, & ordine ſanè optimo (ſi Diis placet) tradiderint. Quantùm verò, qui eâ in opinione verſantur, cæcutiant, quamq; nihil eorum, quę vel Græci, vel quos ipſi unicè admirantur, ac in oculis ferunt, Arabes ſcripſerunt, intelligant, eruditi ſatis perſpectum habent: omnibusque perſpicuum evadet, ſi quæ illi blatterant, paulò diligentius examinent, & cur hoc, aut illud inter medendum faciant, ab ipſis requirant. Nam tum eos, vel piſcibus magis mutos fore deprehendent: aut ſi quid dicent, conſuetudinem ſaltem, aut experientiam, (quam tamen nullam omnino ſcioli hi habent, illis obtrudent. Quaſi verò errantium multitudo, aut diurna conſuetudo, illorum errori patrocinari poſſit debeátve, aut ſtatim audito experientiæ nomine, à nobis impetrarint, ut illis concedamus quod ſe eſſe conſecutos iam ſibi falſo perſuaſerunt: Quòd ſi enim quæ ad experientiam veram, (quam perpetuò aſt inaniter iactitant,) requiruntur, è Galeno didiciſſent, nihil minus quàm experientiam ſibi vendicare auderent. Quàm parum verò intelligant ea quæ ſcripſerunt Arabes, quorum ſe æmulos eſſe gloriantur, expeditè cognoſces, ſi, ut cõtroverſos, qui in iis reperiuntur locos, tibi explicent, ab ipſis poſtulaveris. Nam ibi ſenties eos plus quàm pueros fore, & non habituros quod dicant, aut reſpondeant. Neq; mirum, quòd ſcilicet Arabes nunquam, vel per tranſennam tantùm inſpexerint: & quisque ſibi ex recentioribus aliquem, cuius placita præ cæteris ſequatur, delegerit. Et cùm fontes ſuos, (Arabum intelligo lacunas,) non deguſtaverint: quid eſt quod in iis enarrandis, eos præſtare poſſe ſperes? Sed fac quoſdam etiam abundè deguſtaſſe: quid aliud inde haurient, quàm peſtilentiſſima, & ægris certiſſi-

Recentiorum error confutatur.

Arabum perſtringuntur ſcripta.

tissimum allatura exitiū præcepta? Cùm enim quem Principis nomine dignantur, infinitis erroribus refertum fateri cogantur: quid ex aliis, qui omnia sua ex illo ad verbum transſcripſerunt, haurire poſſint, quivis conjiciet. Referturn autem eſſe Avicennam multis & capitalibus planè erroribus, nos alibi, præ-greſſis inprimis in commentariis & plerique etiam alii viri doctiſſimi ſatis demonſtrarunt, ut non ſit opus nunc illos nominatim percenſere. Vnum ſaltem in præſentia, & hunc certè omnium maximum, cæteris adjeciſſe ſatis ſit: quòd ex unico illo, quantum in reliquis Avicen. fidendum ſit, quivis facilè cognoſcet, & inde qualis is ſcriptor ſit, veluti leonē ex unguibus æſtimabit. Siquidem is Fen. 10. Can. 4. tract. 1. cap. 40. ubi aſthmatis curationem ex profeſsò docet, Arſenicum, ex aquâ mellis in potu dandum eſſe manifeſtè præcipit. Nemo verò eſt è numero eorum qui vel leviter medicinā deguſtarit, quem lateat, Arſenicū tōto genere naturæ noſtræ adverſari, adeoq; præſentiſſimum eſſe venenū cauſticū, ut ne halitus quidē qui ex eo trito ſpirat, innoxi⁹ nobis ſit. Quotidiana quoque experientia atteſtatur, perditos quoſdam homines, tùm ſibi, tùm aliis Arſenici uſu conſciviſſe mortē. Avicenna tamē iis venenoſitatibus nihil motus, illud bibendū inſanando aſthmate eſſe hortatur: ut mirū ſit, hunc carnificē, medicorū paulò antè ab omnibus ferè principem nominatum eſſe. Cùm itaq; principem ejuſmodì habuerint medici, quales fuiſſe putemus, qui ſub eo ſtipendia facere voluerunt? Nō alios certè quam is fuit, quem hoc nomine dignati ſunt, & cuius ſingula verba inſtar oraculorum habuerūt. Verùm nō ignoram⁹, quid pro hoc capitali errore tuendo allaturi ſint eius patroni ac defenſores. Nam quod aliàs ſolent, ita nunc quoque in interpretem culpam enormis ad erroris transferent: atque illum, locum hunc parum fideliter convertiſſe cauſabuntur. Atqui quàm bellè illi principem ſuum excuſent, & ab errore vindicent, eiusque autoritatem aſſerant, ij quibus

Avicennæ immenſus error de arſenico in hydromellite aſthmaticis propinando.

Obiectio diluitur.

scripta eius paulò melius quàm illis patronis cognita sunt, norūt. Hi enim sciunt, quòd Avicēna cap. 49. Can. 2. ubi Arsenici facultates omnes percenset, idem quod loco iam producto doceat: nempe Arsenicum ex hydromelite sive aqua mulsa potum asthmaticis tussientibus, sanguinemq; expuentibus conferre. Vt mirum sit, illum immemorem planè fuisse eius, quod in eodem capite paulò antè hæc verba dixerat: nimirum omnibus Arsenicis, putrefaciendi, & erodendi vim inesse summam. Si itaque erodendi facultas inest, cur & quomodo tussientibus, & sanguinem expuentibus bibendum exhibet? cur intrà corpus, cùm venenum sit præsentissimum, assumendum præcipit? Nō est igitur cur in interpretem culpa transferri possit, ut qui utrumq; locum optima fide transtulerit. Et sanè fidem, in interprete hoc loco non posse desiderari, hinc omnibus perspicuum evadit, quòd Mesue, qui & ipse Mauritanus, & Avicennæ simia fuit, in curatione asthmatis ad verbum, ut alia multa, hunc locum transcripserit: & perinde ac Avicenna, Arsenicum cum aqua mulsa, vel melle asthmaticis, in potu exhibendum esse, nō obscuris verbis hortatur. Quòd si enim secùs in Avicennæ codice scriptum fuisset, haud dubiè Mesue, non iis quibus nunc legitur, sed aliis planè verbis in suos libros locum hunc transscripsisset. Vt meridiano sole clarius sit, interpreti non esse hunc errorem imputandum, sed ipsi potiùs Avicennę: quem quidam verissimè eam ob rem dixit iugulare, non curare homines. Sed demus adversariis, & veteris inscitiæ propugnatoribus, Avicennæ, aliorumq; Arabum, Mauritanorúmve scripta vacare erroribus, quod tamen in perpetuum non docebunt: nihilominùs tamen illis cōmodè ad faciendam medicinam uti haud possent, quòd scilicet barbarè, ineptè, spurcè, & fœdè, quod metipsi fatentur, atq; hoc nomine errata omnia in interpretes transferunt, in Latium traducta sint: quodque nullis nervis, nullis demonstrationum legibus, sed puris nudisque verbis singula

Arsenici facultates secundum Avicenn.

Mesueus idē de arsenico quod Avicenna docuit.

Arabum barbaries obscuritas taxatur.

ſingula perſequantur, ut quamvis multa dicant, perpauca tamen doceant. Verùm fac optimè eſſe in Latinam linguam converſos Arabes: tamen prodigioſum hoc & horridum ſermonis genus, quo illi uſi ſunt, eiuſmodi eſt, ut Latini ſermonis proprietatem reſpuat, atque etiamſi maximè adnitaris, tamen ut intelligas idipſum fieri non poteſt. Etſi igitur optimum interpretem nacti fuerint, tamen is Arabiſmos nunquam rectè & congruè Latino ſermone exprimet. Cui rei fidem facit maximam Mahometi Alcoranus: in quo tam prodigioſa & diſtorta eſt oratio, ut hunc legens non hominem, imò ne bovem quidem, ſed Plutonem ipſum ex infernalibus tenebris boare, ac feralem edere vocem iuraveris. Nec ſanè melior eſt Avicennæ oratio, ſed immenſa quoque caligine, ac penè Cimmeriis tenebris involuta & obſcurata. Quæ certè cauſa eſt, ut eius ſententia, multis in locis, vix accipi, & intelligi poſſit, ut meritò ingenia iſto obſcuro ac monſtroſo planè ſermone offenſa, ab eius lectione reſiliant. Neque mirum ſanè, hominem hunc, præ cæteris etiam Mauritanis omnibus magis balbutire, & prodigioſa oratione uti: quùm conſtet, illum (hoc enim qui ipſum unicè admirantur, & in deliciis habent, inter præcipuas eius laudes referunt) decimo ætatis ſuę anno, ſui Machometi Alcoranum, memoria tenuiſſe univerſum: Quid enim aliud ſonaret, aut quo alio ſermonis genere uteretur Avicenna quàm ille, cuius lectione tantopere eſt à teneris delectatus, ut hunc dignum æſtimaret, cuius ſingula verba ita animo infixa haberet, ut eorum oblíviſci non poſſet? Cùm igitur Arabes, & horum maximè principem Avicennam, neque mentem, neque linguam ſatis puram habuiſſe conſtet, (communiter enim fit, ut cum erroribus, & phanaticis opinionibus coniuncta ſit orationis confuſio, & deformitas) præſtat certè hos prorsùs non attingere, quàm ſine iudicio in eorundem lectione verſari. Imò, ſi quid iudicium meum valet, non eſt permit-

Arabũ prodigioſum & horridũ ſermonis genus.

tendum iis, qui artem medicam addiſcunt, nec dum ſibi ſolidum ex optimorum autorum lectione pararunt iudicium, ut vel leviter attingant Arabes: quòd metuendum ſit, ne errores, quibus illorum ſcripta referta ſunt, ita imbibant, animiſque ſuis infigant, ut poſthac nulla ratione elui ac eximi poſſint. Tenaciter enim hærent, quæ rudibus primiſq; annis hauriuntur: & hæc ipſa magis pertinaciter hærent, quo magis deteriora ſunt. Vt enim odor, quo recens teſta ſemel imbuta eſt, elui non poteſt ex Horatii etiam ſententia, ita ægerrimè ea quæ à teneris, ut aiunt, unguiculis avidè didicimus, extirpantur. Nec melior eſt conditio barbarorum, & recentium medicorum: ut qui ſua omnia ex Arabibus tranſcripſerint, adeoque ab exquiſita veterum docendi & medendi ratione plurimum recedentes, longiſſimo diſtent intervallo. Igitur præter ſummam barbariem, quæ lectori faſtidium parit, etiam immenſus eſt deteſtandorum erratorum in eorundem ſcriptis acervus, quæ illi, ab Arabibus, perinde atq; infans ex matris mammis lac vitioſum, ſuxerunt: quæ ſingula, lectori, ſermonis impuritatem faſtidienti, & veritatem cõſectanti, parum iucunda, & inutilia planè ſunt, ſummoq; devitanda ſtudio. Quanquam etiam hoc hominum genus, propter rerum quarundam inutilium tractationẽ, lectori, præſertim rudi, magnas remoras objiciat. Cùm itaq; res ita comparata ſit, prçſtat ut rejectis planè & poſthabitis Arabibus, Mauritanis, barbariſq; prioris ætatis ſcriptoribus, ex Grçcorum medicorum, qui ſyncerè, purè, & exquiſitiſſima methodo artem tradiderũt, ſcriptis, veluti limpidiſſimis fontibus, ea quæ ad medicinam faciẽdam neceſſaria ſunt diſcamus. Vt enim in Arabũ doctrina omnia ſunt impura, barbara, ſcabra, intricata, fœdiſſimiſq; erroribus conſpurcata: ita contrà Grçcorũ omnia ſunt pura, terſa, nitida, polita, aperta, nullisque erratis contaminata. Et ut in confeſſo eſt apud omnes, è fontibus potius quàm lacunis eſſe bibendum: ita nulli dubium eſſe debet, è

Barbari ac recentiores medici itidẽ taxantur.

Græ-

Græcis potius quam Arabibus medicinæ præcepta theorica, & practica haurienda esse. Nihil enim habent Arabes, quod non vel ex veteribus, vel posterioribus Græcis descripserint quæ ipsa innumeris coinquinavêre erroribus gravissimis. Verum quod dicimus, esse deprehendet, qui scripta Arabum cum Græcorum monumentis contulerit. Nam is comperiet, eos omnia à Græcis, etiam Galeno posterioribus & junioribus, quos magis imitati sunt, compilasse: utpote qui cassiam nigram, moschum, nucem unguentariam, ambram, camphoram, lacham, Santala, & id genus alia veteribus indicta, longè verius & exquisitius quam Arabes descripserint: ita ut neq; horũ medicamentorum cognoscendorum gratia, Arabũ ope egeamus, cùm abundè hæc ipsa, Græci posteriores depinxerint. Quum verò aliorũ Græcorũ medicorũ scripta omnia, ceu rivuli quidã ex Galeno, tanquam uberrimo fonte promanarunt, ex hoc magis quam aliis præcepta de tuenda, ac restituenda sanitate petenda erunt: utpote in quo nihil est perplexum aut sophisticum, sed omnia aperta, candida, & optima methodo tradita explicataque. Præ reliquis autẽ suis libris unicè ad rectè curandos morbos conducunt ii, quos de Medendi ratione inscripsit: in quibus indicationes curandi perfectissimè docuit. Nam principio curandi rationẽ morbi similariũ & instrumentalium partium, communis nempe unionis solutæ, libris 3. 4. 5. & 6. ejus operis solutissimè tradidit. Dein ejus qui in solis similaribus consistit, intemperiei nimirum, medendi rationem in 7. 8. 9. 10. & 11. perspicuè & copiosè tractavit. Quòd si verò quispiam eorum, quæ in jam dictis libris docet, compendium affectat: is primũ, quem idem Galen. scripsit de Curandi ratione ad Glauconem, diligenter legat. Quo verò pacto symptomatis sit prospiciendum, id. 12. ejus, quod de Medendi ratione edidit, libro monstravit. Quæ deniq; ad tumorum præter naturã curationem cognitu necessaria sunt, ea omnia in 13. & 14. ejusdẽ

Ex Galeno præcepta de tuenda & restituenda valetudine petenda.

Librorum de methodo medendi argumenta.


operis, & altero de Curandi ratione ad Glauconem, exquisitissimè ostendit. Etsi autem non desint hodie qui hos libros calumniari ac sugillare audeant: tamen si, quæ illi adversus hanc methodum afferunt, diligenter expendas, nihil aliud quàm quod ille in iis libris docuit, eos afferre deprehendes: nisi quòd sophistica quædam, captiosa, inania admiscent, quibus illius ordinem, si diis placet, lectori suspectum reddere conantur. Non solùm verò Galenus curandi indicationes docere contentus fuit, sed etiam præsidia, quibus morbi abiguntur, multis in libris monstravit. Nam etsi obiter præsidia illa in medendi libris attigerit, plenissimè tamen eadem in libris, quos de Simplicium medicamententorum facultatibus, & de compositione medicamentorũ tum generalium, tum localium inscripsit, edocuit: ita ut nihil ab eo, quod ad hanc rem rectè intelligendam facit, requirere possis ampliùs. Galeno tamen si quis adiungat Paulum Aetium, Actuarium, & Alexandrum Trallianum, non est cur nobis reprehendendus veniat; cùm in iis nonnulla, quæ illi ex Galeni libris, injuriâ temporum amissis transcripserunt, inveniet. Non est etiam contemnendus Nicolaus Mirepsus, quem nos Latio donavimus. Nam is multũ ad componenda medicamenta momẽti afferet. Iam dicendi finem faciam, quòd universæ medicinæ capita, quàm potui brevissimè & perspicuè, quinq; iis libris perstrinxerim, & aditum quendam, (qui unicus meus fuit scopus votumque ardentissimum, ad rectè legenda & cognoscenda veterum scripta paraverim.

Adversus Galeni calumniatores.

Indicationes curatorias præsidiis therapeuticis illustravit Gal.

Galeno qui adiungendi scriptores medici.

FINIS.



RERUM, VOCUM, ET LOCORVM INSIGNIVM, IN PRAEcedentibus quinque *Medicinæ Institutionum libris, contentorum,*

INDEX locupletissimus alphabetico ordine digestus.

A

Abdominis musculi 157
Abscessuum futurorum signa communia, propria 633.634
Abscessus 590. *in his, quæ, & quales reperiātur substantiæ* 591. *quottuplices.* *ibid.*
Abscessus futuri signum pathognomicum 628.629
Abstinentia quid 458. *incautè adhibita nocet* 458
Accessio anticipans, longius & vehementius ægrū affligent, quid notet. 611
Accessiones, & ipsa indicationes interturbant. 639
Accessio quid. 606.607
In accessionibus nutriendum quandoq;. 285.286
Acetabula uteri. 184. *de his quid senserit Hippoc. ibid.*
Achillis præceptor. p. 3
Achores. 540
Acrochordones. 594
Acrocheirismus quid. 296
Acro Agrigentinus empirices auctor. 45
Actio nulla, reverà potest esse perpetua 318
Actionis corporis principalissimæ sunt tres, animales, vitales, naturales. 230 231. *&c.*
Actio practica, & alteratrix quid. 232
Actionum voluntariarum duplex est differentia 232 233
Actiones animæ, cur à medicis practicis considerandæ. 245.246
Actiones an lædātur quandoq; illæsa manente parte corporis, illas efficiente. 246
Actio quid. 229. *ab opere*

ut differat ibid. quottuplex. 230
Actionem lædere nequeunt quæ è corpore sublata penitus sunt. 494
Actum esse. 106
Actuarii opinio de concoctione bilis. 415
Actuarii de cœna, & prandio opinio. 324
Acuti morbi fere soli iudicantur. 627
Acutorum morborum differẽtia specialißima. 515 516
Adnatæ, & corneæ tunicæ vitia. 566.567
Adolescentia quid. 77
Aeginetæ definitio. 316
Aegrotanti, in quibus præcipuè rebus gratificandũ. 280. an exhibendi semper illi quibus unice delectatur cibi, & potus. 280
Aegri contrarios cibos deposcunt. 276
Ἀπάθεια quid. 496
Aequales intemperies, cur indolentes. 498
Aequaliter inæquales pulsus. 690
Aequalitas & inæqualitas pulsuum. 659
Aequales simpliciter sic dicti pulsus qui. 689.690
Aequales & inæquales certi generis pulsus quales. 690
Aer quis optimus, quis peßimus cur medico considerandus. 264.265. corpora nostra indesinenter alterat, ibid.
Aeris optimi, & peßimi natura, & conditiones. 265
Aer ambiens, se, vel usurpandum indicat, vel emẽdandum. 736.737
Aerium balneum. 442
Aeris optimi, cum peßimo aere facta cõparatio. 267
Aeris vitiosi emẽdatio. 268
Aer quis, & qualis, unicuique naturæ intemperatæ conveniat. 268
Aer ut frigefaciendus, humectãdus, calefaciendus, exiccandus. 268.269
Aesculapius quid præstiterit. 23
Aesculapii filii. p 3
Aestate purgationes vitandæ. 395
Aestatis temperamentũ. 75
Aetatum ratio maxima habẽda in sanguinis mißione. 350
Aetatum natura, numerus, divisio, tẽperamentũ. 76
Aetatis mediæ temperamentum. 84
Aetas purgationis neceßitatem, &c. indicat. 394
Aetas victum sibi similem, atq; competentem vacuationis indicat speciẽ. 746

Aetius

Aetius febrem, ex iecoris ortam erysipelate, typhodem appellat. 532
Affectus præter naturã qui, & quottuplices. 47
Affectus vox quotupliciter à Gal. usurpatur. 484
Affectus ex inanitione pronati, non indigent vacuatione. 460
Affectus vox quot modis sumatur. 466
Affectus corporis nostri simplices visiles, odorabiles, gustatiles, tactiles. 522 523
Afficiuntur homines cantu oratione, harmonia. 467
Agglutinatio. 236
Alantoeides tunica. 186
Alexander Trallianus bilis concoctionem inquit mediocriter calidis remediis perfici. 414
Alimentum exuperans, non est causa cõcoctionis. 488 lædit concoctionem, tamquam error externus. 489
Alimenti præparatio in ore. 238
Alimenta corrupta, vomitu prolicienda. 425
Alimentorum concoctio duplex. 406
Aloes facultates, quæ, & quotuplices. 211
Alopecia quid. 540
Alopeciæ à principio purgãdum. 418
Ἀλφός. 588
Alteratrix virtus. 225 226
Altrix facultas quid, ab auctrice diversa est. 226 227
Alvus lubrica salutaris. 345
Alvi deiectionis futuræ nulla sunt propria signa. 632 633
Amati Lusitani de catalepsi, & catoche error. 549 550
Amor. 234
Ἀμβλυωπία quid. 56
Analogismus quid. 228
Analogismus quid. 727
Analogismus ad morbor. occultor: invenienda pharmaca, accõmodatißimus. 41. eius species. 41. 42
Anatome aboßibus exordienda. 133
Anginæ definitio, & differentiæ quatuor. 570 571
Anglicus vocatus sudor. 432
Animales functiones per somnum se se exerũt. 316
Animalis spiritus. 259
Animales actiones quæ sint, & quottuplices. 230. 231 & seq.
Animalis facultatis sedes, functiones, & vires particulares. 213. 215
Animalis spiritus generatio.

Animalis spiritus generatio- non perficitur in pluxu reticulari 254.
Animantia quando nam optimè se habeant 66
Anni tempora, cibandi rationem dictant 287.
Annoxia quid 574.
Annularis cartilago 147.
Antecedens causa, à proximâ non differt 474
Anthrax 585.
Antidotariorum authores 36
Antiades 569.570
Apthæ 569
Appetitus animalis, naturalis ut differant 113.
Appetẽtia naturalis animalis 236.
Appetentia canina 574
Apoplexia reverâ habet incrementum 609.
Apoplexia quid 558
Appollo inventor medicinæ. 2
Apodyterium quid 441
Aponeurosis 149
Απόσκημμα 591
Αποσπάσματα quid sint 512
Appositio 236
Apostema 590
Apotherapias natura, commoditates, & quæ ad eandem obeundã sunt necessaria 311.312
Apotherapiæ frictio, qualis esse debeat 312
In apotherapiam, partes cur tendendæ 312
Apoleius 34
Apyrexia quid 607
Aquar: nitrosarum, salsarum 433 alumenosarum, sulphurearum, bituminosarum, ceratarũ, ferratarum 434 atramentosarũ, cœruleo, ærugine chrysocolla, auripigmento, sandaracha infectarum effecta, & utilitates 435
Aquarum stagnantium, & fluentium usus 445
Aquæ optimæ, vitiosæ, indices 290 291. illius potius quibus præcipuè conferat. ibid.
Aquæ per silices fluentes, plumbeæ, acidæ, argenteæ & aureæ, simplices, & permistæ invicem aquæ, quæ, quid possint 435. 436.
Arabes 34
Arabum dogma de diversis cerebri locis, in quibus actiones principes edi dicũt confutatur. 218. 219.
Arabum perstringuntur, ea animanturq; scripta medica 754. 755. taxatur illorum obscuritas barbaries 756. 757
Arabum de revulsione, ex adverso instituẽda dogma exanimatur, & exploditur

tur 365.366.367.

Arabum barbaries, & genus sermonis horridũ damnat. 756757.

Arabum taxatur doctrina 553.

Ardor stomachi 574.

Arenulæ urinarum 672

Argēterij de spirituum substantiâ, & numero sententia 252.255.256.257.

Argenterij lapsus de comatis natura 544.545.

Aristotelis error de tactus organo confutatur 216.

Arsenici facultates secundũ avicennam 756

Arthritis 584

Arteria venosa 190 191

Arteria soporalis; dextra, sinistra 192. utriusq; item divisio, & diductio. ibid.

Arteriarum meatus 684.

Arteriarum figura circularis angularis; depressâ; quas pulsuum significent nobis species 687

Arteriæ non sunt verè similares, & simplices particulæ 128

Arteria trahea levis, aspera 188

Arteriæ renum, seminalium exortus arteriarum 193

Arteriæ magnæ nomina, & appellationes 190 divisio 191

Artium finis geminus 10

Artium docendarum via & rationes 23

Artes iudicandæ non ex materiis, sed ex fine 19

Artium genera quatuor contemplatoriæ, activæ, factivæ 20

Artis definit: proprietat: 15.16

Articuli vitiorum enarratio 584

Asclepiadis error de indicatorium dierum causis 639

Asperitatis, & levitatis morbi 506

Asperæ arteriæ caput 188

Astra; & tum horum; tum cælestium corporum reliquorum influxus an causentur morbi criseis 639 idipsum faciat ne, lunaris, solis cursus 640.641

Astronomiam discat medicus oportet 270

Astrologorum de indicatoriis diebus figmenta fugienda 643 644

Assimulatrix virtus quid agat 227

Asphyxias causa 713

Ataxias in pulsibus causæ 718 significationes 723

Athenienses sacris Eleusinpis initiati Hippoc: 5.9

Atheroma 591

Atomos non esse elementa 51 52

Atrabilis acerba 108

Atræ bilis p.n. duæ differentiæ principales 120.121 122
Atræ bilis naturalis, excrementitiæ sedes 111
Attractrix facultas est communis omnibus animatis corporibus 227
Attractionis causæ effectrices quæ 227.228
Attractio alimenti 237
Atrophia oculorum 561
Auditus instrumentum ossicula 136
Auditoria facultas 215
Auditus organum 215
Auditio quid 231
Auctio 236
Auctrix facultas, quid? quod illius munus sit, quomodo agat, & quando agere desinat 226 *diversa est ab altrice* 227
Averrhoes in omnes ferè cõtumeliosus 68
Augmenti cognitio pendet ex invasionis horâ; longitudine, magnitudine 611
Avicennæ de melancholiæ excrementitiæ usu error confutatur 115
Avicenna de temperamenti definitione opinio confutatur 63
Avicennæ erratum de flavæ bilis p.n. speciebus confutatur 119.120
Avicenn: sententiâ, de præparatoriâ humorum concoctione 455
Avicennæ error de præparatione humorum ad purgationem detegitur, & confutatur 403.404.405
Avicen: quomodo morbum definit 483
Avicenn: erratum de venæsectionis idoneo tempore 375
Avicenn: error de febris causa continente 476
Avicennæ erratum 22
Avicenna quânam usus sit methodo; 28.29
Avicennæ immensus error, de arsenico, in hydromelite; asthmaticis propinãdo 755
Avicen: doctrina de humoribus secundariis 123.124
Auris vitiorum catalogus 567
Auriculæ cordis 189
Autopsia, quid, quottuplex 40.41
Αυτοχείδιον *quid, quis ipsius usus* 47
Autumni temperies 75
Autumnales morbi 75
Avulsio est morbus instrumentalis 512
Axillaris vena, huiusq; distributio 178.179

Ατυγος

Ἄζυγος vena 177

B

Βαλανεῖον quid 442
Balbuties 571
Balneum quid, quotuplex naturale, artificiale 432 utriusq; summa genera ibid. & sequent: calidar: usus regimen 440
Balneorum nostrorum cum veterum balneis comparatio 443
Balnea Germanorum frigida 443
Balnei partium variarum variæ facultates 443. 444 & seq.
Balneum quibus planè sit inutile 444
Balneæ plumbariæ, piperinæ badeniæ helvetiorum, 436 embsebadæ, Gebersveilanæ marchionis durlacensis, Bildebadæ 437 Cellerses 439 Vberlingenses, Oppenavenses sive Anthegastæ, Visebagastеniæ, Abudiacæ 439 44 oblatanæ 439
Balnea venæ sectioni præmittenda sunt 377
Balneorum arte paratorum materia, & formulæ aliquot illustriores 446
Balneantibus, præstat diebus quàm horarum numerum certum præscribere 441
Balneorum artificialium partes quinq; 441
Basilare os 135
Basis cordis situs 189
Bilaria vesica 173 eiusdem meatus bilem excipientes, & expellentes 173
Bilaria vesicula sanguine alitur 110. 242
Bilarij meatus exortus implantatio in intestina 114
Bilis flavæ, atræ temperatura 105
Bilis cærulea non differt ab isatode 120
Bilis flava pallida rubra 120
Bilis flavà utrum concoctione indigeat 410. & quomodo concoquatur 414 415
Biliosi succi nullà penè egent præparatione 402 his abundantibus, quibus medicamentis præpatoriis utendum 403
Biliosæ naturæ faciliùs concoquunt; quàm aliæ tempeeries 114
Bis pulsantes pulsus 692
Bis ferientes 692 horum natura simili declaratur 693
βλέννα propriè sic dicta quid sit Gal: 109
Βόθριον 563

Brachij ossa 142
Brachium subeuntes nervi 206.207
Brachiale quid 143
Bubones 589
Bubones pestilentiales 531
Bucca quid 150
Bulimus quid 574
Bullæ urinarum quid 673 *illius color albus pallidus* 674
Bullæ urinarum stabiles flatuosæ, versum mediam superficiem adscēdentes 674

C

Cachexia 579
Cacochymia & quantitatis & qualitatis humorum est vitium 343
Cacochymia quid, unde, & cur sic dicta 342
Cacochymia, quadruplex biliosa, pituitosa, melancholica 340
Calcis os 146
Calculum unguem, cataractam, præterrigium falsò recentiores morbos esse negant 492.493.494
Calor innatus influens quis 222
Calidi f.h.s. acceptionem multiplex 69
Calidum innatum quid, quadrifariam sumitur à Gal: 220 *temperatum est* 221 223.224
Calidum innatum est omniū actionū naturalium causā 223
Calidum simul & frigidum, simul ne sentimus unicà in corporis parte 497.498
Calidum quid significat Hippocrati 52.53
Calidum innatum, cur fixum statuitur 222
Calore sicco elicitur sudor
Calidarium quid 442
Calvariæ ossa octo 134
Calvariæ suturæ 135
Calvitium 540
Callosum corpus 195
Cambium 125
Capillis similia in urinis corpuscula 671
Capillorum defluvij genera 540
Capitis vitiorum enarratio 540
Capitis foramina 138
Caput moventes musculi 153
Cancer quid, unde dictus 586 *evidens, occultus* 587
Carbunculus 586
Cardani contradictionum libriciis haud legendi 19
Cardani de typhode & helode febribus opinio confutata 533 *idem falso etiam Manardum calumniatus est* ibid.

Cardiaca

Cardiaca passio 573
Cardiogmos quid 574
Carcinomata oculorum 563
Cari morbosi in universum omnis causæ efficientes 553 554.555
Carus quid, unde, illo detenti sentiunt moventur 552. quottuplex 553
Carolus V. imperator 440
Corpus quid, quæ, & quot illius ossa 143
Cartilagines costarum spuriarum 141
Cartilagines palpebrarũ 146 aurium 147 nasi ibid. laryngis 147
Cartilago ensiformis 141
Caruncula urinis innatantes 671
Catalepsios variæ causæ 546 547 & seq: 550. 551
Catalepsis à sanguine 552
Catalepsis à solam siccitate, à succo melancholico 551
Catoche & catalepsis quid 549 à catalepsi vix differt ibid 547 duplex est propriè, & impropriè sic dicta 548. 549
Catarrhi species, gravedo raucitas 561
Cavitatis morbi 506
Causa generatim sic dicta quid, causa morbi quid 471.489
Causa morbi gemina, per se, & per accidens 471
Causa primitiva 471 externa procatarctica 472 473
Causa morbi præcedens abdita, proxima, antecedens quæ 473
Causa morbi 469
Causæ internæ non omnes affectus sunt 469
Causa antecedens, proxima quid 480. 481 sine quâ non 482 adiutrix ibid.
Causæ morborum cur medico examinandæ 482. qua methodo tractãdæ, ubi easdem tradiderit Gal: 483
Causæ efficientes per se, & per accidens 413
Causæ salubres insalubres 13
Cavæ venæ distributio infra iecus 175.176 supra iecur 177 partititio eiusdem in iugulo 177
Celsi error de diebus indicatoriis 639
Cephalalgia 541
Cephalæa 541
Cerebri infundibulum 197 pelvis ibid. plexus 198 nervi 198

Cerebrum, non est actum frigidum 316
Cerebellum 194 *huius processus* 19 *vermiculares* 197
Cerebrum 194 *huius menynges seu membranæ, torcular* 194. 195 *ventriculi* 196 *septum ibid. Fornix ibid.* 197 *glandula, nates testes ibid.*
Cervicis vertebræ 139
Cerevisiæ natura, temperamentum, facultas, compositio 292. 293
Charonium antrum 266
Charonij specus 265
Cheirugia quid, in quibus libris ab Hippocr: & Gale: descripta 38
Chirurgiæ inventio. p. 4
Chilo Lacedæmonius 464
Chiron Centaurus. p. 3
Cholera 575
Christophori de VVeiga calumnia detersa 85
Chyli utilitates, & commoda 112. 113
Chylus non est substantia simplex 95
Chylificatio quid 407
Chylus quid, ubi fiat 239
Chylificatio quid, quæ huius causa efficiens 238
Chymosis oculorum quid 562
Chymus quid, ubi fiat 242
Cibi qui singul: & unicuiq; conveniant ætati 288
Cibi bonitas, & malitia 272
Cibus mediocris, copiosus quis 322
Cibi ingesti, non naturalem, sed animalem appetentiā sedant 113
Cibi, qui singulis anni temporibus conveniant 286
Ciborum assumendorum conveniens tempus 282
Ciborum mensura dosis à quibus petatur 273. 274
Ciborum qualitates convenientes dictitant, corporis cibandi constitutio sana, ægra 276
Cibi & potus quis usus quot item in iisdem assumendis consideranda medico 271
Cibus ingestus animalem duntaxat sedat; & satiat appetitum 240
Ciborum assumendornm legitimus ordo, in sanis & ægrotantibus quis 281. 282
Cibi delectatio plurimum valet ad sanitatem conservandam, reparandam 279
Cibi, qui, boni, qui, mali succi sint 272

Ciban-

Cibandi consilia à duabus potissimum rebus petuntur 614
Cibandi consilia præcipua ducantur oportet à morbi vigore & ægrotantis viribus 274
Circuitus quid; quæ; & quot illius sint partes 606
Cilia 146
Clavi quid 594
Claxus 563
Claviculæ ossa 142
Coccygis os 140 *unde sic dictum* ibid.
Cocta quæ sint, ac dicantur 409
Celi constitutio quid indicet 746
Cæliaca passio 575
Cælij Rhodigini lapsus in definiendo coryco 298 299
Cælij Rhodigini erratum de medicamentis diaphoreticis 457
Cœna an prandio debeat esse liberalior 323
Cœna cur magis quàm prandium nos aggravet 323
Cœnam prandio decet esse liberaliorem in iuvenibus sanis 284
Cæstus 294
Coindicatio quid 728
Coindicantia quæ, & quotuplicia 728
Colica passio 577
Colli vertebræ 139
Calatoria ossa 135
Colorum in urinã differentiæ præcipuæ, quæ sint, & quid notent, illarũ singulæ 652 653
Colores temperamenti partiũ, & medicamentorum indices 90 91
Columella 589
Comatis somniculosi, & pervigilis causæ 543 *perpetuo præter naturam est* 544
Coma vigilans, an, & quibus, in cum Tatano conveniat 549
Comatosi qui 542
Compositionis vitiatæ morbus 505
Compositionis morbi quinam & quottuplices 506 507
Concausæ 482
Concoctio quid, quotuplex 406.407.408.409.237, 238.239.
Concoctionis secundæ proprius humor est chymus 242
Concoctio tertia, in singulis corporis nostri partibus fit 244 *inchoatur in venis exilibus* 244 *eiusdẽ*

qui sint humores proprij, excrementitij 244.145
Concoctionis signa 602
Concoctrix virtus agit, per solum calorem 228
Concoctionem adminiculantes causæ 413 causæ primariæ secundariæ ibid.
Concoctio nulla fit à frigore, & rebus frigidis 414
Concoctrix virtus non est læsa reverâ in crapulâ, & in gluvie 490
Concoctionis primæ excremētum 241
Concoctio secunda fit in iecore 242
Concoctionis secundæ seu αἱματώσεως excrementa biliosa melancholica serosa 243
Concocta, cur facilè adeò vacuentur 412
Cōcoctionem iuvat calor externus 412
quæ Concoquuntur, & crassiora, & pauciora evadunt 411
Concubitus idonea hora quæ, & qualis 453
Galen: opinio: de venere 454
Venus, quibus conveniat, & quibus non 454
Condylomata ani 578
Conformationis mala morbus 505
Confidentia quid 234
Consistentis ætatis temperamentum 79
Consuetudo, quid indicet 744
Consuetudinis vis, & efficacia maxima, in venæsectione prohibendâ concedendâ 354
Consuetudo victus rationem ostendit idoneam 745 singulorum corporum detegit naturam, temperamentū 745
Consuetudo, an, quando & quomodo sit mutanda 745
Consuetudo in cibando plurimum obtinet momenti, 277 ad quisititia n: veluti est natura ibid.
Consuetudo prava, an, quando, & quomodo sit mutanda 278
Consuetudinis mutatio, tribus fiat oportet conditionibus adhibitis 279
Convolvulus 577
Convulsio quid, illius species tres 559
Convulsio canina 571
Convulsio cum ruptione 513
Convulsio musculorum proprius est affectus 575
Continens causa confutatur, & reijcitur 476

Continens causa, in morbis nulla datur 474 quid illa sit 475. 476
Continente causa posita nulla dabitur morbi curatio 477.476 in quibus locis præcipuè Galen: illius meminerit ibid. & 477. 478
Continens causa, in ægris, non item in morbis cognoscenda 479 illa offert sese in pathematibus, & symptomatibus 479 in morbis autem coincidunt, cum illarum causis antecedentibus ibid. quot modis sumitur & definitur à neotericis 480
Contentorum substantia triplex 665, colores omnivarij 666
Contenta levia tenuia crassa 665.666
Pus, à phlegmate, ut distinguitur 666 in urina quid notet 672
Contenta alba, pallida, sub pallida, flava, rubea, cruenta, veneta, orobea, furfuracea, quid significent 666 677
Contenta urinarum mediocria, multa, pauca, tenuia crassa quid significet 669
Contentorum ex variis locis quæ sumantur præsagia 669.670
Continui solutionum differentiæ evenientes maximè, in partibus similaribus 513 514
Continuitatis solutio, est morbus similaribus, & instrumentariis partibus communis 507
Continuitas actionibus similaribus, & instrumentariis edendis confert 507.508
Contraindicatio quid 728
Contraindicantia 728
Contrarietas quid 736
Contrarietas indicationum omnium prima, & generalißima est 734
Contrariorum omnium remedia sunt contraria 735
Contrarietas communis est morbi, temperamenti, & ambientis aeris indicatio 735
Contrariorum modus, & quãtitas medico pernoscenda 741
Contrarium in revulsione quid sit & dicatur 358
Cor 189 huius situs, ventriculi auricul: vasa, membranæ & valvulæ 189 190.191

Cordis, & arteriarum motus est perpetuus 225
Cor somni causam malè statuit Aristotel: 317
Cor non est primum sensoriũ ibid.
Cordis intemperies inæqualis 715
Corneæ tunicæ calor, p.n. actionem non primò lædit 491
Corneæ tunicæ vitia 562
Corona urinarum quid illius calor quis benignior, deterior 673
Corporis humani divisio 50 51
Corpöris nostri substantia in aßiduo fluore consistit 227
Corporis curandi, constitutio & temperatura inprimis attendenda medico 738. 741
Corpora mixta neutiquam ex solis elementorum nascuntur qualitatibus 53
Corpus ante exercitia, ab excrementis vacuandum 306
Corpus totum, confluxile est, & perspirabile 258
Corpus fluidum, sive fluxile reddendum 401
Corruptelæ seu κακοχυμίας curatio 753
Corruptela humorum 342
Costarum numerus, in viris & & mulieribus duodenarius 141 divisio, in veras, & spurias ibid.
Coxa, & coxendicis ossa 145
Cranium quid 134
Crapula taxatur, eiusq; recensentur infaelicißima effecta 283
Crassa, & craßitudo haud quaquam omnis excretionem impedit 411
Crassum quidquid est, non semper concoctum est 412
Craßi humores, ut, & quibus pharmacis præparandi 403
Crassa urina 662.663
Crisis quid, quomodo fiat unde dicta 616
Criseos species generalißima 618.619
Cruditas 575
Cruditas, an, & cur est causa præincipiens 472
Cruditatum signa 602
Cruditatis remedium 408
Cruditas, non tàm symptoma est, quàm morbida causa 491
Cruda neutiquam vacuanda 408 quæ dicantur talia 409
Cruda, quæ, crudi humores qui 407
Crurum, ossa 144

Cru-

Crus petentes nervi 209. 210
Crure uno laborante, alterum cur scarificandum sit 367
Cubiti ossa quæ, & quotnam 142
Cucurbitularum tectio, actio, genera veteribus, modernis usitata 383 *materia admovendarum ratio duplex, utendi tempus, locus, commoda, incommoda* 384. 385
Cucurbitulæ cum scarificatione, quibus applicandæ & cuius usus gratia 386
Cunctatio 235
Cuneiforme os 134
Curatio ob varia morbi tempora variat 604
Curatio omnium p. n. affectuum triplex est, rationalis, empirica, methodica 730
Cutis 149
Cuticula ibid.

D

Declinans ætas, quid, quibus insignita nominibus 79. 80
in Declinatione nemo moritur 645 608. 613
Declinationis morborum indicia 612
Decubitus in somno supinus pronus, in latera factus quæ habeat mala, bona. 324. 325
Declinatio quid 606
Deficientes pulsus 692
Demonstrationum generabina 29
Dens in vertebrâ cervicis secunda 139
Dentium numerus, divisio, differentiæ 137. 138. *alveoli* ibid.
Dentium vitia, & symptomata 569
Densitas est causa morbida 502
Derivatio quid, unde sic dicta quis illius usus 358. 359
Desperati non attingendi 599
Desperatos deserendos 11
Desperatio quid 234
Διάσπασμα quid 514
Diabetes 581
Διάλειμμα quid 607
Diagoras Rhodius 464
Diaphragma 155
Diaphoretica pharmaca quæ 457
Diarrhæa 576
Diaria febris quid quottuplex 524
Διαστολή arteriarum 683
Diastole pulsuum quid præstet 704

Diathesis propriissimè dicta est alteratio stabilis 484. 485
Diathesis propriè sic dicta quid 467. 468. *quid Aristot ibid.* 485
Diathesis quid sit, & dicatur Medicis 466
Diæta cur segniter adeò à pluribus tractetur, & discatur 33
Diæta quid 32
Dies decretorii qui sint, & quid sint 634. *usu ferè solo, & experientiâ adinventi* 635
Dies indices, & contemplabiles, qui, quales, cur sic dicti 636.637
Dies vigesimus reverà iudicatorius est 636
Dies intercidentes, sive intercalares 638. *provocatorii, ibid.* 639
Digestio quid 457
Digiti manuum 143. 144
Digiti pedum ex quot ossibus singuli constent 146
Digitus sextus an sit morbus in numero 494
Δίκροτοι *pulsus* 692
Δῖνος 541
Diodorus Dialecticus 464
Discus 296
Dogmaticorum secta 43.44 *auctor* 46
Dolor reverà trahit 350
Dolor quomodo trahit 369 *idem sæpè quod dolorosus affectus notat* 370
Dolores, quando, & quomodo fiant 498
Dolores frigidi, & calidi qui sint 516
Dorsi musculi 155
Durities instrumentorum quid conducit admotus 305
Dysenteria 576
Dyspnæa 571
Dysuria 581

E

Ecchymoma 595
Eccoproticu, ab initio quoque utendum 417. 420
Ecpiesmos 561
Ecplethrismus quid 296
Egestio optima quæ, quæ mala 676
Egestionum naturalis consistentia ibid.
Egestio rufa, viridis nigra livida, pinguis, viscida, fœtida quid arguant 677
Egestionum alvi omnium criteria, quibus examinari debet ibid.
Egestio stridens unde fiat 677 *spumosa, varia, quid notet* 678
Ἔγκαυσις *quid* 541
Elementorum à doctrina cur

cur inchoant physiologiam 48 49
Elementi vox ambigua 49
Elementum quid ibid.
Elementum non est unum 51. 52
Elementa animantium sanguine praeditorum propria 95
Elementa ratione sola, neutiquam sensu indaganda 50. 56
Elementa Hippocratis quae, & quot nam sint numero 50. 51. 52
Elementa nusquam ferè apud nos pura, & impermista reperiuntur 55
Elementa, cur potissimum medico sint consideranda 61
Elementa hominis propria 129. 130
Elementa non sunt qualitates sed substantiae 59. *sunt perpetua* 60
Elementa eiusdem sunt generis, & substantiae cum elementatis 59
Elementorum & substantiae, & qualitates manent in mixtis 62. 63
Elementum à principio ut differat 59. *cur discrimē hoc tenendum* 61
Elementorum substantiae, non autem nudae qualitates, in nobis asservantur 54
Elementa in mixtione, & compositione, neutiquam pura manent 54. 55
Ex Elementis quomodo generentur mixta corpora 500
Elementi calidi frigidi &c. effecta 500. 501
Elementorum mixtio qualis sit secundum Hippocrat. Empedoclem 56. 57
Elementorum substantiale 47
Elementorum substantiae utrum maneant in mixtis, an solae qualitates 57
Elbogana acidula 440
Elephantiasis 587
Ἐλώδης *febris quid* 532
Empedocles confutatur 55. 56
Emphysemata 591
Empiricae sectae fundamentum authores 39. 45. *instrumenta* 40
Empiricorum historia 42. *syndrome* ibid.
Emplastrum tetrapharmacum 54
Emprosthotonos 560
Empyema quid 572
Emulgentes venae 175
Ephialtes 558
Ἐπιγλωττὶς 147

Ἐπιδίδυμις quid 181
Epilepsia quid, quæ præcipuè illius sint appellationes 558. 559
Epinyctides quid, quottuplices 592
Epiphora quid 562
Ἐπώμις quid 142
Equitationis commoda, & in commoda 306
Erasistratus Aristotelis nepos 9 quantum præmium acceperit ibid.
Eroticus furor 560
Errhina seu nasalia præsidia 459
Error medicorum de concoctionis biliosorum succorū causa 414
Erysipelas quid, quattuplex 585
Ethmoides os 135
Εὐκρασία in maximâ consistit latitudine 67
Errythmus quid 700
Exanthemata 592 593
Excandescentia 235
Excreationum commoda incommodum 454. 455
Excrementa p. n. alia toto genere, quātitate, & qualitate alia 523
Excrementorum mutationes in melius & peius 423 424.
Excretionum alvi omnium regula 676
Excretionis indicatoria speciem inprimis ipsius morbi natura indicat 620
Exercitiorum usus, ad sanitatem 304. illorum commoda præcipuè tria ibid.
Exercitiorum genera, differentiæ 294. 304. 305
Exercitationum obeundarū idoneum, & accommodatum tempus 308. 309. mensura ibid.
Exercitia crebra parcissimam, aut nullam sanguinis missionem dictant 355
Exercitationum obeundarū præparatio 306
Exercitationem inhibendam quæ ostendant nobis 310
Experientia quid 39 ad medicinam maximè necessaria 214
Experientia invenit medicinam p. 4. experientiæ parandæ organa ibid.
Experientia ut remedia dictitet 727
Expultrix facultas 228
Expulsio excrementorum quid, quomodo, ubi fiat 240

F

Faciei morbi 568
Facultas animæ quid sit 210.

210. unde, & cur sic dicta 211. illarum quæ essentia sit & substantia ibid.
Facultatum animæ conservatio medico summè necessaria in quibus consistat 214
Facultatis, & usus pulsuum mutatio, quos efficiat pulsus 706
Facultas quid 487. 488
Facultas non agit propter morbum, aut errorem externum 489
Facultatis pulsatilis, & instrumentis pulsuum, arteriarum mutatio, quos faciat pulsus 708.709
Facultates partium, quando, & quo significato lædi dicantur 212
Facultates corpus nostrum universum gubernantes, tres sunt 213 diversæ omnino ibid.
Famis commoda, incommoda 458
Famem quis ventriculus facilè sustineat 253
Farciminalis tunica 186
Fauces 188
Faucium glandulæ triplices ibid.
Favus 541
Febribum definitio, differentiæ tres 524
Febrium continuarum, & intermittentiū definitiones, divisiones, & proprietates 528
Febris diaria, hectica, putrida pestilentialis quos habet pulsus proprios 724. 725
Febris plurium dierum 524. 525
Febres quartanæ, quintanæ septimanæ, nonanæ, an dentur, unde oriantur 529
Febris ardens perniciosa 532
Febrium compositarum & complicatarū ratio 537. 538.
Febrium misturas & complicationem, quare cognoscere debeat medicus 538
Febrium prima genera typo descripta 539
Febrium haud omnium in accessionibus à cibo abstinendum 285
Febres τεταρταῖοι, typicæ, erraticæ quid sint 536
Febris curatoria methodus 476
Febris continens putrida 525
Femur huiusque processus 145
Femoris musculi 164

Fervente arena, ut eliciendus sudor. 430
Fibrarum differentia, & usus. 228.229
Fibrarum rectitudo, cur in secanda vena observetur. 357
Fibula. 145
Figura morbus. 505
Ficus. 578
Finis medicinæ ultimus quis 729
Fistula quid, quottuplices. 506
Flava bilis amarissima 107
Flavæ bilis naturalis utilitates vires, effecta. 114
Flavæ bilis receptaculū, differentiæ, secretionis à sanguine ratio. 116
Flava bilis nō naturalis species quatuor vitellina, porracea, æruginosa, isatidis colorem referens, singularum item causæ, effecta. 118.119
Flos salis. 431
Fluxus muliebris. 583
Fœtus corpusculi involucra. 185
Follis quid. 296.301
Follis pugilatorius. 301
Folliculus. 301
Fomenta, quo morbi tempore adhibenda. 431
Fons Tungrorum, acidus ad geppingam. 438 acidus inauferruginem. 439
Forma corporis nostri neutiquam anima est, sed temperamentum. 503
Fornix cerebri. 196.197
Formices, & testudines balneorum. 442
Formatrix virtus. 226
Formatio partium. 236
Formæ morbi. 499
Fractura quid. 513
Franciscus Valeriolam damnatur. 79.80.81
Frictionum differentia. 307
Frigidum quid. 53
Frigidum concoquit per accidens. 415
Frons quid. 134
Frontis substantia musculosa. 150
Fuchsii opera, & tractatus medici. 35
Fuchsii liber paradoxorum. 397
Fuchs. commentar. in aphor. Hippocr. 275
Fuchsius cur acris nimium in confutandis adversariis. 536
Fuchs. commentar. in lib. de morb. & symptom. differentiis. 491
Furfuraceæ substantiæ in urinis. 667
Furfures. 540
Furor quid. 235

G.

Galeni laudes ἐγκώμια. 6.7
Gal. tempo in cœna parum aut

aut nihil comederunt. 400
Galeni, interpretes Latini notantur. 519.520
Gal. opus de tuenda sanitate commendatur. 307
Gal. de spiritu insito, & influente naturali opinio. 251.252
Galenus, errorem, quem de pulsuum accidentibus fovit, deposuit. 693
Galen. locus ex l. 7. d. VJ. parti. c. 8. enarratur. 265
Gal. loca quædam, in quibus ille morbos vocat substantias. 492
Galenus solus, tuendæ, & restituẽdæ valetudinis præcepta plenissimè tradidit. 759 huius calumniatoribus quomodo occurrendum. 760
Galeno in medicinæ practicæ studio, qui & qualesnam adiungendi authores. 760
Gallici morbi præsidia per analogismum adinventa. 728
Gagglion. 589
Gangrena. ibid.
Generatio quid. 235
Generatrix facultas quid. 225 in semine posita est. 226 illius partes, & potentiæ particulares duæ. 226
Genitalium affectus. 581 582. & seq.
Gentilis Avicennæ interpres taxatur. 29
Genua. 145
Geographiæ notitia Medico necessaria. 269
Georgius Agricola de thermarum facultatibus omnium verissimè scripsit. 433
Germanorum mos detestandus à misso sanguine se se inebriantium.
Germanorum scholasticorũ reprehenditur mos deterrimus. 308.309
Gestatio exercitii est species. 304
Gestationis usus. 306
Gibberus quid. 143
Glans. 183
Glandula pinealis. 197
Gluten. 125
Gonorrhæa quid; quotuplex. 582
Gula. 171
Gulæ situs in corpore humano. 325
Gurgulio. 189
Gustus quid. 231
Gustus organum est lingua. 200
Gustandi facultas. 216
Guttalis cartilago. 141
Guttur. 188
Gymnasium veterum quid. 303

H

Habitus corporū molles rari, quare nullum perferre queant excessum 501
Habitus corporu qui egeant venæsectione 352
Harmoniæ genera quatuor 467
Harpastum 302. pila paganica maius longè est. ibid.
Hæmoptoica passio 572
Hæmorrhagia narium quibus maximè conferat affectibus 450. quando coercendi ibid.
Hæmorrhagiarū causæ primæ 523
Hæmorrhagiam nariū imminentem quæ notent 629.630
Hæmorrhoidum fluxus prognostica 633
Hæmorrhoides quid, quotuplices 578
Hæmorrhoides 446. illorum, à vena cava, & vena porta exortus 446 commoda, & incommoda à quibus, & quantis malis præservet ægrum 447
Hæmorrhoides, non supprimenda temerè, inducunt enim alias morbos, & mortem 447 448. immodicè promanantes nocivæ maximè ibid.
Hectica quid, cur, unde sic dicta 537
Hecticus pulsus 698
Hemiplegia 559
Hepatis oppilatio, quis, & qualis morbus 511
Hepar uterinum 185
Hepialos febris quid, & cur sic dicta 529
Hermolai Barbari, de præcipuis exercitiorum speciebus error præponitur, & confutatur 294.295 296
Herniarum differētiæ, causæ, generationis modus 582.583
Herpes quid, quottuplex 585
Heterorhythmus 701
Hippocrates rationalis medicinæ inventor 46
Hippocratis doctrina, de diebus criticis, & indicibus 635.636
Hippocrates, quare dixit nos constare ex c.f.h.s. 56
Hippocrates, primus in artem redegit medicinam 5 divinos meruit honores. ibid. hunc solum sibi proponāt oportet medici 8
Hirudines, quem eliciant sanguinem, quando, & quibus mediis detrahenda 389.390

Hirudinum usus, hodie fere abolitus 388
Hirudines admovendæ famelicæ, admotis iis quid faciendum porro, ut eædem decidant quid agendum 388.389
Humanitas 235
Humeraria vena, eiusq; distributio 178
Humerus 142. huius rotula ibid.
Humidum quid 53
Humidum radicale quid 125
Humidum radicale primogenium, temperatum, est sanguis & semen 221
Humorum temperamentum 98
Humores oculorum tres 205
Humores quando nam sunt, & dicuntur æqualiter aucti 338
Humores vacuandi, ut præparari debeant 401
Humores, quando, & quot modis putrescunt 525
Humorum qualitates secundæ 107
Humores naturales, qui, & quare ita vocitentur 107 108
Humorum quatuor generatio, secretio 97.100.101 102
Humores impacti indigent concoctione 417
Humores crassi, tenues, ut præparandi sint secundum avicennam 404.405
Humores crudi non purgandi 406. sed concocti turgentes ibid.
Humores quo sensu dicantur esse temperamenti. c.f.h.f. 105
Humorũ in sanguinis massa vera proportio 96
Humor naturalium usus, motus, temperamenta 112
Humorum numerus 95
Humorum motus ex Sennerti sententia 116
Humorum non naturalium differentiæ ibid.
Humores quatuor secundarii ab Arabibus inventi perhibentur 123. quid de iisdem statuere oporteat ibid. eorundem generatio 124
Humor innominatus 124 dicitur aliis alimentarius ibid.
Humor insitus quis? cur ita nominetur 124.125
Humor rori similis quis 124
Humor carniformis sive glutero 125
Humorum expurgatorum medico examinanda, consistentia, color, qualitas; perennis mutatio 423

Humorum vacuatorum in in locum qui succedunt, nec noxii sunt sæpè, nec nimii. 366

Hydropisis quid; quot eius species. 579.580

Hyemis temperies. 75

Hyoidis ossis musculi. 151

Hypercatharseis ut coercendæ sint. 423

Hypochōdria quid, & quottuplicia. 141

Hypostasis urinarum quid. 657

Hypopium quid. 563

I.

Icteritia flava, nigra. 579

Ἰδιοπάθεια quid. 470

Iecoris vitiorum catalogus. 579

Iecur & vētriculus adstringentia pharmaca postulat. 748

Iecoris & lienis phlegmone quomodo iudicetur. 621

Iecur 173 huius fibræ. ibid.

Iecur generationis sanguinis officina. 109

Iecoris pars cava per alvuū, gibba, per urinas expurgatur. 428

Iesus Syrach. 1

Ignis persicus. 586

Ileosis. 577

Ilium et. 144

Imaginatio quid. 233

Impetigo. 58

Immutatio quid. 236

Impetum facientia corpora. 249

Incrementum quid. 606

Incubus. 358

Inediam quæ naturæ, ætates animi tempora facilè aut tempora facilè aut difficilè ferant. 458.459

Inedia ex accidente vacuat. 457 illius genus duplex est. ibid. & 358

Inæqualium pulsuum subdivisio. 690

Inæqualitas pulsuum singularis, & collectitia. 690

Inæqualiter inæquales pulsus. 691

Inæqualitatis in situ eveniētis ratio. 718

Inæqualitatis pulsuum singularis causa. 713

Inæqualitatis pulsuum collectitiæ causæ efficientes. 711

Inæqualitatis in tempore quietis se se efferentis differentiæ quatuor. 695

Inæqualitas pulsuum, arteriæ situs ratione eveniens. 695.

Inæqualitas pulsuum singularis, & huius differentia. 692

Inæqualitas pulsus unius, in pluribus arteriæ partibus. 693 inæqualitas, in diversis

versis pulsus generibus. ibid.
Inæqualitais singularis in diversis arteriæ partibus evenientis causæ effectrices. 716
Indicare quid, & quo significato, dicatur. 736
Indicationes particulares quæ, & quottuplices. 740 741
Indicatio quid, aliæ illius definitiones, 727. unde sic dicta ibid. ab Observatione, & Ratiocinatione revera differt. 727
Indicatione, quomodo inveniantur remedia. ibid.
Indicatio omnis curationis rationalis triplex est. 730 731
Indicatio simplex prima, unde sumenda. 730
Indicantia quid, & quottuplicia. 44
Indicationum curatoriarum exempla. 752
Indicationes curatorios, præsidiis therapeuticis, & accommodatissimis exemplis illustravit. 760
Indicatio à viribus petita, prima, & præcipua. 743
Indicationes contrariæ quomodo tractandæ. 751 exemplis idipsum declaratur, ibid.
Indicatio quid. 39.40 unde dicta. ibid.
Indicationum exempla. 40
Indigentia quid. 458
Infantia quid. 77
Insalubre quot modis dictū. 12
Insensilis transpiratio quid quis eius usus 457
Insensilis transpiratio quid. 245
Insomnia cur medico examinanda, illorum differentiæ ac harum significationes. 327.328
Instrumentū propriè sic dictum quid. 131
Instrumenta naturalia, ab animalibus, an, & quo quomodo differant. 246
Instrumēti, & usus pulsuum mutatio quos producat pulsus. 707
Intemperatum quid, & quot modis dicatur. 68
Intemperies quid, quotuplex salubris insalubris. 495
Intemperies calida, est ipse calor exuperans. 493
Intemperies essentiam mixti bifariam corrumpit. 503
Intemperies manifesta alia, alia occulta. 504
Intemperies morbosæ differentiæ illustriores. 496 simplices, nudæ, compositæ, cum affluxis hu-

moris coniunctæ, æquales, inæquales incerta parte, in universo corpore 497
Intercostales musculi externi, interni 154.155
Intercidentes pulsus 691
Interfæminium 183
Intermittentes pulsus 691 692
Intervallum pulsuum 699
Intestinorum vitiorum explicatio 576. & seq.
Intestina tenuia crassa 171 172
Intestina cibum côquoquunt ac chylificant 242
Invidentia quid 234
Introductorii auctor 16
Iosephi Struthii libellus de pulsibus 721
Ira quid 462
Iracundia quid 234.235
Iris oculi 205
Ischias 584
Ischuria 581
Isthmus 188.189
Iudicii vox diversissimè ab authoribus medicis sumitur 615
Iudicium turbantes causæ externæ, internæ 638 illud enim turbant medici, ægri &c. 638
Iudicium quid 600
Iudicium absolutum perfectum, imperfectum, fidum infidum, firmum, incertum 617. periculosum, tutum, manifestũ, obscurum indicatum; non indicatum salutare; lethale 618
Iudicium per abscessum, aut per excretionem num futurum sit, quibus signis innotescat nobis 628
Iudicationis modum, & speciem demonstrativa signa 622
Iudicium futurum quibus præcipuè notis cognoscatur 622. optimum iudicium certò prænoscitur 623.624
Iudicii mali cognitio incerta est plane 624
Iudicii boni instantis iam signa præcipua 619
Iugale os 136
Iugularis vena, externa, interna 178
Iugulum propriè sic dictum quid 141
Iustitia quid 66
Iuventus quid 78. an pueritia calidior ibid.
Iuvenes ad frugem hoc seculo cur vix perveniant 289.290

K

Καχοήθεια 242
Καχοήθειας cura 753

Καλλίκριας 171
Καρδία ibid.
Καταφορα quid 542 545
Κέρυκειον unde sic dictum 298
Κρεμαστῆρες musculi 158
Κῶμα quid 542. duplex est ibid. & 543
Κορυνα quid 301
Κορυνομαχία quid 302

L

Laboriosæ febres iudicantur per urinas
Laconicum quid 442
Lactes quid sint Plinio 172
Lactis grumescentia 573
Laminæ in urinis vesicæ notant affectus 668
Lætitia quid 234
Laryngx 188
Laryngis musculi 152 153
Laryngis cartilagines tres 147. operculum 147
Laryngx 147. huius musculi 152. 153
Lectus pensilis Asclepiadis 304
Leipothymia ut differat à syncope 573
Leienteria 576
Lepra Arabum, Græcorum quid 587
Lethargus propriè sic dictus quid 555. illius differentiæ causæ 556 557
Lethargi iudicatio 620
Leuce 588
Leucophlegmatia quid 407
Liber de Corde non est Hippocratis 219
Liber Gal. de boni, & mali succi cibis qualis sit 272
Librorum de methodo medendi argumenta 759 760
Libri de alimentor. facult. commendantur 273
Lichen 587
Lien 180
Lien quomodo, & unde alatur 243
Lien melancholici succi receptaculum 111
Lienosi qui 580
Ligamentũ quid 148. quis illius usus ibid.
Ligamentorum utilitas finis 169. differentiæ ibid. & 170
Linacri error, & lapsus 99 100
Lingula 148. hanc malè cum epiglottide confundunt ibid.
Linguæ musculi 152
Lipothymia quid 372
Lipyria febris quid 532

Liquor Cyrenaicus. 431
Lithiasis. 581
Lucta. 294
Lumborum vertebræ. 140
Lumbricorum genera tria, teretes rotundi lati, institæ fasciæ. 577
Lusciosi qui. 561
Lycanthropia quid. 560

M.

Machaon p.3
Magnitudinis morbi signa. 506
Magnitudo morbi, unde, & quomodo æstimanda. 751
Malleoli. 146
Mammæ viriles, fœmininæ. 187
Mammillarium processuum substantia exortus. 215 216
Mania quid. 560
Manus extrema. 143
Marasmus quid, unde 537
Mariscæ 578
Martia quid 442
Masticatio quid 238
Materia prima quæ 59.60
perpetua est ibid.
Materiæ morbi 498
Matulæ figura, urinæ contentorum singulorum loca nobis representans 658
Matula urinam recipiens qualis esse debeat 650
Maturatio quid 409
Maxilla inferior quid 151
eius musculi ibid.
Maxillæ superioris & inferioris ossa 136 137
processus ibid.
Meatus & viæ per quas humores transeunt, referandi 401
Mediana vena 179
Mediastinum 187
Medicinæ origo divina 1.2
Medicinæ divisio in theoricam, & practicam 32
Medicinæ studiosi, quos sibi deligere debeant duces 8
Medicinæ præstantia 8. *de quibus præcipuè doceat* ibid.
Medicis, qui olim decreti honores 9. *quod constitutum stipendium* 10
Medicina tota referri potest ad redundãtiam, & inanitionem 461
Medicorum quorundam studium contradictoriũ improbatur 473
Medicorum recentium error de concoctione 411
Medicaminum compositorũ usus 35
Medicaminum compositionis methodum optimam Gal. exhibuit 35. 36 *in quibus præcipuè illa consistat* 36

Medi-

Medicamina à quibus, & quàm variè adulterentur 37
Magistratus in seplasiarios, aliosq; id genus impostores animadvertere debet 37
Medicamina, haud multa nimis permiscenda 37 38
Medicus geographiæ notitiam habeat oportet 269
astronomiam quin & astrologiam temere haud debet. 270
Medicina est ars factiva 21
illius finis unicus est ibid.
hunc consequendi sunt varii modi ibid.
Medicina nec theorica est, neque practica 22
Medicinæ theoremata, & præcepta qualia 17 18
Medicina cur coniecturalis ars dicitur 18
Medicinæ definitiones variæ 10.11.14
Medicinam practicam in quibus libris tradiderit 25.26
Medicina an incerta p.4
unice ab ægyptiis inventa 5. *eiusdem incrementa.* ib.
illius impostores, & depravatores 7
Medici, in inveniendis medicamētis industria summa requiritur 752
Medicinæ distributio in tres rerum ordines 49
Medendi præcepta, unde sint discenda 753.754
Medendi methodus universalis ex quot, & quibus rebus constet 732
Medicaminum inventorum usus, & administrationis ratio, quot, & quib. præcipuè rebus perficiatur 733
Medicorum iuniorum error in purgatione 391
Medicina, & medicamenta omnia, ad quatuor præcipuè revocantur capita 731
Medicorum modernorū oscitantia, & temeritas 33 34
Medicus practicus in omni curatione ad tria potissimum hæc, morbum, morbi subiectum, & ægri naturam, unicè respicere debet 737
Medicorum nostri temporis in medicaminum mixtione stultitia 37
Medenti morbis, quinq; potissimùm animo obversanda, quid, quantum, quo modo, loco & tempore agendum 740

Medici, morborum sunt naturæ 737
Medicorum recentiorum error de cacochymias definitione 343
Medicorum recentioru quoq; reprehenditur imperitia, barbaries, obscuritas 758.759
Medicina est scientia 14. est ars ibid. & 15.16
Medici recentiores taxantur 398
Medicinæ partes quæ, & quot 30
Medicus alimentorum facultates oportet cognoscat 277
Melancholia 560
Melancholicus succus bifariam cerebrum lædit 551
Melancholicus succus quos efficiat 115
Melancholia flatulenta, seu hypochondria 550
Melancholiæ præter naturam genera 120. effecta, incommoda ibid. 121. unde, à quibus causis, & quomodo generetur ibid. & 122
Melancholia ex sanguine crasso pronata an detur, an item ex pituita ustoine pronascatur 122 123
Melancholiæ expurgationis usus, & necessitas 111
Melancholicus à nigro humore, an, & quomodo differat 111. utriusq; qualitates omnivariæ ib. 112
Melancholici, & nigri humoris usus 115
Meliceris 591
Μῆλον 563
Memoratrix facultas quid agat, quando afficiatur 218
Memoria quid 39 233
Mensium profluvii commoda, incommoda 448
Menses quando nam naturaliter, aut præter naturam detineantur 449
Mensium suppressionis causæ principaliores 449
Menses nimium fluentes quantum incommodent ibid.
Mensium divisio, terminus 642
Mensium imminentium indicia 633
Mentagra Plinii 588
Menynges cerebri 194. harum quatuor processus ibid.
Mesenterium quid? unde sic dictum 172.173
Mesenterii venæ iecori præparant cremorem 242

Mesueus idem, quod avicennas, de arsenico docuit 756
Μεϑάφρενον 140
Methodus quid, quottuplex 23 analytica quid ibid. & 24 qui nam hâc utātur ibid. eamdem in docendâ medicinâ adhibuit Gal. 25
Methodica secta 42 huius auctores 45
Methodicorum communitates 43 summa genera morborum, à quibus omne duxerunt præsidium ibid.
Methodus synthetica quid, quæ huius utilitates & qui præcipuè eâdem utantur 26 hâc ipsa Medica etiam ars docetur ibid.
Methodus definitiva, & divisiva 27.28
Methodorum singularium usus 28.29
Metus quid 234
Mixtio non ex uno, sed ex omnibus elementis mistis invicem & concretis perficitur 62
Minima pars quæ dicatur & sit Medicis 49.50
Misericordia quid 234
Mæstitia 463
Mola matricis 583
Mollis habitus cur vitiosus 501
Montanus quid senserit de spiritibus 252
Morbus Gallicus 588
Morbus Galen: & qualitas & substantia est 492
Morbilli 593
Morbus omnis contraria indicat remedia 735
Morbus, qua significatione dicatur contrarietas 736
Morbi magnitudo poscit venæsectionem 349.350
Morbi sunt affectus permanentes, & constantes 475
Morbus quilibet quotnam universalia habeat tempora 608
Morbos iudicationem consequuturos unde colligatur 626.627
Morbus quid, quod nam illius prima sint, & præcipua genera 739
Morbi natura quid indicet 741
Morbi natura, tempora cibi exhibendi indicant dosin 274
Morbi natura ægrotantium familiares curatum faciliores quàm alij 742
Morborum genera præcipua tria sunt 495
Morborum instrumentariorũ

quatuor sunt genera 505 06. 507
Morbus in venenatis, & pestilentibus non cunctandum 373
Morbi quâ ratione, & quo significato lædunt facultatẽ 490
Morborum periodis carentiũ tempora ut dignoscantur 612
Morbi in accessionibus, ab omni cibo, & potu, abstinendum penitus 284. 285
Morbi omnis depulsio fit per contraria 331
Morbi à vacuatione, non curantur semper plenitudine 332
Morbus quid 483
Morborum salutarium tempora quæ, & quot nam 609
Morbi temporum cognitionis summa utilitas 610
inter Morbum, & actionem læsam, intercedat ne facultatis læsio 486.487
Morbi qui, & quorum ratione dicantur, vehementes validi, graves, exquisiti legitimi nothi spurij, in habitu simplices, cõpositi 517
Morbi simplices, compositi complicati, confusi, ordinati, inordinati, errantes, stabiles, recurrentes, primarij secundarij, per se, ex accidente, salutares lethales 518
Morbi longi, sparsi sporadici, communes, patrij vulgares pestilentes epidemij endemij 516
Morborum exitus cognoscitur ex tribus præcipue signis 625
Morbi species, in purgationibus, unice medico contemplanda 396
Morbus quid 469
Morositas 235
Morphæa quid 589
Mortis imminentis signa 625
Mortis dies, & hora ut præcognoscenda, tùm alius plerumq; tùm in morbis accessione carentibus 646. 647
Mortis citrà iudicium secuturæ præsagia 644
Mortui præ mærore, 463 præ gaudio ibid. præ pudore 464
Motus quid, quotuplices illorum sint differentiæ 294
Motricis virtutis actiones sunt motus voluntarij 232
Motus omnis duplex est, activus, passivus 229. 230

Motrix

Motrix facultas, quo utatur organo 217
Mucus est ex genere pituitæ 109.110
Musculi moventes manum 159 *brachium ibidem, cubitum flectentes, extendentes* 160 *radium moventes, & agentes brachiale* 161 *exagitantes digitos manuum* 162 163. *crus & femur movẽtes* 164 *tibiæ motus absolventes* 165 *pedis digitos moventes* 167.168
Musculi moventes dorsum 155 *sub stomacho latitãtes ibid. scapulam moventes* 156 *abdominis* 157 *testium virilium* 157 *uteri* 158 *vesicæ urinariæ* 158 *intestini recti ibid.*
Musculus quid, quas habeat partes 148
Musculi inferioris maxillæ 151 *ossis hyoidis ibid. linguæ* 152 *laryngis ibid. capitis* 153 *thoracis* 154
Musculi palpebræ superioris 150 *oculorum ibid. buccarum, labiorum, & nasi, alarum ibid.*
Musti vires & incommoda 292
Musti partes, & substantiæ sunt maximè differentes 96
Μυοκέφαλον 563
Myouri pulsus qui, cur, & unde sic dicti 690 *quottuplices* 691
Μυωπία 561

N

Narium foramina, septum cartilagineum 147
Narium vitiorum historia 568.
Nasalia pharmaca 450
Nates cerebri 197
Natura in vacuandis noxiis quando iuvanda sit 460 461
Natura quid 352
Natura idem quod animæ facultas 488
Natura, dux, & domina medicinæ, omniumq; operum medicorum 737 *illius minister est medicus ibid.*
Natura quid, quæ, & quanta præstet 738
Naturalium actionum differentia 235
Natura est temperies 211
Naturalis facultatis particulares potentiæ, operationes, organa 214
Naturæ industria imitanda medico 416
Naturalis facultatis genera, & opera præcipua quæ 225
Naturalium facultatum o-

instrumenta cōmunia sunt fibræ 228
Naturalium functionum essentia differentiæ 230. 231. 232
Natura calida quæ & qualis dicatur Hippocrat: 276
Naturales res quid & quæ 47. *quottuplices* 48
Natura quid 47
Naturalium rerum à doctrinâ cur ordinatur medicus 48
Natura consuetis maximè & inprimis gaudent, ac delectantur 744
Naturalis spiritus 259
Navicularia os 146
Nausea 575. 424
Nephritis poplitis venarum incisionem deposcit 356
Nephritis 581
Nervi orti à medulla spinali existente in vertebris cervicis, thoracis, 206 *lumborum, ossis sacri* 207. 208 209
Nervi recurrentes, sive vocales 202 *phrenici, diaphragmatici, & stomachici* 203
Nervorum cerebri mollium paria septem unde oriātur in quas partes implantentur 198. 199. 200. 201. 202
Nervi non à corde sed, à cerebro oriuntur 31[illegible]
Nervorum visoriorum vitia affectus præter naturā 566. 567
Neutra quæ, & quid neutralis status 12. 1[illegible]
Neutralis hominum infirmorum status 48[illegible]
Nicolaus Alexandrinus 36
Nicolaus Myrepsus ib.
Non naturalium rerum regimen in morbis, quale esse fieriq; debeat 731. 73[illegible]
Non naturales res quæ, quottuplices [illegible]
Non naturales res, quæ qu[illegible] 32
Noxia, per quas vias, à capite, in ventrem ferantur 399
Nubecula in urinis unde dictæ 6[illegible]
Nubes bonæ & malæ q[illegible] nam sint 6[illegible]
Numeÿ morbi 5[illegible]
Nutritoriæ virtutis ministræ facultates, attractrix, r[illegible] tentrix, alteratrix, & [illegible] pultrix 2[illegible]
Nutritio 2[illegible]
Nutritoriæ virtutis actio[illegible] usus, necessitas 2[illegible]
Nuscitiosi qui 5[illegible]
Νυκταλωπία 5[illegible]

O

Obiectiones recentiorum, a[illegible] [illegible]

ersum Galeni praeceptum e indicationum contrarietate diluuntur 736. 37
ervatio quid 39
ructionum causae, remedia 475
yput 134
nimij incommoda 313 14 mediocris otij commoda 314 315
li vitiorum explicatio 561 & seq:
lor: tunicae adnatae vitia 562 τάραξις perturbatio ibid.
lorum structura, tunicae humores musculi 203 304 iris 205
ulorum ulcera 563
ium 234
ores manifestant temperiẽ 90.91
oratus quid 231
orandi facultas 215
lor urinarum foetidus 672
Edema quid, quottuplex 586
Esophagus 171
eosa urina 672
factus instrumentum 198. 215
mentum quod & reticulum vocitatur 170
νοτίμως vox quid notat 338
Opera naturae à symptomatibus distinguenda 521
Ophiasis quid 540
Opthalmia quid 562
Opisthothonos quid 560
Optima iudicia quando fiant illorum in praecognitione primum exercitare debet sese medicus 624
Opus quid 229
Opticus nervus perforatus 511
Ordo assumendorum ciborum 281.282
Ordo pulsuum, & illius perturbatio 702.703
Ordo pulsuum unde 718
quid notat in morbis 723
Oris vitiorum expositio 569 570
Orthopnaea 571
Ossium numerus 133
Ossa maxillae superioris, inferioris 137.138
Ossa calvar: syncipitis occipitis frontis temporum, parietalia osçuneiforme 134
Ossicula incudi malleolo, stapedi analoga 136.137
Os palati, basilare, ethmoides 135 ossa colatoria 135
Ossis hyoidis appellationes, situs utilitas 138
Os iugale, paris 136

Os cordis 141
Os sacrum 140. eiusdem nomina, vertebræ ibid.
Os ventriculi veteres, cur nominarint cor 573

P

Paganica pila 301
Palpebræ 146. illarum pili cartilagines ibid.
Palpitatio cordis 572
Palati os 135
Palmaris pila 300
Palpebrarum vitia, & affectus 564.565
Pancration quid 294. 295
Pancreas 171
Panniculus carnosus 149
Panus 590
Papulæ 592
Paralysis quid 559
Paralysis oculi 562
Parastatæ 182
Paraphrenitis 560
Paristhmia 171.188
Parotis quid 567
Pararhythmus 701
Paronychia 594
Partes reverà similares quæ 61.62
Partium similarium definitio falsa 129. appellationes 130
Partes similares, an, & cur propria hominis elementa dicantur 129

Partis laborantis tempe tura, substantia, funct num nobilitas, sensus, situs situs, & figura, ren dii, & genus & quanti tem detegunt ac indic 747.748.749.750.
Partium substantia sol quid 1
Partium divisio 1
Partes similares quænam verà, quomodo nomin tur & dividantur 12 128. simplicissimæ s sensu, non ratione ind 128
Partes instrumentariæ q 130. illarum appellat nes 130.1
Pars instrumentaria, & i strumentum, quom differant 1
Partis affectæ cognitio, contemplatio, quare dogmaticam curam ta topere necessaria 739 pro illius diversitate di rat eiusdē etiam affecti curatio 738.739.7
Partium corporis huma substantia, actio, officiu usus, & positus quid in cent 7
Partes nutritioni famulā 170
Partes omnes, insitis simul, influentibus, facultatib & spiritibus guberna

ur 255
s cui admovere volumus
irudines, quomodo sit
reparanda 388
tes genitales 180.181.
& seqq.
tes vitales 187.188.
& seq.
tium corporis differentiæ
rincipalißimæ, quatuor
sunt 132
tes principes quæ, &
uotnam sint 132.133
tium singulariũ exerci-
tiones 305
tium c.f.s.h.series, & ca-
alogus 88.89
lla 145
ema generatim acceptũ
uplex 470
emata habẽt essentiam
fieri positam 469
os quid speciatim à
orbo fiente non differt
68.469
ologia quid 31
inus os 145
oris ossa 141. *horum*
rtilago *ibid.*
s ossa sex 146. *digiti*
bid.
m digitorum musculi
67.168
cularis morbus 540
s substantia 183. *nomi-*
a, usus ibid. glens. ibid
cardium quid 189
cranium 195
Periptosis quid, quas habeat
species 41
Peritonæum 170
Perinæum 183
Perniones 595
Pepasmus quid 409.410
Peripneumoniæ indicatio
620
Peripneumonia 572
Perturbatio, *& symptoma-*
tum omnium exacerbatio
omnem veram præcedit
crisin 615
Perturbationes *animi quid*
& cur sic dictæ 461. *sum-*
ma illarum in alterandis
nostris corporibus vis 462
præsentium, & futurorum
morborum sunt indices
465 *decem regimẽ ibid.*
Peste grassante omninò fugi-
endum 267
Pestilentialis febris patho-
gnomonica signa quæ
531
Pestilentialium febriũ pro-
prii pulsus 725
Pestilentialis febris quid sit
ex quali putredine ortum
ducat 529. *illius causa*
coniuncta 530
Phagedanæ 595
Pharmaceutice *quid quis*
eius usus 33
Phlegmones remedia 475
Phlegmones causæ antecedẽ-
tes, proximæ 474
Phlegmoni quæ conveniant

præsidia, per singula sua tempora 604 605
Phlegmone propriè sic dicta quid 584. 595
Phlegmones generatio qualis sit 370
Philippides 464
Phlegmatis vocabuli significationes 106
Phlegmatici inediam ferunt facillimè 459
Phlyctænæ 562
Φλυκ]αίναι 592
Φύγεθλον 590
Phyma ibid.
Φῦμα. φύματος quid 581
Phrenitis 541
Phthisis quid 572
Physiologia de quibus tractet 48
Physiologia quid 30 in quibus libris à Galen. fuerit tradita ibid.
Pica quid 574
Picturarum in ignarum usus 35
Pila parva Galen. huius cõmoda, incommoda 300
Pila maxima 301
Pila quid 299 huius genera quatuor ibid.
Pilulæ à cœnâ non sunt exhibendæ 398 quid impulit recentiores ut noctu exhiberent purgantia ibid.
Pinguedo 149
Piscium usus in vere rùm convenit 287.2
Pisces saxatiles picroc difficilius concoqu quã carnes bubulas 115
Pitylismus quid
Pituitæ p. n. species qua vitrea, gypsea, dulcis salsa 117.
Pituitæ temperies
Pituita naturaliter hab usus 113 ubi sang formam suscipiat quæ illius effecta
Pituita ubi generetur, huic expurgandæ, à naturâ destinatum ceptaculum ibid. midis velut coctum mentum, inediæ te nutrit nos
Pituita, in hyeme m dominatur
Pituita, ubi, & quomo neratur
Pituita omnis secunda litatis est expers
Pituitæ p.n. species
Πιτυρίασις
Plantæ ossa
Plenitudo ad vires no per deposcit venæs nem 347 aut cert deratam
Plenitudines quomodo tinguendæ
Plenitudo sanguinea

sa &c. quomodo dignoscatur 348
Plenitudo omnis vacuationẽ celerem deposcit 349
Plenitudo alia simpliciter, alia cum adiectione sic dicta, & huius quatuor species 339
Plenitudinis specierum typus 344
Plenitudinum differẽtiæ binæ sunt 333
Plenitudo ad vasa, & ad virtutem facta quid 337. 340
Plenitudo topicorum usum respuit 457
Pleura 187
Pleuritidis iudicatio 621
Pleuritis vera, spuria 572
Pleuritis dextra, sinistra cuius lateris venarum incisionem deposcit 360. 361
Pleuritidis signa diagnostica 625
Plexus choroides, reticularis non reperitur in homine 198
Πλησμονή quid 330
Plethora quid 338
Plethora, vel pura est, vel impura, ac de generat multoties in cacochymiam 341. 342.
Plinius taxatur 37
Plinius simplicium scriptor optimus 34
Podalirius p. 3.
Podagra 584
Podagræ in curã mittendus quandoq; sanguis, non ex crure, sed ex gibbero, & brachii venis 368
Πολυαιμία quid 338. 339
Polycrita nobilis mulier 463
Pori optici 198. 199
Postbrachiale 143
Potus historia 290
Potus & cibi quis usus 271
Potentia esse, quæ, & qualia nam dicantur 106
Prandium, & cœna, à cibo semper incoanda 284 utrum horum liberalius esse oporteat ibid.
Præcipitatio 235
Præcordia 155
Præfocatio uteri 583
Præparatio humorum, à cõcoctione horum, quomodo differat 405
Præparatoria frictio 306. 307
Præputium 183
Priapismus quid 581
Primogenius, & nativus humor quis 125
Princeps facultas quas suo ambitu complectitur virtutes 217
Principis facultatis actiones propriæ 233

Principes actiones non fiant sine spiritubus 257
Principum facultatum sedes actionis modus 218. 219
Principium quid, quas habet proprietates, ut differat ab Elemento 59
Principiorum primorũ consideratio est maximè philosophica 61
Principium morbi trifariam accipitur 605
Principium morbi dignoscitur, ex huius naturâ, anni temporibus, ægrotãtis naturâ, ætate, regione, & victus ratione 610.611
Processus γραφειδῆς μασοειδῆς 134 alacres 135
Processus mammillares quid 225.216
Πρόφασις quid 473
Propositum quid 729
Pruna 586
Psora 587
Psydraca 592
Pterygia 562.594
Pubertas 77
Pubis ossa 145
Pudor 235
Pueritiæ terminus 76
Pueri, an iuvenibus sint calidiores 78
Pueris vinum inimicum, cibus convenit humidus 288
Pueris sponte profluit sanguis ex naribus, iisdem, ante decimumquartum annum vix tundenda vena 351
Pulmo 189 eius fibræ sive lobi ibid.
Pulsus cordis, & arteriarum sunt proprii motus 234
Pulsatilis virtus imbecilla quales edit pulsus 717
Pulsum instrumentum suprà modum molle quando est qui fiant pulsus ibid.
Pulsuum myurorum, eminulorum causæ 717.718
Pulsuum causæ effectrices, instrumentales 683 finales 684
Pulsandi quæ ratio ibid.
Pulsuum idem qui respirationis usus est ibid.
Pulsuum causæ secundariæ 705
Pulsus alii proprii, & inseparabiles; alii familiares ibid.
Pulsus magni, vehementes duri, celeres crebri ibid.
Pulsuum divisiones variæ 685
Pulsus simplices alii, alii cõpositi, illorum relationes quid, unde dictæ 685
Pulsus quid indicent, magni parvi, celeres tardi 721 quid crebri rari, vehemẽtes languidi, duri molles, defi-

deficientes, intermittentes, & intercurrentes notent 722
Pulsus myuri, dicroti, undosi vermiculantes, formicantes caprizãtes vibrati cõvulsi in serrantes palpitãtes trementes & strepentes quid portẽdant potissimũ 723.724.
Pulsuum prognostica certissima 682
Pulsuum historiæ quatuor partes sunt: physiologica, diagnostica, ætiologica, prognostica ibid.
Pulsuum variæ definitiones 683. partes essentiales ibid.
Pulsuum instrumentum trifariam præcipuè redditur ineptum compressione, obstructione, plenitudine 712
Pulsatilis virtus, trifariam læditur præcipuè ibid.
Pulsuum undosorum, vermiculantium, formicãtium, caprisantium, & serratorum causæ 718.719
Pulsuum auctus ausus quos edat pulsus 720 causæ secundariæ 721
Pulsus convulsivi, vibrati palpitantis, trementis, hectici, strepentis causæ ibid.
Pulsus ordinati inordinati circuitibus circumscripti 703.704
Pulsuum causæ primariæ, instrumentum, usus finis 704
Pulsus formicantes, serrati, caprizantes 697. convulsorii, turbulenti vibrati, hectici, palpitantes, tremuli 698
Pulsus decurtatus, emunulus prominulus, nutans 694
Pulsus alti, humilis, lati, angusti, & longi, causæ effectrices 711
Pulsus longi, lati, alti, magni, breves, angusti, humiles, parvi, quid sint, quomodo dignosci queant 686
Pulsuum imparium citatorum, & dicrotorum causa 714.715.
Pulsus causam continentem habent 481
Pulsus febrium diariarum hecticarum putridarum, pestilentiarum proprii 724.725
Pulsus undosi quæ sint causæ 632.
Pulsus tensi, pleni, vacui, mediocres 695 undosi pulsus natura, exemplo ab undis, & fluctibus petito, declaratur 696
in Pulsu quolibet quatuor sunt tempora 699

Pulsus languidi vehementes, medio duri molles undosi 689
Pulsus celeres tardi, pauco multo tempore fientes, quibus maximè exemplis innotescant nobis, & cognoscantur 687
Pulsus crebri, rari qui, æstimandi ratione quietis superæ inferæ, veræ, apparentis 688
Punctura 513
Pupillæ vitia 563
Pupillæ amplitudo non est morbus, sed symptoma 480
Purgatio quid, quottuplex quæ vacuet, quid spontanea, aut artificiosa sit purgatio 390.391
Purgatio quibus conveniat, aut non conveniat 392
Purgationem antecedere debet & corporis, & humorum præparatio 401
Purgatrix virtus per quas vias se se in corpus totum diffundit 399
Purganda quæ turgent 406
Purgationis tempore, & à purgatione quid faciendū 420.421
Somnus purgante hausto interdicendus ibid.
Purgatione absolutà, quomodo reficiendus sit æger ibid.
Quousq; purgandum 422
Purgationi impeditæ, & immodicæ, quomodo occurrendum ibid.
Purgationis peractæ est situ ibid.
Purgans propinandū, ventriculo existente vacuo 398. tempore matutino ibid.
Purgandum ab initio surditatis, alopeciæ, non item instante vigore 418, 419 ut nec in declinatione ibid. natura rite suo fungente munere in Declinatione non purgandum 419 nemo moritur ibid.
Purgantia calefacta bibantur, frigida enim & tepida nocent 420
Purgatio vehemens, & eradicativa omnis periculosa 393
Purgantia medicamēta quomodo, & quâ vi mediante agant 503
Purgantia quomodo, & quâ vi, agunt in humores 391
Purgationum scopi & indicantia 392
Purgādorū qualitates ibid.
Purgatus an, & quādo cibus offerendus sit 422

Pur-

Purgans, sub actione, quando frustratur, quid tunc agendum 422 *ut & cum violentiùs iustò agit ibid.* 423

Purgandum nequiquam in morborum initiis, nisi humores turgeant 416. 417

Pylorus 171

Pythagoricorum silentium 233

Q

Qualitates primæ, stirpium, aliarumq; naturalium rerum omnium opifices 499 *omnium secundarũ qualitatum causæ effectrices* 500

Qualitates primæ, sunt reverà principia prima.

Qualitates primæ in elementis sunt summæ 51

Qualitatum contrariũ mistura summitates frangũt ibid.

Qualitates primæ elementorum trãsmutationis causa 58 *earundem vis & agendi efficacia summa est* 58

Qualitates secundæ quæ quotuplices 90. 91 *& sequent.*

Qualitates occultæ specificæ 504

Qualitas quinta Avicennæ exploditur 63.64

Quantisper dormiendum ex quibus colligamur 319

Quantum, & quousq; exercendum corpus 309

Quartanæ & quotidianæ febres quandoq; etiam iudicantur per sudores 621. 622

Quaternariorum dierũ nomina 636

Quies pulsuum supera, infera, vera, apparens 688. 689

R

Radius 142

Ragades 578

Ramenta in urinis unde veniant, & quid notent 671

Ramices 582

Ramula quid 569

Raritas causa morbida 502

Ratiocinatio quid 233

Rationalis facultas quid, quas edat functiones, quando, & quomodo lædatur 218

Recentiorum opinio præter intemperiei, materiæ etiã, & formæ morbos invehẽtium damnatur 498. 501

Recentiorum obiectiones adversum definitionem morbi galenicam 483 *& sequent.*

Recidiva quid 518
Recidivarum causæ efficientes 419
Rectitudo venarum quid 357
Recti intestini musculi 158
Redundãtiæ definiti, genera, species 329. 337
Regio quid indicet 746
Regio quæ, & qualis venæ sectionem flagitet 353. 354
Regio in purgatione probè consideranda medico 395
Relationes pulsuum, unde, & cur sic dictæ 685. 589
Renum vitiorum enarratio 580. & seq.
Res p n. quid, & quot sint 466
Respiratio est actio voluntaria 232
Respirationis idem, qui pulsuum est finis 684
Retentio quid, quomodo, & quibus argumentis demonstretur à medicis 237
Retentrix facultas 228
Revulsiones instituendæ modus 357. 358
Revulsio quid, quis illius usus, coniungitur sæpè cum derivatione 358. 359
Revellendum ad loca maximè distantia 364 *cavendum tamen, viscera quoties phlegmone laborant* 364
Revulsio è directo instituenda 362. 363
Rhythmi differentiæ variæ 702
Rhythmus æqualis, inæqualis, eiusdemq; varietatis causæ 700
Rhythmus pulsuum quid, tres item veterum de hoc opiniones 699
Rhytmus pulsuum, atque illius species singulæ, in morbis quid portendant 723
Rigor futuræ excretionis febrilis nota 629
Rotatur maior minor 145
Ruptura quid 513
Ructus quid 575

S

Salvatella vena 179
Salubria, quæ, & quot modis dicantur 12. 13
Sanatio omnis quid, quomodo, & cur per contraria fiat 734. 735
Sanitas quid 469
Sani similes requirunt cibos 276
Sanitatis maxima est latitudo 495
Sani, quâ de causâ non sint purgandi 391

Sanguis quatuor partes 96
Sanguinis non naturalis species 116
Sanguinem per rectitudinē effluere oportet 621
Sanguinis geniti in hepate, ab excrementis suis depuratio 243
Sanguis bonus & malus quis sit 272
Sanguis exquisitè unus, & purus esse nequit nec reperitur usquam 96
Sanguinis appellatione quid veniat ibid.
Sanguis & spiritus sunt calidum & humidū innatū 221.222.224
Sanguinis mißionis inhibendæ signa sunt mutatio pulsus, labascens fluxionis impetus, color sanguinis mutatus 380
Sanguinis emißi iudicanda, & distinguenda est substantia, serum, spuma, color, & innatantes aliæ substantiæ 381. *grana graveolentia* 382
Sanguinis officina, & naturalis locus 108
Sanguis venarum, ab arteriarum sanguine quomodo differat ibid.
Sanguis cur solus in venæ appareat ibid.
Sanguinis generationis modus causæ efficientes primariæ, secundariæ 100. 101.102.&c.
Sanguis neutiquam calidus & humidus est 101 *quo sensu talis statuatur quandoq; ab Hippocrat. aliisq; medicis* 102 103
Sanguis unde calorem suum accipiat 103.104. 105
Sanguis ad animi deliquiunt usque mittendus, in febribus ardentiß. maximis phlegmonibus, & doloribus vehementißimis 369
Sanguis quo significato ad deliquium animi mitti dicatur 372
Sanguis venarum non est uniformis, & simplex substantia 338
Sanguinis propriè sic dicti usus 112
Sanguis naturalis & temperatus, quid, & qualia efficiat 113
Sanguis venarum duplex est purgatus & excrementis suis adhuc permixtus 97
Sangis dulcißimus 107
Sanguinis vacuatio quadruplex fieri potest 358

Sanguinis propriè sic dicti temperatura 98 99.100. & sequent.
Sanguis syncerus, & immistus temperatus est 99
Sanguis vitæ nostræ thesaurus est 450. 451
Sapientiæ dentes 138
Sopor propriè acceptus quid, quinque illius sunt species 542
Soporum differentiæ, causæ, temperiem indicandi vis & energeia 91.92. 93
Saporum dignoscendorum aptum instrumentum 200
Satietatis definitio, divisio 336.337
Satietas haud omnis indiget evacuatione 333
Satyriasis quid, quot modis sumatur, & dicatur 581 582
Scapula quid 141.142. illius nomina, processus ibid.
Scapulam moventes musculi 156
Scarificationum usus qui venæsectionis sunt succedanea 386
Scarificationi crurũ præmittendum balneum 387
Schema lunæ descensus, & adscensus nobis ob oculos proponens 642
Schema septimanarum quaternionum, & iudicatoriorum dierũ numerum, & naturam repræsentans 637.638
Scientia propriè sic dicta non cadit in hominem 16
Sciomachia 296
Sciatica 584
Scientiæ significationes definitiones 11.12.14.15.16
Scirrhus exquisitus, non exquisitus 586
Scholasticorum vitilitigationes damnantur 60
Sceleti in quatuor partes digestio 133
Scopus quid, ab indicatione, proposito, fine, & quomodo differat 729
Scrotum 180
Scutiformis cartilago 147
Secta quid, quot sint præcipue medicorum sectæ 39
Secundina tunica 185
Semeiotices definitio 597 ubi hanc tradidit Galen. 598
Semeiotice quid, quot habet partes, ubi tradita à Galen. 31
Semeiotices descriptio 726
Semeiotice tota coniecturalis est 19
Semen, & sanguis sunt innatum calidum 221

Seminalia vasa 181. horum exortus, in testium substantiam implantatio 181
Semitertiana, quid, unde, & cur sic dicta 537
Senes venæsectionem haud admittunt facile 350. quanquam decrepitis etiam senibus illam administrare quandoq; conveniat 351
Senectus frigida, & sicca 84 huic sententiæ quæ adversentur, quomodo confutanda 84 85
Senectus quid quottuplex 82
Sensitiva virtus 215
Sensus exquisiti & hebetis venæ causæ 502
Sensus communis cōprehenditur sub imaginatione 217. quid sit, & cur sic vocetur ibid.
Sensus externi quinque, cur & unde sic dicti 217
Septimanarum trium in indiciis morborum ratio 635
Septimanæ illæ tres, secundum quas critici dies dividuntur, non sunt integræ 635
Septum cerebri 196
Septum transversum 155
Serosum humorem, ad alvum inclinare, quæ significent 632
Serosa substantia quid sit 248
Serapio 34
Sesamina ossicula 144 146
Sexagenario, ex aloe parata catapotia dedit Galen. 400
Siccitatum à Galeno propositarum genera quatuor 125.126
Siccum, & humidum, interventum mollis, & duri cognoscitur 87.88.89 94
Siccum quid 53
Signorum dignitas 597. utilitas, ad medēdum summa necessitas 598
Signum quid, quottuplex salubre, insalubre, neutrum diagnosticum prognosticum 600. differt ab indicio ibid.
Signa insalubr. salubr. 13 14
Signa cruditatis, concoctionis 601 salutaria, lethalia, bona, mala, &c. 602.603
Similarium partium substantium solida, illarum est calidum & humidum innatum 222

Similares partes unde dictæ, illarum essentia ut corrumpatur 508
Similares partes ad functionem suam, non egent conformatione 510. nec indigent ulla cavitate ibid.
Similacea hypostasis pessima 668
Simplicium medicaminum cognitionis, quæ & quot præcipuè utilitates 33 qui nam de illis omnium optimè scripserint 34 35
Singultus quid 175
Sitis an perfectæ purgationis character 427
Sitis causæ efficientes 106
Σκοτόδινος 541
Σκότωμα ibid.
Sophocles 464
Species morbi unde cognoscatur 625,626
Spes quid 234
Sphacelus 589
Spiritus substantiæ ut sunt aereæ, ita etiam aere nutriuntur 250
Spiritus naturalis aut nullus est, aut si est, in iecore est 251.260
Spiritus vitales, animales influentes 252
Spiritus animalis generatio 193.198
Spiritus actionum sunt auctores 249 à corpore, & humoribus differunt ibid.
Spiritus quomodo sursum, deorsum, & in omnes corporis partes ferantur 258
Spiritus influens insitum auget cōservat, ad actionem excitat 248
Spirituum materia 248. definitio Galen. divisio 249 numerus 251
Spiritus solus cur dicatur & statuatur innatum calidum 223
Spiritus influens num sit unicus 260
Spirituum custodia, qualis esse debeat 261
Spiritus facultatum sunt vehicula 255. illorum influxus quot modis fiant 256
Spiritus vitalis animalis ubi quomodo generentur 251 252. quibus de causis pereant ibid. item 259
Spiritus cohibitionis in apotherapia utilitas maxima 313
Spiritus vocabuli variæ acceptiones 247
Spiritus propriè sic dictus quid? 247
Spiritus primarius geminus est, influens, & insitus 247
Spiritus innatus quid sit, & u-

& utrum detur 247 248
Spermaticæ venæ 175 181
Spina quid, quæ & quot habeat ossa 138 139
Σφιγκτῆρες musculi 158
Splenicus ramus 174
Spontaneæ vacuationes 346
Sputa, quando, & cur medicis expendendenda 678
Sputa in quibus præcipuè morbis consideranda 619
Sputum optimum quid 678
Sputi cõsistentia color excretio ut morbi tempora notat 678. 679
Sputum syncerum mistum, flavum, rufum, spumosum viscidum, rotum, nigrum, unde fiant, ac quid nobis indicent 679
Spuitionis modus præ omnibus attendendus 679
Sputum quodnam cõcoctionis optimæ nota est, & character 680
Somnus, & inedia vacuant 334
Somnus non semper ægro cõcedendus, quis illũ iuvat, lædit 323
Somnus nocet in principio phlegmones, in accessionũ principiis, & ingruente pestilentia 326
Somni generatio 316
Somnus corpus famescens usurpatis exercitiis vacuat 455. ut & ille qui post balneum, & purgationem suscipitus 456
Somnum quæcumq; conciliant spirituosa sunt 317
Somni quantitas haud est una eademq; in singulis individuis 320
Somnus nocturnus laudatur diuturnus dãnatur 320 321 hic, quando, & quibus concedendus ibid.
Somni mediocris utilitates, commoda, immoderati soporis incommoda 318 319
Somnus quid, & quæ illius causæ 315. 316 naturales, & vitales facultates, in eodem somno potentissimè agunt 315
Solium frigidum, calidum 443
Solutionem continuitatis nõ esse morbum communem, quibus argumentis recentiores ostendant, illorumq; solutio 509 510
Solutio continui similaribus magis propriè, quàm instrumẽtariis partibus tribuitur 512
Solutio continui, partibus instrumentariis etiam accidit 514

Squamulæ in urinis 672
Σαφύλωμα 563
Status corporum neutralis 496
Steatomata quid 591
Sternon os. 140. 141
Stigmata quid 589
Stomachus 171
Stoicorum de elementorum mixtione dogma 57
Stranguria 581
Strabones qui 561
Strabismus quid 561
Struma 590
Studiorum suscipiendorum tempus idoneum 309
Subeth Arabum, idem est qui carus 552
Sublimia in urinis quæ dicantur 657
Sudamina 592
Sudorum prognostica 680
Sudor quid, quottuplex sit iudicatorius, symptomaticus 680. optimus, bonus, malus, pessimus 681
Sudorum differentiæ principaliores quæ, & quomodo distinguendæ 681
Sudores, quando, & quibus modis eliciendi 429. 430
Sudores iudicatorii qui nam sint 620. 621. 622
Sudorum futurorum prænũcia signa 631
Sudor quid 245
Sudorifera mitiora fortiora 431
Sura 145
Surditas corporis vacuationem promptissimam, & citam flagitat 418
Surditatis causæ differentiæ 567
Suturæ capitis veræ, mendosæ 135. 136
Suturæ temporales quæ 136
Symptomata neutiquam omnia sunt affectus 469
Symptomata functionum animalium, sensilium, motricum, principum, naturalium 522
Symptomata Galenus nunc ex sua, nunc ex methodicorũ sententia Galenus recenset 520
Symptomatum definitio spuria 520
Symptomatum vehementia non semper indicat morbi malitiam 612
Symptoma bifariam accipitur 519. 520
Sympatheia quid 470
Synochorum differentiæ 526. 527
Synochos vox à recentioribus primum inventa 527
Synochus non putrida alia, alia putrida 525
Syncipitis ossa duo 134
Syncope quid 575

cope quid 372
ολὴ arteriarum 683

T

tus quid 231
tus instrumentum 216
tus instrumentum est vo-
e manus cutis 87
tus, quorũ iudex, & iu-
lex sit 87
tiles qualitates quæ sint
& quantum poßint 94
gendi facultas 216
gibilium obiectarum dif-
erentiæ 216
us 146
sus 146
rus quid 183
e aranearum 672
nperamentum quid 62
nperies est causa actionũ
proxima 487
nperamenti nomine quæ,
& quot fuerit complexus
Gal. 505
nperatum simplex, compo-
situm, quid, quottuplex
68
nperamentum est natura
rei cuiusq; & substantia
211.212
nperamẽtum datur, quod
in una oppositione tempe-
ratum, in altera intempe-
ratum est 68
nperamentorum digno-
tionis fundamenta, no-
tæ, & characteres 69.70
71

Temperamenta quatuor an-
ni temporum 72.73.74
75
Temperamentum non est nu-
da qualitas 64
Temperamentorum differen-
tiæ novem 64
Temperatum duplex, ad
pondus, & ad iustitiam
65
Temperamenti totius corpo-
ris, & singularum huius
partium notæ, ac indices
89
Temperamenti ambitus ma-
teriam, & formam com-
plectitur Gal. 499
Temperies intemperatæ di-
gnoscuntur opera tempe-
ramenti temperati 88
Temperamentum ægrotantis
coindicat 735.737
Temperamentis calidis con-
venit sanguinis mißio
352
Temperamentum aeris, veris
72.73
Temperamenti hominum iu-
dex est tactus 86
Temperatura ad iustitiam
quid 66. rectene dicatur
temperies 67
Tempora 134. horũ oßium
processus ibid.
Tempus anni, in purgatio-
ne, cur observandum 394
395
Tempus anni quid indicet
746

Tempus cibando idoneum 282
Temporum morbi universalium particularium tractatio 603. 604 *huius utilitates* ibid.
Tempus morbi quid unde nomen hoc obortum 603. 604
Tempora morborum quottuplicia sint 605
Tempora morbo: universalia quatuor 605
Tempora morbi particularia quæ, & quot 606
Temporum morbi distictio confert ad prognosin, diætæ præscriptionem 605
Tendo quid 149 *eius differentiæ* ibid.
Tenesmus 576
Tenuis urina quottuplex quid notet 662. 663
Tepidarium quid 442
Terminthus 593
Terra elemẽtaris qualis nam sit 55
Tertiana febris morbus est vehemens 616
Testes an sint partes principes 132
Testes, horum tunicæ communes, privatæ 180 184
Testium virilium musculi 157
Tetanus quid 559
Tetani curatio 41
Themison Laodicæus empi... ces auctor 4
Therapia Hippocratis, lon... ge est perfectissime... 461
Therapeutices subdivisio 32
Therapeutice quid, & u... proponitur a bal: s 32
Theriaca sistit hypercatha... seis 42
Thermæ vox naturalib... maxime indita balne... 432
Thessalus Trallianus comm... nitatum repertor 45 *illi... asseclæ, & posteri qui fu... rint* 4
Thorax quid dicatur Græ... ac quibus circumscribat... partibus 140 *illi... ossa quottuplicia* 140 141
Thoracis musculi octoge... & unus 15
Thoracis vertebr: process... numerus 139. 14...
Thoracis affectus non cogno... sci possunt propriè ex uri... nis 648. 64...
Thoracis vitiorum enarrat... 571
Thuringiaca fames memorabilis admodum 26...
Thymus quid, quottuple... 593

Tibia

ibia, huiusq; ossa externa interna 145
inea 540
onsillæ 171.188.569
orcular cerebri, quid, unde dictum 195
ota rei substantia 503
raulotis 571
rigonalis pila unde dicta 299
richiasis quid, à quibus causis 971
ristitia quid 234
remor 560
umorum p. n. differentiæ, 584.485.& seq:
unicæ fœtus 185.186 succingens costas 187
unicæ oculor: 203.204
urgere quãdo, & quo significato dicantur humores 416
ussis causæ 523
yphodes febris quid 532. 534.535
yphomania quid 636 556
yria quid 540

V

acuatio quid, quæ illius sint genera, ac differentiæ 344 345
acuatio vniuersalis, particularis quid, quæ harum subdiuisio 345
acuatio sæpe idem est Galeno quod derivatio 362
Vacuationes spontaneæ artificiosæ, naturales symptomaticæ ordinariæ extraordinariæ 346
Vacuationum doctrina quot, & quibus nitatur fundamentis 460
Vacuationibus duabus diversis simul minimè utendum 396 397
Vacuationum universalium tempus maximè accommodatum 427
Vacuatio per nares 450
Vacuata corpora nostra somnus evacuat, & exinanit magis 456
Variolæ 593
Valleriolæ de coryco opinio reijcitur, & expleditur 296.297
Valeriol: dogma de causa cõtinente refutatur 476
Valeriolæ sententia, de plenitudine, & satietate exexaminatur 330.331. 334
Valeriola commendatur in doctrina de crisibus 643
Valvulæ cordis 190
Vasa, teste ad vesicæ cervicem semen deferentia 182 eiaculatoria ibid. & 184
Vasa cordis quatuor, vena & arteriæ 190

Vasa communia quæ, quis illorum sit usus 133
Vena ab initio secanda multoties, etiam adversum avicenn: 374 375
Vena arteriosa 190.191
Venæ communes quæ sint 358
Vena coronalis ἄζυγος siue pari 177 *humeraria, iugularis, axillaris* 178
Venæ intempestivæ sectæ nocent 374
Venam incidendam quæ, & quot nam indicant 355 356
Venæ, quæ, & quotnam potissimum hodie secentur 356
Vena communis, mediana, nigra, salvatella 179
Venæ quatenus cavitatem habent, partes sunt organicæ 511
Venæ concoquendi chylum &, sanguificandi vim habent à Iecore 242
Venæ non sunt revera simplices partes 128
Venæ meseraicæ 173 *venæ portæ ibid. huius extrà iecur distributio* 174 *venæ cava huius denominatio, distributio, infrà iecur* 175.176 *venæ emulgentes spermaticæ ibid. venæ causa suprà iecur divi-*
sio
à Venæsectione quid fa[...] dum, quando offeren[...] alimentum
Venæsectionis commoda conveniт inprimis Ple[...] dini
Venæ quæ in quovis a[...] in febribus maximè, [...] tium phlegmone, & pl[...] de dextrâ sinistrâ in[...] dæ 36[...]
Venæsectio quando, & [...] modo dividenda 27[...]
Venæ sectio omittenda in[...] paroxysmis 375 *quâ [...] omnium commodissim[...] stituatur*
Venæsectioni qualis præ[...] da præparatio
Venæ primæ mesaraicæ 376.377
Venæsectioni instituen[...] accommodatum t[...] 374
Venæsectioni purgation[...] mittenda
Venæsectio quandoq; [...] repetenda
Venæsectio omnis fiat [...] dum rectitudinem
Venæsectionis scopi prim[...] lissimi sunt decem [...] quibus illa competat [...] bis 349
Veneris moderatæ comm[...] & incommoda
Veneri aptum tempus est[...]

vernum 453
Ventriculus 171 eiusq; orificia bina ibid.
Ventriculus quid, cremoris benignitate delectatur. ast solo sanguine propriissimè nutritur 23*.239.240
Ventriculum sanguine reverà nutriri 112 reficitur nihilò minus idem hic cremore lacteo à cibis profecto ibid.
Ventriculi cruditates quomodo evacuandæ 408
Ventriculi venæ sanguificant 240
Ventriculus adstringentia efficaciora, quam reliquæ partes indicant 748
Ventriculus impurus famem tolerat facillime 283
Ventriculi cordis 189 cerebri 196
Verecundia 235
Verecundia 462
Veris temperamentum, an item illud sit temperatum 73. 74
Vernales morbi qui, quot, & quales 74
Vernale tempus sanguini mittendi maximè accommodatum 353
Vernum tempus præservatoriæ purgationi longe accommodatissimum 395
Vermiculares cerebri processus 197
Vermiculantes pulsus, ab undosis ut differant 697
Verrucæ genera 594
Vertebræ spinæ quid, unde sic dictæ, illarum processus, divisio 139
Vertebræ colli secundæ dens 139 ut appelletur ibid.
Vertigo 541
Vesica urinaria 180
Vesicæ urinariæ musculi 158
Vesperi non multum ingerendum alimenti 322
Victus ratio præcedens an secanda sit vena, nec ne ostendit 354
Victus puerorum, puberum adolescentum, iuvenum, senum 288.289
Victus homine quid, & quænam intelligantur 32
Victus plenioris, & tenuioris erratorum inter sese comparatio 274
Victus tenuis neutiquam semper periculosus est 275
Victus conveniens, hyemis, veris, æstatis, & autumni 287
Vigiliæ moderatæ, immoderatæ commoda, incommoda 329

Vigor morbis, iudiciorum omnium regula 605
Vigoris indicia, & notæ 611 612
Vigor quid 606
Vigor morbi præ aliis temporibus tribus præcipuè de causis à medico cognoscendus 613
Vigore morbi instante, minimè gentium purgandum 418
Vinorum ratio, differentia alendi vis, & efficacia 291. 292 quibus conveniat, aut non conveniat ibid.
Vinum nec pueris, nec iuvenibus convenit 289
Vini vitia, massæ sanguineæ erroribus comparāt à Galen. 341
Vini flos, fæx 97
Virium consideratio potior quàm morbi in iudicandis & inveniendis præsidiis 753
Vires cibi dosin competentem dictant 273
Vires cum imbecilles minimum fuerint, minimè tūc ad leipothymiam vacuandum 371
Vires robustæ poscunt sanguinis missionē, quomodo illæ ab infirmis, & hæ ab oppressis sint distinguēdæ 350
Virtutis in eliciēdo sudore maxima est habēda ratio 431
Vires quid agendum, & an agendum sit indicant, earumdemq; longè maxima dignitas 743. 744
Vires ægri, an, quando, & quantum purgandum sit monstrant 392
Virgo dicta Plinij 442
Virilis ætas 78. 79
Visio quid 231
Visiva facultas 215
Vitalis facultatis nomina, necessitas 219 220 à reliquis animæ viribus est diversa 220. 225
Vita quid, 220 in calido & humido consistit 221
Vitalium actionum differentiæ 234. 235
Vitales functiones 230. 231
Vitalis spiritus 259
Vitalis facultatis vires, functiones, organa 213. 214 215, 219. 220 cur sic dicta ibid.
Vita quid 214
Vitalis spiritus generatio 252
Vitiligo 588
Vlcus quid 513
Vlcerum vulnerum species vide 594. 595
Vlcera chironia, telephia 595 cuniculosa 596
Vlna, huius processus 142 143

Vngues

Vngues 146
Vnguis in oculo 562
Vnio, mage similaribus convenit partibus, quàm organicis 511
Vociferatio exercitii species 304. illius usus 305
Vomitus quid 424. quas educat superfluitates ibid.
Vomitus ut praecavetur 420
Vomendum singulis mensibus 425
Vomitus creber, ac quotidianus quare cavendus 425 426
Vomendi facilitas, difficultas 426
Vomitioni aptißimum tempus est aestivum 426
Vomitus impendentis indicea 630.632
Vomitum reiecta, quomodo consideranda 427
Vomitus commoda incõmoda, quibus conveniat non conveniat 424.425
Vrachus quid sit, & an detur 186.187
Vrina quid 647. quarum partium affectus significes 647
Vroscopiam qui contemnunt medici, damnantur 647 damnantur, qui nullum non morbum ex urina copnosci posse aiunt 648
Vrina non movenda multum 650. quo in loco inspicienda ibid. cavendum ne ab ambiente aere mutetur ibid.
Vrinarũ reliquarũ omnium scopus est urina optima 651
Vrina optima quae nam sit 651.652
Vrinae colores quae immutare soleant causa 653.654
Vrinae consistentia triplex tenuis, crassa, mediocris singularum harum subdivisiones, & significandi vis 656.657
Vrinae alba & crystallinae significationes 659. quid significent pallidae, subpallidae, rufae, subrufae, flavae, rubrae, vineae, passeae virides, oleaceae, venetae, lividae, nigrae notent urinae 660. 661
Vrinarũ ex consistentia, quid praedicendum sit 662
Vrinae tenuis & crassae tùm differentia, tum significationes 662.663
in Vrina quae, & quot consiterãda praecipuò, & qua ratione, eadem sit consideranda 649
Vrina quando nam colligenda sit 649. ad medicum sit deferenda 650. medicus de eadem pronunciare debeat 650
Vrina foetus, quonam loco

continineatur, in corpore matris 187
Vrinam provocantia medicamina quæ sint, quo diei tempore propinanda, in vesicæ, & renum affectibus præter naturam omittenda 429
Vrinæ quibus de causis priventur suis contentis, ac quid significent 675.676
Vrinæ crudæ contentis carent 675
Vrinæ excretiones in quibus corporis affectibus præter naturam conducant, aut non 428
Vrinæ quæ innatant ramenta per illam sparsi capilli quid prænuncient 671
Vrinæ ex corona quid prædidicendum 673
Vrinæ copiosæ, paucæ, à quibus causis oriantur, & quid significent 664.665
Vrinæ ex contentis quid præsagiendum 665
Vrinarum contenta triplicia 657. nubeculæ, suspensa sublimia sedimenta 657
Vrinarum profluvii imminentis signa 631
Vrinæ cruenta quarum partium indicat affectũ 672
Vrinarũ ex bullis quid prædicendum 673
Vrina fœtidissima 672
Vsus auctus pulsuum, quales pulsus concitat 705
Vtendi modum, quæ, & quot nam præcipuè ostendant 733.734
Vteri substantia, situs, cornua 183. orificia, fundus, cervix 184. acetabula ibid.
Vterus an principalis sit pars 132
Vteri vitiorũ catalogus 183
Vteri musculi 158
Vterina placenta 185
Vveæ tunicæ vitia 563
Vulnus quid. 513

Υ

Υγιεινὸν quid, quot eius præcipuè capita, ubi à Galen. propositum. 31

FINIS.

